De Poeticæ Vi Medica.

PRÆLECTIONES ACADEMICÆ

OXONII HABITÆ,

ANNIS

MDCCCXXXII . . . . . . MDCCCXLI,

A JOANNE KEBLE, A.M.

POETICÆ PUBLICO PRÆLECTORE,

COLLEGII ORIELENSIS NUPER SOCIO.

Ὁ δὲ Θεὸς διὰ πάντων τούτων ἕλκει τὴν ψυχὴν ὅποι ἂν βούληται τῶν ἀνθρώπων, ἀνακρεμαννὺς ἐξ ἀλλήλων τὴν δύναμιν.

Plato in Ione, c. 7.

TOM. II.

OXONII:

J. H. PARKER.

M.DCCC.XLIV.

PRÆLECTIO VIGESIMA PRIMA.

Disputatur de Choëphoris Æschyli, mitigari ejus fabulæ atrocitatem, primo, servata solennis sacrificii ratione; deinde Apollinis et sanctissimi Oraculi interventu; tertio, nescio qua cogitatione Agamemnonis ipsius, prope præsentis; postremo, lenitate Orestis ac præsertim Electræ.

QUOD placuit vobis, Academici, benigniore usis judicio, quam veriore, egregium munus mihi demandare jam in alterum quinquennium; gratias vobis ago maximas; ac sentio plane, cumulum haud modicum tum vestro beneficio, tum oneri a me suscepto accessisse. Nam quodammodo majus est, expertos veniam dare immerenti, quam de intentato magnifice nimis sentire. Ac vellem equidem superesset mihi plus vel ingenii vel certe otii, ut accuratiore filo deducere possem reliquam hanc de re poetica disputationem. Cujus sane ad summam quod attinet, minime me ejus pœnitere dixerim; immo vero de die in diem certiora ejus videre mihi videor indicia.

Sed veniamus ad rem hodiernam, id est, ad Choëphoras Æschyli; quæ fabula, uti norunt omnes, altera ferme pars est Agamemnonis. Verum in ea re

maxime inter se distingui videntur, quod in Agamemnone regnat ubique tremula et obscura formido, et nescio cujus mali imminentis præsaga mens; contra apud Choëphoras securi ac stabiles sunt animi, tanquam eorum, qui metam ipsam justissimæ vindictæ modo sint tacturi; non aliam ob causam, quam quod hic apertius multo quam illic insinuat ac revelat sese Numinis potentia. Quid multa? Agamemnoni, quasi titulum, non inepte ascribat aliquis clausulam illam Choricam ex ipso desumptam:

> ὑπὸ σκότῳ βρέμει
> θυμάλγης τε, καὶ
> οὐδὲν ἐπελπομένα ποτε
> καίριον ἐκτολυπεύσειν
> ζωπυρουμένας φρενός.

At vero Choëphorarum summa, ecquid aliud erit quam nobiles duo versiculi [a],

> τὸ μορσίμον μένει πάλαι,
> εὐχομένοις δ' ἂν ἔλθοι;

Adeo dominatur universa illa fabula ἦθος, quod vocant, stabile ac serenum. Nusquam ibi dubitatur de Providentia Deorum, neque de pœna, culpæ comite; tantum exspectatione arrecti tenentur animi, quo tandem ordine quibusque gradibus certissima ultio commissum sibi munus exsequatur.

Itaque hodie, si potero, nobilis istius artificii summam expediam; quam rebus ferme quatuor contineri arbitror. Primum, quod forma ipsa ac facies universæ Tragœdiæ componitur ad solennium sacrorum imaginem. Deinde, quod omnes omnia referunt ad oraculi sanctissimi decreta; Delphici nimirum Apollinis; qui nullo non tempore videtur Orestem præsentissimo numine tueri. Tertio loco, Manes Agamemnonis in-

[a] *Choëph.* 462.

vocant Orestes et Electra, non semel tantum atque iterum, sed quoties danda est opera solennibus votis invocant, inquam, iis vocibus, quæ tacitum adesse, audire, adjuvare doceant. Postremo, diligentius excutiat velim aliquis primarias hujus fabulæ personas: inveniet profecto gravissimam pietatis significationem; mulceri ubique violentiores animorum impetus, cohiberi impotentiam spei, doloris, iræ, vi mentis in Deorum numen intentæ. Jam exemplis quibus potero clarissimis quadripartitam hanc rationem explicare aggrediar.

Principio, quod aiebam tenorem hujus Tragœdiæ magna ex parte simillimum esse precum solennium, cum justa cærimonia habitarum; nemini non crediderim id fore perspicuum, qui modo attentius sibi repræsentaverit primum illum Orestis introitum[b]:

> *Ἑρμῆ χθόνιε, πατρῷ' ἐποπτεύων κράτη*
> *σωτὴρ γενοῦ μοι ξύμμαχός τ' αἰτουμένῳ·*
> *ἥκω γὰρ ἐς γῆν τήνδε καὶ κατέρχομαι·*
> *τύμβου δ' ἐπ' ὄχθῳ τῷδε κηρύσσω πατρὶ*
> *κλύειν, ἀκοῦσαι.*

Ecce vobis ipso in limine Tragœdiæ vocantur in partes sanctiores duæ personæ, altera ipsius Agamemnonis, jampridem defuncti, altera Mercurii, Deorum Manium nuncii; quorum utrumque tacite in scena versari voluit, ut arbitror, Æschylus, per universum hujus dramatis decursum: tacita, inquam, intelligitur eorum præsentia, nullique mortalium oculis unquam aspicienda; non tamen inanis, neque dubia recte sentientibus. Sed profecto ea res digna est, quæ per se fusius paullo exponatur; nunc moneo, de industria fecisse Æschylum, ut in ipso statim

[b] *Choëph.* 1.

Poematis exordio curaret appellari sanctissima nomina, doceretque, tanquam apud suam Eleusin (etenim ex illo pago erat oriundus), mysticam quandam et religiosam rem agi.

Quid, quod ipsius quoque styli tenor et sonus referre videtur solennem precandi formulam; tum propter alia, tum quod rem eandem diversis dictionibus variat atque iterat? Σωτὴρ γενοῦ μοι, ξύμμαχός τε· ἥκω γὰρ, καὶ κατέρχομαι· κηρύσσω πατρὶ κλύειν, ἀκοῦσαι. Quem locum irrisit quidem, ut erat ridendi callidissimus artifex, Aristophanes: sed videndum, an ejusmodi repetitio præcipue conveniat eis, qui precibus solent concepta adhibere verba. Nam nescio quomodo carmina ejusmodi formulæ in publicum propositæ rationem habent; quæ vel propter rerum majestatem, vel propter hominum incuriam, idem sæpius inculcat atque ingerit.

Deinde illud quam grave, quam religiosum, quod ad ipsius Agamemnonis tumulum peragitur omnis ejus fabulæ cursus! qui tumulus, quantum equidem conjectura auguror, sistitur ante fores regiæ domus Clytæmnestræ. Non enim discedere scenam, neque de loco in locum migrare actores, sicut et alias, et in ipsis nostri Εὐμενίδαις, satis indicant illi versus, quibus Orestem persequitur Chorus, jamjam ingressum in Ægisthi palatia, ficto viatoris habitu et vestitu. Postquam enim ille ostia pulsavit, et in ædes abiit invitante ipsa regina, erumpunt statim virgines in verba felicissimi ominis[c]:

> ὦ πότνια χθὼν, καὶ πότνι' ἀκτὴ
> χώματος, ἣ νῦν ἐπὶ ναυάρχῳ
> σώματι κεῖσαι τῷ βασιλείῳ,
> νῦν ἐπάκουσον, νῦν ἐπάρηξον.

[c] *Choëph.* 720.

Ex quibus intelligitur plane, loqui eas in conspectu ejus sepulchri, quod tanto affectu venerantur. Quod etiam sub initio Poematis profitentur a se altaris loco haberi. Ita enim, Electræ consulenti, suam spondent operam [d],

> *αἰδουμένη σοι, βῶμον ὣς, τύμβον πατρὸς,*
> *λέξω, κελεύεις γὰρ, τὸν ἐκ φρενὸς λόγον.*

Nolite putare eam rem vel casu adhiberi, vel scenæ adornandæ gratia. Primo, illud ipsum, quod uno eodemque loco conficitur omnis, quanta quanta est, fabula, quis nescit ad simplicitatem maxime pertinere, atque ad austerum et grave scribendi genus: quum ea lex servata vel præcipue sit in causa, cur gravior plerumque ac severior habeatur Græcanica Tragœdia, quam nostra? Quo autem simplicior ac severior, eo certe dignior erat regula, cui pareret religiosæ formulæ scriptor. Idem etiam (ut cursim admoneam) retinuit illam quoque alteram simplicitatis pristinæ partem, quam in Agamemnone ipse neglexerat, illam, inquam, quæ posita est in temporis ratione servanda: ne scilicet in longum nimis excurrat res in theatro acta, neve scena in paucissimas horas constringat eventus, quos in annorum forte plurium spatium diffundi vita atque veritas jubeat. Nimirum in Agamemnone Trojæ casum intervallo nullo excipit Argivorum reditus, quem sciunt omnes multorum fuisse mensium negotium. Rursus, ubi scripsit Eumenidas Æschylus, non dubitavit in unum conferre discreta tantis et loci et temporis spatiis, quantis a rupe Delphica distabat Areopagus. Nihil prorsus tale apud Choëphoras: exiguntur omnia rigide et accurate ad eam normam, quam volunt

[d] *Choëph.* 104.

severissimi judices. Id quod sacrosanctæ cærimoniæ egregie convenire jam ante diximus.

Deinde illud consideretis velim; quod quidem maxime in causa fuit, cur nos expressam adeo haberemus hoc loco sepulchri mentionem; mitigari nempe cum maxime isto modo, et in leniorem quodammodo verti speciem, etiam in matris caput admissum facinus, alioqui præter modum horrendum et atrox. Nam quoties eo se convertunt, immanis parricidii testes oculati, ut ita dicam, fiunt; tum se recordantur juratos esse vindices patris; tum sopita suscitantur odia; viget pium, justumque bellum. Siquando inimicos diris carminibus execrantur, non id neque insolentis iræ, neque feritatis est implacabilis; rectius dicas, rationem habere vaticinii, devovente scilicet ipso numine, per carmen horrendum, scelesta et impia capita. Verbo dicam; quæ ratio reddi solet imprecationum earum, quibus non semel erumpit sacer ille Hebræorum Psalmista, eandem ferme afferat aliquis, quæstione habita de Tragicis hisce diris: nempe magnam partem per eas significari, non quid cupiant homines, sed quid ominentur et brevi fore sentiant. Exempli gratia[e],

Ζεῦ, Ζεῦ, κάτωθεν ἀμπέμπων
ὑστερόποινον ἄταν
βροτῶν τλημόνι καὶ πανούργῳ
χειρὶ, τοκεῦσι δ' ὅμως τελεῖται,
ἐφυμνῆσαι γένοιτό μοι
πευκήεντ' ὀλολυγμὸν
ἀνδρὸς θεινομένου,
γυναικός τ' ὀλλυμένας.

Hæc sive Electræ, sive Choro tribuantur, (nam in ea re variant Critici), mihi certe videntur non voti solum verum etiam oraculi cujusdam præ se ferre rationem.

[e] *Choëph.* 379.

Quid enim verisimilius, quam animum intentissimum ad voluntatem Deorum, quique sine ulla dubitatione ejus certior jam sit factus, eam potissimum usurpare loquendi formulam, quæ majorem in modum declaret summam ipsius cum Numine superno convenientiam et consensum? Idque, ut opinor, non obscure significans Poeta, statim ex eadem persona sic est ratiocinatus [f]:

τί γὰρ κεύθω φρενός;
Θ ε ῖ ο ν ἔμπας ποτᾶται.

Quasi dicat, non se iracundiæ morem gerere, quod adeo aperte in adulteros mala precatur, sed cælesti nescio cui obtemperare monito: ejus autem claro veluti flatu, cursuque acerrimo, se ferri:

πάροιθεν δὲ πρώρας
δριμὺς ἄητας, κραδίας
θυμὸς, ἔγκοτον στύγος.

Adeo cautum est a gravissimo auctore, ut ubi acerbissima fiebat odii et irarum mentio, ibi Dei quoque Ultoris Numen appellaretur; ne forte cuiquam ulla ex parte videretur privata Orestis et Electræ res agi, non communis quædam et sacrosancta, quæque ad universum jus fasque vehementissime pertineret.

Etiam illud grave et sanctum, quod in cæde quoque consceleratorum peragenda regii sepulchri, tanquam aræ, habetur ratio. Nam, etsi noluerit Æschylus mactari Clytæmnestram ipso in tumulo, (id enim coram populo fieri nimis foret immane et odiosum) proferuntur tamen, et in conspectu jacent, modo occisorum corpora, velut victimarum; non sine

[f] *Choëph.* 387.

Orestis solenni ac legitima prece: nam precantis ferme sunt verba[f];

> *ἴδεσθε χώρας τὴν διπλῆν τυραννίδα,*
> *πατροκτόνους τε δωμάτων πορθήτορας. . . ,*
> *ἴδεσθε δ' αὖτε, τῶνδ' ἐπήκοοι κακῶν,*
> *τὸ μηχάνημα, δεσμὸν ἀθλίῳ πατρί·*
> *, . . . στέγαστρον ἀνδρὸς δείξαθ', ὡς ἴδῃ πατήρ,*
> *οὐχ οὑμός, ἀλλ' ὁ πάντ' ἐποπτεύων τάδε*
> *Ἥλιος, ἄναγνα μητρὸς ἔργα τῆς ἐμῆς·*
> *ὡς ἂν παρῇ μοι μάρτυς ἐν δίκῃ ποτέ,*
> *ὡς τόνδ' ἐγὼ μετῆλθον ἐνδίκως μόρον.*

Quis non videt, rem omnem de industria ita comparari, ut infelix ille filius videatur sacerdotis potius quam carnificis munus et officium exsequi; itaque et linguis et animis illi favendum, utpote procuranti sacrificium, Numinis jussu? Ergo vel propter unum illud artificium, quod ad Agamemnonis tumulum rem geri curavit, mirandum in modum superavit Æschylus et Sophoclem et Euripidem, eodem in argumento post se versatos.

Pergamus porro dinumerare pauca quædam, quæ etsi per se videantur levicula, sua tamen vi non carent in genere hoc religioso atque sacro. Exemplo sit Orestes, veterum heroum more, detondens primo capillum Inacho, patrio flumini cum pia diligentia reservatum[g]:

> *πλόκαμον Ἰνάχῳ θρεπτήριον,*
> *τὸν δεύτερον δὲ τόνδε πενθητήριον·*

quo quasi fragmento pulcherrimæ orationis declaravit Poeta tum se Homeri studiosissimum, tum Orestem suum ita suscepto muneri intentum, ut non tamen pueriles annos, notorumque locorum dulcedinem, penitus obliviscatur.

[f] *Choëph.* 973. [g] *Ibid.* 6.

Mox ubi preces interpellandæ erant, ipsa quoque interpellatio pertinebat ad sacra. Primo mulierum captivarum Chorus, deinde ad tumulum accedit Electra ipsa, ministræ videlicet inferiarum a regina missarum. Harum autem utriusque sermo plurimus in ea sola quæstione versatur, liceatne Manibus interfecti libare dapes per eam oblatas quæ cædis fuerat rea: qua dubitatione sublata, precibusque confectis, sequitur decantata illa *ἀναγνωρίσις* per crinem Orestis votivum, tumulo impositum.

Quo in loco diligenter animadvertenda est significatio illa non dubia sedulæ pietatis, quod medios inter amplexus subitumque gaudium, fratre præter spem reverso, continet se quodammodo soror amantissima, et ad invocationem Deorum repente convertitur[h]:

> *μόνον κράτος τε καὶ Δίκη συν τῷ τρίτῳ*
> *πάντων μεγίστῳ, Ζηνὶ, συγγένοιτό μοι.*

Frater autem, ut erat natura severior, ne verbo quidem teneriore lacrymis ejus et amplexibus occurrit, sed in justas statim preces erumpit, ut qui laboret ac pœne exhorrescat animo propter magnitudinem pensi sibi cælitus assignati[i]:

> *Ζεῦ, Ζεῦ, θεωρὸς τῶνδε πραγμάτων γενοῦ·*
> *ἰδοῦ δὲ γένναν εὖνιν ἀετοῦ πατρὸς*
> *θάνοντος ἐν πλεκταῖσι καὶ σπειράμασι*
> *δεινῆς ἐχίδνης· τοὺς δ' ἀπωρφανισμένους*
> *νῆστις πιέζει λιμός· οὐ γὰρ ἐντελεῖς*
> *θήραν πατρῴαν προσφέρειν σκηνήμασιν.*

Videtis illud solenne Æschylo, ut ex animalibus sumat similitudines, deque eorum moribus et fortunis, aliud agens, historiolas quasdam contexat. Sed cum Oreste pergamus:

[h] *Choëph.* 240. [i] *Ibid.* 244.

οὕτω δὲ κἀμὲ τήνδε τ', Ἠλέκτραν λέγω,
ὁρᾶν πάρεστί σοι, πατροστερῆ γόνον,
ἄμφω φυγὴν ἔχοντε τὴν αὐτὴν δόμων·
καὶ τοῦ θυτῆρος καί σε τιμῶντος μέγα
πατρὸς νεοσσοὺς τούσδ' ἀποφθείρας, πόθεν
ἕξεις ὁμοίας χειρὸς εὔθοινον γέρας;
οὔτ' ἀετοῦ γένεθλ' ἀποφθείρας, πάλιν
πέμπειν ἔχοις ἂν σήματ' εὐπιθῆ βροτοῖς·
οὔτ' ἀρχικός σοι πᾶς ὅδ' αὐανθεὶς πυθμὴν
βωμοῖς ἀρήξει, βουθύτοις ἐν ἤμασι.

Iis Jovem rationibus aggreditur, quas novimus apud veteres fuisse maxime pervagatas in tali argumento. Deinceps cantant sibi invicem tres personæ triplicem sive obtestationem Dei Ultoris, sive Agamemnonis lessum appellare malis; certe illi versus vel rhythmo et junctura verborum usitata supplicibus carmina aptissime referunt.

Quid quæritis? sacris hisce peragendis dimidia fere pars totius absumitur Tragœdiæ: quod nisi foret Æschylus animo intentissimo in religiones Deorum, debebat potius, credo, navare operam, vel cum Sophocle, collocandis gnaviter insidiis, vel cum Euripide, sententiis acute variandis.

Præterea, quotquot hac fabula recitantur Chorici cantus, eo plane sunt modulo, ut continuo revocent mentes sensusque hominum in cogitationem præsentis Dei, pœnæque divinæ ex adyto jamjam proditurae: quare non male fortasse judicet aliquis, eos in partem solennis cærimoniæ venire. Nimirum, qui primus canitur[k], Oreste jam ad insidias exeunte, multus est in execrandis pravarum mulierum facinoribus; cum Altheæ, quæ filium propter iram occidit, tum Scyllæ Megarensis, quæ patrem, insani amoris ergo; præ cæteris autem cum omni detestatione nominantur

[k] *Choëph.* 583.

Lemniæ illæ, maritorum interfectrices: credo, quod ita Clytæmnestram non modo diris feriebant ominibus, verum tradebant quodammodo certissimis ac justissimis Numinum pœnis: eorum præsertim, quibus maxime curæ sunt jura atque commoda mortalium; Erinnyn dico, Mercurium, Jovem O. M.; qui singuli gravissimo hoc carmine appellantur.

Neque multum abludit, quod ejus cantilenæ initio, facta malorum mentione, quibus obsessa tenetur vita hominum, declaraverat Æschylus Pythagoricus, consentiens cum illo Peripatetico apud Ciceronem[1]; nulla uspiam ex parte tantam nobis imminere perniciem, quantam e nobismet ipsis, quoties insano affectu stimulantur seu viri sive mulieres. Nempe æstimari posse mala, quæ sive tempestatum vi sive ferarum pertulit humanum genus: quæ autem ex ipsis hominibus in homines sunt exorta, in ea nullum unquam neque numerum neque mensuram cadere.

πολλὰ μὲν γᾶ τρέφει
καὶ δεῖνα δειμάτων ἄγη·
πόντιαί τ' ἀγκάλαι κνωδάλων
ἀνταίων βροτοῖς
πλάθουσι· βλάστουσι καὶ πεδαίχμιοι
λαμπάδες πεδάοροι·
πτανά τε καὶ πεδοβάμονα, κἀνεμόεντ' ἂν
αἰγίδων φράσαις κότον.
ἀλλ' ὑπέρτολμον ἀν-
δρὸς ἂν φρόνημα τις λέγοι,
καὶ γυναικῶν φρεσὶν τλημόνων,
καὶ παντοτόλμους ἔρωτας, ἄταισι συννόμους βροτῶν;

Quo in loco vestigia fortasse deprehendat aliquis non obscura divinæ illius in Novo Fœdere sententiæ:

πᾶσα γὰρ φύσις θηρίων τε καὶ πετεινῶν,
ἑρπέτων τε καὶ ἐναλίων,
δαμάζεται καὶ δεδάμασται τῇ φύσει τῇ ἀνθρωπίνῃ·
τὴν δὲ γλῶσσαν οὐδεὶς δύναται ἀνθρώπων δαμάσαι·
ἀκατάσχετον κακὸν, μεστὴ ἰοῦ θανατηφόρου.

[1] *De Offic.* ii. 16.

Quos versus ideo libentius huc adduxi, quod ad eam partem pertinent sacrarum literarum, quæ præ cæteris mihi quidem videtur imbui colore quodam Æschyleo: vel propter *ἀρχαιότροπον* illam sententiarum gravitatem, vel quod aliam super alia solet ingerere divinus scriptor, junctura simplice magis quam callida et artificiosa.

Verum, ut ad Æschyli chorica revertamur: quid si Vates eo consilio flagitia hominum adeo acerbe detestatur, ut in Deorum bonitatem, immensam illam et indefessam, efficacius et melius animos possit convertere? Quid si Chorus, personam quodammodo gerens universi hujus generis miserorum mortalium, voluit coram Diis confiteri communia omnium peccata, dedecora, errores: quæ confessio, Natura ipsa docente, fuit omni tempore non minima pars religionum et honoris Deorum? Sed de hac cantilena satis.

Iterum, Oreste jam domum ingresso, prosequuntur eum carminibus boni ominis: quorum id proprium est et præcipuum, quod primum justa prece Jovis, Mercurii, Larium opem invocant: deinde quasi consecrato incepto, palam et aperte accendunt ad matris cædem, stimulosque addunt, ne manus horrore langueat[1]:

σὺ δὲ θαρσῶν, ὅταν ἥκῃ μέρος ἔργων,
ἐπαΰσας πατρὸς αὐδὰν,
θροούσᾳ σε, Τέκνον,
πέραιν' οὐκ ἐπίμομφον ἄταν.

Sane artificii minime mediocris erat, ut quæ alioqui facinoris atrocis atrocissima pars videri debuit, eam præciperet animoque ante perageret Chorus, interpres divinæ voluntatis, mediis etiam precibus et religionibus.

[1] *Choëph.* 825.

Denique, patrata cæde, præsto erit rursus idem cum suo Pæane Chorus; confirmaturus videlicet, sacrificium illud æquis oculis a Diis immortalibus adspici [m].

ἔμολε μὲν δίκα Πριαμίδαις χρόνῳ,
βαρύδικος ποινά.
ἔμολε δ' ἐς δόμον τὸν Ἀγαμέμνονος
διπλοῦς λέων, διπλοῦς Ἄρης.
ἔλακε δ' ἐς τὸ πᾶν ὁ πυθοχρήστ–
ας φυγας,
θεόθεν εὖ φραδαῖσιν ὡρμημένος.
ἐπολολύξατ', ὦ, δεσποσύνων δόμων. . . .
ἔμολε δ' ᾧ μέλει κρυπταδίου μάχας
δολιόφρων Ποινά.
ἔθιγε δὴ μάχα χερὸς ἐτητύμως
Διὸς κόρα· Δίκαν δέ νιν
προσαγορεύομεν βροτοὶ τυχόν-
τες καλῶς·
ὀλέθριον πνέουσ' ἐν ἐχθροῖς κότον·
τάνπερ ὁ Λοξίας ὁ Παρνάσιος,
μέγαν ἔχων μυχὸν χθονὸς ἐπ' ὄχθει,
ἄξεν, ἀδόλως δολίαν.

Ita "fervet, immensusque ruit" Poeta, ut ne spatium quidem linquat, rem ipsam intueri volentibus; neque facile audeamus id appellare parricidium, quod tantorum Numinum assensu et opera geritur.

Quare, sive Chorica spectes carmina, seu loci ipsius et scenæ rationem, sive alternantes, coram tumulo patris, Electræ et Orestis preces, seu rigidam illam simplicitatem universi carminis, nullis neque flexibus Fortunæ variati, neque ambitiosis dicendi luminibus: mea quidem sententia non multum errabit, qui dixerit hanc fabulam ad genus religiosum atque ad divina facienda plurimum pertinere.

Venio nunc ad oraculi Phœbei partes, gravissimas quidem illas et notissimas, tum in hac Tragœdia, tum

[m] *Choëph.* 935.

etiam in Eumenidis. Quarum ut rectius intelligatur vis, recordamini, quæso, quantum in his rebus id valeat, ut in unum locum colligantur dispersæ regionis cujusque religiones, et ex uno quasi fonte manent usquequaque in universum populum. Nempe eo modo cernunt omnes expressam quodammodo pietatis formam, qui prius longe lateque vagabantur, et in alia omnia abibant. Ita natura comparati sumus, ut magna locorum vis sit, ac pæne incredibilis, non modo ad rerum semel visarum memoriam, verum etiam ad fidem absentium, earumque quæ ex conspectu longissime sunt positæ. Itaque multum, immo plurimum valebat vel nomen solum Delphici istius adyti; ut eo audito, illi etiam, qui locum ipsum nullo unquam tempore conspecturi essent, facilius multo ad religiones, et ad sacram piamque formidinem flecterentur animis: formabat enim intus sibi quisque imaginem quandam locorum nondum visorum, quorum ope leges ipsas, divinaque responsa validius effingeret et in animum suum imprimeret. Quod si qui unquam Delphos inviserant, suisque lustraverant oculis remota ac veneranda loca, Parnassi juga, fontem Castaliæ, rupes, antra, lauriferos saltus; crediderim equidem, earum rerum memoriam non modo semper hæsuram animis, verum etiam omni vita temperaturam quodammodo curas et cogitationes eorum, quod ad res sacras et religiosas attinet.

Ut illud omittamus non leve sane; quod, ut tunc erat Græcia, illorum quoque virorum animi, qui se volebant esse in republica aliquid, quive patriæ curam gerebant, arrecti in fanum istud ac tripoda, tanquam in communem aliquam totius Græciæ possessionem, tenebantur. Magnus his accessit cumu-

lus, ipso Æschyli tempore, Persarum adventu, cum ad limen delubri tanta illa miracula direptores Asiaticos oppresserunt. Ne multa; auribus vere Hellenicis non simplex erat voluptas, quoties occurrebat in theatro vel adyti istius vel regionum vicinarum mentio: recitato videlicet sive Eumenidum Prologo [n],

> σέβω δὲ νύμφας, ἔνθα Κωρυκὶς πέτρα
> κοίλη, φίλορνις, δαιμόνων ἀναστροφή·

seu matutina Ionis Euripidei cantilena [o],

> ἅρματα μὲν τάδε λαμπρὰ τεθρίππων
> ἥλιος ἤδη λάμπει κατὰ γᾶν·
> ἄστρα δὲ φεύγει πυρὶ τῷδ' αἰθέρος
> εἰς νύχθ' ἱεράν.
> Παρνησιάδες δ' ἄβατοι κορυφαὶ
> καταλαμπόμεναι τὴν ἡερίαν
> ἁψῖδα βροτοῖσι δέχονται·
> σμύρνης δ' ἀνύδρου καπνὸς ἐς ὀρόφους
> Φοίβου πέταται·
> θάσσει δὲ γυνὴ τρίποδα ζάθεον
> Δέλφις, ἀείδουσ' Ἕλλησι βοάς,
> ἃς ἂν Ἀπόλλων κελαδήσῃ.
> Ἀλλ', ὦ Φοίβου Δέλφοι θέραπες,
> τὰς Κασταλίας ἀργυροειδεῖς
> βαίνετε δίνας· καθαραῖς δὲ δρόσοις
> ἀφυδρανάμενοι, στείχετε νάους.

Tali carmine revocabantur quidem animi ad amœnissimos convallium anfractus, et ad invii nemoris dulcem quendam horrorem: veruntamen omnium maxime movebat Graiorum fœderis, publicæ aræ, communium sacrorum memoria.

Quod igitur Æschylus noster (ut ad eum sermonem, unde paullum abii, redeam) cædis auctorem et patronum adhibuit Oresti suo Apollinem Pythicum, perinde est, ac si in ejus patrocinium omnes omnium Græcorum religiones evocasset. Multo certe veri-

[n] *Eumen.* 22. [o] *Ion.* 82.

similius et melius rem egit, quam si, Euripidis more, *θεὸν ἐκ μηχανῆς* jussisset identidem exsilire; quæ ratio, ut mihi quidem videtur, vel gravius in bonos mores atque in Deorum reverentiam peccat, quam in veritatem humanæ vitæ. Nam quale tandem id est, ut facinus alioqui atrocissimum tolerabile fiat, edita semel de cælo dæmonis voce! quo remedio is, quem modo nominavi, Euripides, utitur cum alias, tum ad finem Electræ suæ. Quanto rectius noster, qui docet ab initio, pendere omne consilium ex sanctissimi oraculi decreto; quoquo modo se res habebit, Oresti minime fore pœnitendum, quod tanti Numinis effato morem gesserit[p].

> οὔτοι προδώσει Λοξίου μεγασθενὴς
> χρησμὸς, κελεύων τόνδε κίνδυνον περᾶν,
> καξορθιάζων πολλὰ, καὶ δυσχειμέρους
> ἄτας ὑφ' ἧπαρ θερμὸν ἐξαυδώμενος,
> εἰ μὴ μέτειμι τοῦ πατρὸς τοὺς αἰτίους.
> . . . . τοιοῖσδε χρησμοῖς ἆρα χρὴ πεποιθέναι.

Huc etiam congessit teterrimam vim minarum, patris ultionem negligenti[q], ab Apolline intentarum.

> τὸ γὰρ σκοτεινὸν τῶν ἐνερτέρων βέλος
> ἐκ προστροπαίων ἐν γένει πεπτωκότων,
> καὶ λύσσα, καὶ μάταιος ἐκ νυκτῶν φόβος
> κινεῖ, ταράσσει, καὶ διώκεται πόλεως
> χαλκηλάτῳ πλάστιγγι λυμανθὲν δέμας.
> καὶ τοῖς τοιούτοις οὔτε κρατῆρος μέρος
> εἶναι μετασχεῖν οὐ φιλοσπόνδου λιβὸς,
> βωμῶν τ' ἀπείργειν οὐκ ὁρωμένην πατρὸς
> μῆνιν, δέχεσθαι δ', οὔτε συλλύειν τινά·
> πάντων δ' ἄτιμον κἄφιλον θνήσκειν χρόνῳ,
> κακῶς ταριχευθέντα παμφθάρτῳ μόρῳ.

Habetis formulam ejus simillimam, quam hodie quoque adhiberi aiunt, tum Romæ tum alias, ubi diris ac devotionibus feriendum est caput aliquod insa-

[p] *Choëph.* 267. [q] *Ibid.* 284.

nabile. Ideoque eam hoc tempore ciendam putavi, quippe quæ, vel ejus similitudinis causa, magnam divinæ religionis significationem habeat.

Rursus ubi cœpit Orestes disertius explicare consilium suum, nempe dolo agendum esse, non vi aperta, videte quam prudenter, hujus quoque sermonis initio, ejusdem Apollinis jussa excusentur [r]:

> ὡς ἂν δόλῳ κτείναντες ἄνδρα τίμιον
> δόλῳ τε καὶ ληφθῶσιν, ἐν ταὐτῷ βρόχῳ
> θανόντες, ᾗ καὶ Λοξίας ἐφήμισεν,
> ἄναξ Ἀπόλλων, μάντις ἀψευδὴς τὸ πρίν.

Mitigatur eo modo res, aliquanto fortasse odiosior.

Denique in ipso facinoris articulo nunquid aliud languentem incitat, quam declarata iterum per Pyladem, mutam hactenus personam, Apollinis voluntas [s]?

> Πυλάδη, τί δράσω; μητέρ' αἰδεσθῶ κτανεῖν;

Sic Orestes, commotus, ut fit, precibus matris, et aperto pectore, et memoria pueritiæ suæ. Pylades contra, Perge, ait; sacrificium minime infectum relinquas:

> ποῦ δαὶ τὰ λοιπὰ Λοξίου μαντεύματα
> τὰ Πυθόχρηστα, πιστὰ δ' εὐορκώματα;
> ἅπαντας ἐχθροὺς τῶν θεῶν ἡγοῦ πλέον.

Quærat fortasse causam aliquis, cur alioqui taceat Pylades, uno hoc sermone silentium rumpat. Quod etiam in Sophocle et in Euripide fieri videmus, eatenus ut ne vocem quidem semel emittat. Itaque crediderim ita perhibuisse veterum de Oreste narrationes: vix enim verisimile est recentiores Poetas insistere hic Æschyli vestigiis; maxime cum

[r] *Choëph.* 554. [s] *Ibid.* 899.

eum in rebus istiusmodi semel atque iterum perstrinxisse videatur Euripides: nedum arbitremini, tres inter se adeo dissimiles forte quadam pariter incidisse in unum hoc consilium, remotum præsertim a communi consuetudine theatri. Quidni igitur judicemus, Æschylum, qua erat gravitate, consulto fecisse, ut in hoc uno Pyladis sermone tum a commento veterum, tum a cæteris Scriptoribus dissentiret, ea mente, ut Pyladem illum notaret ac designaret nobis, velut legatum quendam, interpretem et nuncium oraculi, atque adeo ipsius Apollinis? Monet itaque is Orestem vel tacitus, sola sui præsentia et aspectu, quid facto opus sit: postquam autem res stare cœpit *ἐπὶ ξύρου ἀκμῆς*, (ut aiunt Græci), gladio jam in matricidium educto; cum in misericordiam indigne flecteretur animus, et langueret subito memoria divini edicti; tum demum velut ex adyto erumpere vox illa comitis prius inaudita, et "omnia" docere "Diis postponenda." Qua sola semel accepta, accingi iterum Orestes ad opus fatale; Pylades, officio functus, elinguis, ut antea, fieri. Eo modo et cædem mitigavit, repetito ad tempus oraculo, neque tamen modestia caruit et reverentia magni Numinis, nec Deum sine causa produxit, odiose et indigne.

Sed de Pyladis persona hactenus. Mitto illud, apertum et perspicuum omnibus, quod Orestes de scena discedens disertis verbis ad Apollinem provocat [t]:

> *καὶ φίλτρα τόλμης τῆσδε πλειστηρίζομαι*
> *τὸν Πυθόμαντιν Λοξίαν, χρήσαντ' ἐμοὶ*
> *πράξαντα μὲν ταῦτ', ἐκτὸς αἰτίας κακῆς*

[t] *Choëph.* 1029.

εἶναι· παρέντι δ' οὐκ ἐρῶ τὴν ζημίαν·
τόξῳ γὰρ οὔτις πημάτων ἐφίξεται.

Res sane solennis Æschylo, quæque cum pietate et sanctitate maxime, ut arbitror, sit conjuncta, expavescere quodammodo, clausis oculis, ad iram pœnasque divinas. Sed cum Oreste pergamus:

καὶ νῦν ὁρᾶτέ μ', ὡς παρεσκευασμένος
ξὺν τῷδε θαλλῷ καὶ στέφει, προσίξομαι
μεσόμφαλον θ' ἵδρυμα, Λοξίου πέδον,
πυρός τε φέγγος ἄφθιτον κεκλημένον,
φεύγων τόδ' αἷμα κοινόν· οὐδ' ἐφ' ἑστίαν
ἄλλην τράπεσθαι Λοξίας ἐφίετο.

Ipsa nimirum corona, veste, incessu, Delphici supplicis speciem præ se ferebat: eos, qui spectabant, oculatos adhibebat testes, se non absque Apolline fecisse, quicquid illud erat, quod fecerat. Quod cum fieret extremo in fine Tragœdiæ, longe aliter affectos, credo, dimisit, quam si, Orestis Sophoclei more, meros illico triumphos egisset. Jam enim ne cogitatione quidem, neque oculorum, ut ita dicam, memoria, dirimere ac disjungere poterant Orestem reum ab Apolline patrono. Itaque (quod summi erat artificis) etsi matre per filium et filiam cæsa, *τῷ μιάρῳ* nullus erat locus.

Sequitur, ut expendamus Agamemnonis etiam defuncti tacitas (ut ita dicam) partes in hac Tragœdia: quarum quidem ratio non alia ferme est, atque ejus, de quo modo diximus, Oraculi Apollinis. Etenim adesse Regem mortuum sentimus quodammodo omni carmine, celari tamen dedita opera; qui si intra manus Euripidis esset versatus, mihi minime dubium est, quin in lucem atque in oculos proditurum foret ejus *εἴδωλον*, multaque jejune et inepte dicturum, quæ ab Æschylo nostro efficacius tribuuntur litantium verbis et solenni Choro.

"At enim, is noster, qui nihil unquam jejune, Shaksperus, non dubitavit sæpius in scenam mittere mortuorum umbras corporea quadam specie; quin et per easdem peragere non pauca, quæ ad fabularum summam præcipue pertinerent." Immo vero, quisquis se tueri velit auctoritate summi illius viri, is omnino necesse est parce ac verecunde, ut ita dicam, agat cum mortuis. Quater modo, si memini, tam longa Tragœdiarum serie, Shakspero placuit umbras ejusmodi excitare. Notissima sunt exempla, quippe quæ singula pertineant ad opus aliquod ejus primarium. Primo, exsomnis stupet Tyrannus[u], visis scilicet per noctem eorum Manibus, quos ipse occiderat innoxios: ipsi prodeuntes, ordine quisque suo, diris eum prosequuntur ominibus, inimico ejus fausta omnia precantur. Quis non videt, agi hic de somnio divinitus immisso, quale accidisse perturbatis eo tempore animis non desunt idonei testes? Quod autem imagines istæ exsurgant singulæ coram populo, quod auribus oculisque se præbeant noscendas, sapit illud quidem inconditum aliquid ac rude, sed tamen nescio an ea sola ratione divina somnii vis innotescere potuerit. His adnumeranda est, quæ Macbethi epulanti apparet[x], umbra hominis a se crudelissime interempti, muta prorsus, et nulli præter ipsum videnda: quo satis constet, purum id esse figmentum mentis misere æstunatis conscientia scelerum, non autem debere ostendi spectantium oculis, neve nominari quidem inter personas Tragœdiæ. [y]Tertio, Brutum moriturum Cæsar invisit mortuus, duntaxat ut tria verba faciat, et in

[u] *Richard III.*, iii. 3. [x] *Macbeth*, iii. 4.

[y] *Julius Cæsar*, iv. 3.

auras abeat: quo in loco nolite putare, Poetam quicquam aliud quam fidem historiarum sequi. Nihil enim dici narrat, nisi quæ dicta legerat in Plutarcho; id modo mutat, quod Cæsaris umbram appellat; Plutarchus nomen incertum reliquerat. Quod si fuisset noster in eo genere paulo ambitiosior, latissimum sane hic campum habebat, in quo exspatiari posset. Sed novit profecto, novit, instinctu pietatis suæ, modum severissime tenere in re religiosa.

Ac puto equidem, quod ad tria hæc attinet exempla, minime recessisse Shaksperum, in mortuis ciendis, a pudore Æschyleo. Primo, si quid tale admisit, excusari poterit aut veterum narratio, perhibentium plane, rem ita se habuisse; aut rerum gestarum tenor, evocantium hinc conscientiæ furias, illinc somnia, pœnarum divinarum prænuntia. Deinde, quota tandem pars erit cujusque fabulæ, quæ vertitur in hujusmodi umbris! Ea certe, quæ Macbethi ostenditur, imago cæsi ducis, semel soli visa discedit, ne uno quidem verbo emisso. Cæteræ, quas modo memoravimus, ita loquuntur, ut intelligas significare tantum quæ habent a Diis mandata.

Quare quod aiebam, Shaksperum hac via incedere caute prorsus, et tanquam invito pede; est ita sane: neque enim ab his discrepabit ejus exempli, quod unum superest, ratio, Hamlethi videlicet, nobilissimæ omnium Tragœdiæ: quam eo libentius memoro, quoniam, ut multi jam viderunt, *οἰκονομία* ejus complura habet cum Choëphoris bene convenientia. Utrinque in scena ostenditur domus regia, polluta cæde principis et incestis reginæ amoribus: prodit utrinque ultor interfecti filius, incitatus in matrem expresso Superorum admonitu. Quid quæritis? eadem est

fere ambobus argumenti summa, sed in eo tractando mirificas habent dissimilitudines: quo magis mirere, tam bene consentire inter se, quod ad unum hunc locum attinet; qui locus (repetam enim) in eo præcipue est, ut in Poesi quoque verecunde et caste quodammodo cum mortuis agatur. Neque vero isti consensioni officere debet, quod Orestes, accepto Apollinis responso, accingitur in ultionem patris; Hamlethus, viso per noctem patris εἰδωλῳ. Secutus est uterque, ut opinor, annalium fidem: sed ex hac parte felicior aliquanto erat Æschylus, quod licuit ei plenius consulere severæ illi majestati Deorum Manium, latente penitus umbra Agamemnonis; cum noster necesse habuerit defuncti animam educere ex sepulchro, palam se oculis ostendentem, multaque disserentem. Quod non eo dico, quo putem id vitio vertendum maximo Poetarum: quin potius erit ei semper egregia laus, non prudenter modo sed etiam pie cum ista formidine reverentiam mortuorum temperasse. Nec quisquam id ei velim objiciat, quod tribus etiam istis militibus, non Hamletho soli, apparere fecerit εἴδωλον[z]. Nempe eo modo dubitanti erat occurrendum, ne forte, quo erat acumine juvenis, inanem suspicaretur esse rem, suique cerebri commentum. Qui etiam post tot documenta, tam illustria, hæret adhuc animo, nesciens quonam maxime in censu reponi debeat ea species; Dæmonum, an umbrarum piarum. Attamen videte, quam lentis gradibus, quamque, ut diximus, invito pede, veniant, eo judice, Manes in conspectum mortalium. Principio, venerandam illam umbram, (ita enim appellare fas sit,

[z] *Hamlet*. i. 4.

non horrendam, neque atrocem,) cernunt duo soli milites, excubias agentes ad ostium regiæ domus: quibus tertia nocte accedit ipsius Hamlethi dilectus comes et sodalis. Hos tamen omnes tacita præterit imago; semel modo, ne verbum aliquod ederet, per diluculum stetisse narratur. Quinetiam, ubi ventum est ad ipsum Hamlethum, ne tum quidem nisi remotis arbitris, neque præter ea sola loquitur, quæ spectent sive ad divinam illam ultionem, sive ad virtutem bonosque mores filii: res sane non indignas, quæ mortuo patri sint curæ. Quod autem semel atque iterum, progrediente fabula, redit idem in sensus hominum; partim subterranea ac surda voce significat, testem se adesse jurantibus in filii verba[a],—quæ quidem res magnopere pertinebat ad incepti negotii cursum;—partim coram ipsa uxore filium increpat[b], qui tardius videbatur exsequi commissum sibi munus; eadem ferme ratione, atque Pylades Orestem languentem unica illa voce incitat. Atque in eo loco pulcherrime indicat irata licet anima, commoveri se aspectu miseræ mulieris, et præteriti temporis memoria; igitur, sicut initio monuerat, parcendum utcunque vitæ ejus, ita hic ne verbis quidem aspere nimis tractandam docet.

Ex his omnibus intelligimus plane, nullo non tempore adesse filio ultori patris *εἴδωλον*, sed tum demum ex aere obscuro cerni et audiri hominibus, cum magna aliqua postulat necessitas. Num potuit melius consuli vel gravissimæ religioni Manium, vel ægris mortalium desideriis; hac negante, illis poscentibus, propiorem quandam præsentiam fato functorum?

[a] *Hamlet,* i. 5. [b] *Ibid.* iii. 4.

Quale desiderium (ut tandem aliquando ad Æschylum nostrum revertar,) in Choëphoris plane regnat. Afferam hic unum de multis, quo non aliud nobilius, exemplum[c]. Nostis clausulam solennium precum, quas canit alternis vicibus cum fratre soror. Post ardores videlicet lyricos decebat severius aliquid ac tranquillius.

ὦ γαῖ', ἄνες μοι πατέρ' ἐποπτεῦσαι μάχην.
ὦ Περσέφασσα, δὸς δέ γ' εὔμορφον κράτος.
μέμνησο λούτρων, οἷς ἐνοσφίσθης, πάτερ.
μέμνησο δ', ἀμφίβληστρον ὡς ἐκαίνισαν.
πέδαις ἀχαλκεύτοις ἐθηρεύθης, πάτερ.
αἰσχρῶς τε βουλευτοῖσιν ἐν καλύμμασιν.
ἆρ' ἐξεγείρει τοῖσδ' ὀνείδεσιν, πάτερ;
ἆρ' ὄρθον αἴρεις φίλτατον τὸ σὸν κάρα;

Quis hæc audiens non trepidet spe arrectus, fore illo ipso temporis puncto, ut ex tumulo prodeat "Mycenæus magnorum ductor Achivum," suas injurias statim ulturus? Verum eo portento non indigebat Orestes, satis scilicet armatus edicto Apollinis. Itaque ut rem brevi complectar; pari affectu, pietate, consilio, apud Æschylum latet Agamemnon, apud Nostrum bis terve adducitur in scenam Hamlethus pater. Pietatem hic dico illam, quæ ponitur in honore mortuorum; ne violetur eorum sanctitas, neu quis Poetarum temere ac leviter terrestria et inferna misceat.

Est et alia quædam Pietas, liberorum erga parentes suos: cujus omnis ratio cum mire conturbetur hisce rebus Agamemnoniis, operæ pretium erit videre, quomodo ex iis laqueis expedire se potuerit Æschylus: qui locus idem plane erit, atque is, quem extremum fore dicebam hodiernæ disputationis. Is,

[c] *Choëph.* 472.

si forte meministis, in Orestis præsertim et Electræ personis ponebatur. Erat illis proprium ac præcipuum, odisse matrem propter caritatem patris, pietate quadam, ut ita dicam, impia: atque ex ea parte difficilior erat Æschyli ratio, quam Shaksperi; quippe Hamletho sæviendum erat in solum adulterum, inviolato reginæ capite. Quonam igitur maxime modo durissimam hanc causam mitigavit Æschylus? Nempe ea, quam nos toties iteramus, religione oraculi. Ponit ille nobis Orestem suum ea mente penitus imbutum, ut sibi per omnia eundum esse credat, devoto quasi capite, modo pensum exsequi valeat. Nocte, die, domi, foris, ea sola res versare atque angere animum. Quod idem et in Hamletho dici potest; sed hoc utique dissimiles sunt, quod in Hamletho agnoscas adhuc, ut aiunt, "veteris vestigia flammæ;" rapitur ille in partes varias, curisque fluctuat et amoribus, ne dicam jocis quoque: Orestes contra nihil prorsus ne semel quidem intueri audet, præter unicum illud, Deo utcunque obtemperandum. Quid ita? Credo, quoniam hic atrociora longe habebat in mandatis; parricidio nempe accingebatur, non cædi simplici. Quo autem gravius quid factu, eo intentior debebat esse mens in auctoritatem imperantis. Videte porro, quam nullo affectu animi constanter ac tranquille interpretatur Orestes somnium illud matris, atrocissimi ominis[d].

> *δεῖ τοί νιν, ὡς ἔθρεψεν ἔκπαγλον τέρας,*
> *θανεῖν βιαίως· ἐκδρακοντωθεὶς δ' ἐγὼ*
> *κτενῶ νιν, ὡς τοὔνειρον ἐννέπει τόδε.*

Nolite putare, talia meditanti non venisse in mentem Dirarum imminentium. Omnia diu præcepe-

[d] *Choëph.* 546.

rat animo: quin et ipse sibi mortem deprecatus erat, audita matris in mortuum fratrem contumelia[c]:

τὸ πᾶν ἀτίμως ἔλεξας, οἴμοι·
πατρὸς δ' ἀτίμωσιν ἆρα τίσει,
ἕκατι μὲν δαιμόνων,
ἕκατι δ' ἁμᾶν χερῶν·
ἔπειτ' ἐγὼ νοσφίσας ὀλοίμαν.

Quapropter etiam in fine Tragœdiæ, sedentibus jam in limine Furiis, seque jam dejectum iri de statu mentis suæ conscius, ita se nihil confirmat præter fas et jura admisisse, invectus primo in matrem asperrimis verbis, deinde vel excusato Phœbi oraculo, vel coram adducta laniati Agamemnonis veste, ut tamen intelligant omnes, divinitus eum egisse, non sponte sua; nec invitum modo, sed etiam maximis et acerbissimis doloribus confectum.

His addenda quædam erant, si modo per tempus liceret, etiam ad Electræ personam pertinentia: non ferocis illius et convitiis promptæ, qualis apud Sophoclem fingitur, neque in solum patrem officiosæ. Audite vero eam, quam leniter agat cum matre, tum cum maxime ipsa commovetur memoria patris, suis sub oculis cæsi[d].

ἔκοψ' Ἄρειον κομμόν· εἶτα Κισσίας
νόμοισιν πολεμιστρίας
ἀπρικτόπληκτα, πολυπλάνητα δ' ἦν ἰδεῖν
κροτητὸν ἁμὸν καὶ πανάθλιον κάρα.

Auribus quodammodo recurrere videtur ad ipsos vulnerum sonos, dextramque miseræ mulieris hic illic rapide jactatam. Quid tum Electra? nonne in diras erumpit? Immo lene illud, ac mœstum, ac flebile canit, miserationi multo, quam iræ, propinquius.

ἰὼ, ἰὼ, δαΐα πάντολμε μᾶτερ,
δαΐαις ἐν ἐκφοραῖς,

[c] *Choëph.* 432. [d] *Ibid.* 421.

ἄνευ πολιτᾶν ἄνακτ',
ἄνευ δὲ πενθημάτων
ἔτλης ἀνοίμωκτον ἄνδρα θάψαι.

Etiam ubi Diis inferis litabat[e]:

αὔτῃ τ' ἐμοὶ δὸς, σωφρονεστέραν πολὺ
μητρὸς γενέσθαι, χεῖρά τ' εὐσεβεστέραν.

Nihil neque lenius, neque modestius, dici poterat. Illa quoque non modo pudori sed et castissimæ pietati tribuenda, quibus ea Chorum consulit de religionibus, quo tempore primum in scenam sacra ferens ingreditur[f].

γένεσθε τῶνδε σύμβουλοι πέρι·
τυμβῷ χέουσα τάσδε κηδείους χοάς,
πῶς εὔφρον' εἴπω; πῶς κατεύξωμαι πατρί;
ποτέρα λέγουσα παρὰ φίλης φίλῳ φέρειν
γυναικὸς ἀνδρὶ, τῆς ἐμῆς μητρὸς πάρα;
τῶνδ' οὐ πάρεστι θάρσος, οὐδ' ἔχω τί φῶ,
χέουσα τόνδε πέλανον ἐν τυμβῷ πατρός.

Videtis non temere commoveri; nihil ex libidine agere, memorem quippe et divini et humani juris: matri autem suæ vix et ne vix quidem crimina etiam manifesta objicere.

Habet præterea ejus persona singularem fraterni amoris declarationem; præsertim ubi vel ex sparsi crinis colore, vel ex pedum vestigiis conjecturam de Orestis reditu capit. Præclare autem novit Æschylus variare et distinguere dulcissimum hunc locum: quippe qui bene intellexerit, non eadem plane fore dilectionis indicia, hinc fratris illinc sororis. Exemplis supersedeo, propter angustias temporis. Verum tum propter hæc omnia, tum propter eam qua pollet hæc tragœdia, reverentiæ erga Reges significationem, sentiunt, opinor, ad unum omnes, qui curiosius paullo legunt, rem uni-

[e] *Choëph.* 138. [f] *Ibid.* 84.

versam magna ex parte mitigari: neque tam perturbari se immani parricidio, quam converti animis ad vis divinæ cogitationem; mirarique plane, qui futurus sit exitus magnæ ac difficilis causæ. Igitur ad hunc nodum solvendum aggreditur in Εὐμένισιν Æschylus: de qua solutione dicam ut potero, dato iterum dicendi tempore.

PRÆLECTIO VICESIMA SECUNDA.

Paucis præmissis, de vera audiendorum Poetarum ratione, accuratius definitur ex Eumenidum initio trium ultimarum Tragœdiarum Æschyli Nodus. Docetur, solvi eum provocatione quadam Orestis: tum fusius disputatur, primo de Furiis quarum contra sententiam provocatur; deinde de Apolline, auctore provocandi; postremo, de eo cujus ad imperium provocatur, non Areopago, sed supremo Jove.

AGGRESSURUS jam hodie Eumenidas, tertiam partem illustris Trilogiæ, primum omnium veniam hanc a vobis peto, Academici, ut sinatis me paullo diutius in ea quæstione versari, quæ et arctissimo nexu conjungatur cum argumento nostro, et nemini Poetarum amanti non aliquando in mentem venerit. Etenim, cum primum instituebam summum illud quod vocant Poeseos genus indagare, hac potissimum via, ut in omni scriptore, cui quidem suo jure datur divini hujus nominis honor, quærendum sit, quonam maxime in genere fervere et ex se eripi quisque soleat;—ex quo efficitur, tot plane Poeseos fore genera, quot vel sententiarum vel hominum; (Poesin enim, nativam illam veramque, nihil esse aliud, quam intimum cujusque animum, erumpentem in verba ac numeros;)—cum primum hæc, inquam,

incipiebam mecum cogitare, occurrebat statim dubitatio non levis, quam hodie, pro virili mea parte, tollere aggrediar.

Nempe bonæ parti hominum frigescet, opinor, prorsus ea sententia; neque facile se avocari patientur a verborum imaginumque luminibus, et ab externo illo splendore et apparatu Poeseos, ad arcana animorum scrutanda. Ecquid, inquient, nostrum interest, qua quisque mente et indole scripserit, modo scripta sint ejusmodi, quæ mentem sensusque hominum delectent, moveantque?

Ac mirum ni abeant in eas ferme rationes, quibus se solent tueri, qui Allegoriam, quam vocant, præ cæteris scribendi generibus fastidio habent. Nam ubi semel animi legentium cœperunt cogitare altius aliquod—"ubi se a vulgo ac scena in secreta remorunt"—non multum equidem referre arbitror, utrum ea res fiat, adhibitis quibusdam quasi veritatis umbris, an translato in veras personas Poetæ ipsius affectu atque indole. Videlicet ex utraque ratione, qui semel ex animo se dederit Poetarum studiis, non vacabit meris deliciis, ne iis quidem, quæ longissime distare videantur ab Epicuri turpitudine, proximeque ad intima purioris philosophiæ accedere.

Sed enim, sicut de virtute, ita de vera Poesi, nullo non tempore dicendum erit illud,

ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
ἀθάνατοι· μακρός τε καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτήν.

Qui autem istum laborem oderint, poterunt quidem illi oculis captare tenuem quandam umbram Poeseos, sed vereor an nunquam animo formam ipsam faciemque ejus attingant. Quare, sicut in justa Allegoria, Spensero quoque ipso artifice, cito lan-

guent ac fastidiunt; ita ne in aliis quidem carminibus, quorum sedulo præ se ferunt amorem, crediderim eos ad ipsos pervenisse fontes, sed rivulos tantum, ut ait Cicero, consectari. Contra, qui Homerum, verbi causa, vel Æschylum recte sapiunt, si minus iisdem placet Spenserus noster, quærenda est utique alia causa offensionis, præter eam solam, quam vitio ei vertunt, continuatæ Allegoriæ formam. Illud certe perspicuum est, non obstitisse per Allegoriam, quin mirifice delectarentur plerique nostratium ejus libri lectione, quo ad Viatoris similitudinem pie sancteque vivendi ratio exigitur [a].

Sive igitur toto poematis decursu aliud re, aliud verbis narretur, quæ propria vis est Allegoriæ; sive eum modo constituamus carminis tenorem, qui non tam rebus ipsis quam indole scribentis capiat animos; omnino videmus, duplicem fore vim et venustatem germanæ Poeticæ. Nam et argumenta ipsa carminum distincte et ornate explicantur, et opus universum moribus et affectu Poetæ, quasi quodam occulto sapore, imbuitur: atque ita quidem, ut sentiant omnes, eum ultro in verba ac voces ejusmodi, animi, non artis causa erumpere. Horum alterutrum si deest, aut manca erit Poesis, aut plane nulla; manca, ni vere ac splendide res agatur, nulla, ni sponte ex intimo Poetæ sensu erupisse videatur.

Redeamus ad Æschylum, et in Εὐμένισιν tentemus quid ea ratio valeat. Totius Trilogiæ Nodus, si forte meministis, supererat in ultima illa parte solvendus: qui Nodus in eo erat præcipue, ut inter se conciliarentur non modo affectus hominum, verum etiam Deorum immortalium sententiæ: neve

[a] *The Pilgrim's Progress.*

semper hæreremus dubii, quonam in loco habendus esset ille, qui fretus cœlesti oraculo, facinus alioqui atrox patravisset. Cujus gravissimæ quæstionis ne desit apta et certa cognitio, videmus summam hujus Tragœdiæ verti in quadam Provocatione; sicut ea, quæ proxime præcessit, solennium precum rationem ferme habuit. Et quoniam ista appellatio non simplex erat futura, quippe quæ pertineret non ad Orestem solum, vel siquis alius tunc temporis capitis forte reus esset, sed ad eas etiam controversias, quibus gravissima Deorum hominumque jura continerentur; ideo videmus cursum fabulæ, Oreste absoluto, minime finiri. Quod nisi Minerva Furiis quoque ipsis, vel lite amissa, probavisset aliquando curiæ suæ sententiam, necesse erat pendere animi lectores, discedentibus adhuc in contraria Diis.

Ac credibile est, etiam in tripartito illo Prometheo tale aliquid cavisse Æschylum. Nam et ibi, sicut antea docuimus, caput erat, certare inter se duas quasi Deorum familias. Sed iniqua tempora nobis inviderunt ejus nodi solutionem, perdita jamdiu laudati operis una atque altera parte. Quo meliore fato accidit, ut integra adhuc frueremur Ὀρεστείας serie, ne cui veniat in dubium Æschyli nostri sancta et pia mens; qui non, ut cæteri, satis habuit, ad optatum exitum perduxisse Pelopidarum fortunas; quin longe majorem in eo posuit operam, ut illæsa servaretur tum majestas Deorum, tum omnium quasi concentus et concordia; neve in errore vagarentur animi mortales, aut incerto rectore aut nullo.

Ipse vero cursus ac tenor Poematis docet, ni fallor, Æschylum ægerrime ex hisce difficultatibus se explicare potuisse. Ac novimus plane, nulla re gravius torqueri angique religiosum ani-

mum, quam scrupulis, siqui inciderint, nondum exemptis de æquitate Summi Numinis.

Æschylum autem fuisse participem sancti istius et honesti doloris, vel eo credibile fit, quod is in extremum plane discrimen, dedita opera, rem adduxit. Nempe usque ad aras, quod aiunt, prosequitur Orestem vindex Furiarum caterva. Ille totus est in effugiendo, et jam jamque elabitur, quasi quædam fera, tenuissimo intervallo temporis, de venantium manibus. Neque facile putaverim legi posse *πάροδον* illam horrendi Chori, sine anhela quadam sollicitudine, qualis occupare solet animos oculosque, sub ipso aspectu persequentium et elabentium. Id quod optime expressit Poeta, vel ipso scenæ apparatu, quo tempore primum tolluntur aulæa, visis palam intus in adyto quæ verbis prius adumbraverat *προλογίζουσα* Pythia[b],

> *ἐπ' ὀμφάλῳ μὲν ἄνδρα θεομυσῆ*
> *ἕδραν ἔχοντα, προστρόπαιον, αἵματι*
> *στάζοντα χεῖρας, καὶ νεοσπαδὲς ξίφος*
> *ἔχοντ', ἐλαίας θ' ὑψιγέννητον κλάδον....*
> *πρόσθεν δὲ τἀνδρὸς τοῦδε θαυμαστὸς λόχος*
> *εὕδει γυναικῶν ἐν θρόνοισιν ἥμενος.*

Atque hoc in loco videte judicium Æschyli. Nimirum ubi proditurum erat in oculos spectaculum præter solitum immane et atrox, præmonuit homines quid expectare deberent, ne visas repente Furias increduli odissent. Deinde illud non ingeniosum modo, verum etiam gravissimo affectu plenum, quod multo mane, quo tempore solennibus intenta sacerdos ad sua pensa accedebat, nihil omnino tale cogitans[c],—

> *εἰ παρ' Ἑλλήνων τινὲς,*
> *ἴτων πάλῳ λάχοντες, ὡς νομίζεται·*
> *μαντεύομαι γὰρ, ὡς ἂν ἡγῆται θεός·—*

[b] *Eum.* 40.

[c] *Ibid.* 31.

illo ipso tempore nihil non occurrat angore, metu, squalore, odiosum, fœdumque:

> ἦ δεινὰ λέξαι, δεινὰ δ' ὀφθαλμοῖς δρακεῖν,
> πάλιν μ' ἔπεμψεν ἐκ δόμων τῶν Λοξίου.

Ex quo intelligitur, quam id præter spem, præterque voluntatem accidere soleat, quod pii quoque gravesque viri ne in divinis quidem rebus reperire possint semper eam quam expetunt pacem: quin circa aras etiam et adyta nescio quomodo torqueantur animi, vel memoria delictorum, vel erroribus illis æstuque perpetuo propter inæqualem mortalium sortem. Quod idem nescio an vel evidentius in oculos incurrat, iterum jam insequentibus Orestem Diris, et e vestigio apparentibus in templo Minervæ. Quod si unquam ullo in loco tutum sanctumque præstare se posset aliquis, crederes periculo certe vacare fanum illud interius et secretius, hominemque latentem in ipsa non dico tutela verum etiam amplexu Deæ. Verum et ibi minimo intervallo obsessam tenent quasi venatrices feram[d].

> εἶεν· τόδ' ἐστὶ τἀνδρὸς ἐκφανὲς τέκμαρ.
> ἕπου δὲ μηνυτῆρος ἀφθέγκτου φραδαῖς·
> τετραυματισμένον γὰρ ὡς κύων νεβρὸν,
> πρὸς αἷμα καὶ σταλαγμὸν ἐκμαστεύομεν.
> . . . . ὅδ' αὖτε γ' οὐκ ἄλκαν ἔχων, περὶ βρέτει
> πλεχθεὶς θεᾶς ἀμβρότου
> ὑπόδικος θέλει γενέσθαι χερῶν·
> τὸ δ' οὐ πάρεστιν.

Putares propius accedi non posse; sed enim superest adhuc aliquid, quod terrorem non modice augeat. Non enim diras modo circumdant choreas, verum etiam magico carmine, cantuque fascinant[e]:

> ἐπὶ δὲ τῷ τεθυμένῳ
> τόδε μέλος, παρακοπὰ, παραφορὰ, φρενοδαλὶς,

[d] *Eum.* 244. [e] *Ibid.* 329.

ὕμνος ἐξ Ἐρινύων
δέσμιος φρενῶν, ἀφόρμικτος αὑονὰ βροτοῖς.

Quæ serpentis ferme illius præ se ferunt imaginem, cujus vel intuentis oculo, vel horrendo ingredientis sono, perculsas quodammodo perhibent stupere aves, faucesque in ipsas ultro se injicere.

Hæc omnia tam grandia sunt, aspicientibus vel ea sola, quæ pertinent ad ἐναργείαν, quam vocant, poeticam, ut nemo mirari debeat, apud maximam partem hominum ita laudari philosophiam Æschyli, ut negent tamen eum serio quidquam cogitasse, præter eas delicias, quas proprias esse volunt Poetarum. Qui si semel æquioribus paullo oculis perlegant vel solas hasce Nostri Eumenidas, ea mente, ut sanctius aliquod consilium abditosque sensus inesse credant operi; vix dici potest, quanto statim cumulo augebitur voluptas ea, quam unice prædicant; quantoque altius penetrabit et permanabit ad intima cordis sive ingeniosa narratio, sive numerorum jucunditas, sive similitudinum, infuso desuper quasi quodam ætherio lumine, velut in picturam alioqui satis bellam.

Recolite, quæso, animis vel unum illum versum, quo Clytæmnestra dormientes incitat Furias, velut canes, in opimam prædam[f]:

ἕπου, μάραινε δευτέροις διώγμασιν.

Videtis, ipsa quasi verba ardere; tanto cum impetu res agitur. Quod si cui venit in mentem ea significatio, quam habet gravissimam idem ille versus, acerbissimi doloris, quo premi solent homines, "occultum quatiente animo tortore flagellum;" num

[f] *Eum.* 139.

dubitamus, incremento non modico ornari vim ac fervorem profundi oris?

ἕπου, μάραινε δευτέροις διώγμασιν.

Quasi dicat, "Nulli certa pax erit, commisso semel in parentem flagitio. Fieri potest, ut ad horam requiescat animus, confisus vel sanctiore loco, vel propioris Dei favore: revertentur autem post paullo Diræ, nullis exclusæ nec locorum neque temporum spatiis."

Sed, ne circa singulos moremur versiculos; expendamus modo totius fugæ Orestis, id est, universæ hujus Tragœdiæ, rationem. Eam hic intelligo rationem, quam intus in se habet absconditam fabula; quam non male fortasse *arcanam* appellare possis. Ea tribus fere vertitur in rebus. Cum enim summa totius causæ, veluti diximus, provocatio sit quædam, videndum primo cujus ex sententia provocetur; deinde, quo auctore; postremo, ad quem.

Primo igitur, quænam sunt, quidve tandem sibi volunt istæ Eumenides, quarum hic videmus sententiam in dubium vocari? In dubium, inquam; ita tamen, ut eisdem sanctissime servetur sua reverentia; neve semel ab iis damnatos facile absolvant et in integrum restituant ne Dii quidem majores, negato prorsus assensu, veniaque ipsarum. Nimirum ea est dirarum Dearum indoles, ut facile intelligas gerere eas velut Iræ divinæ personam, qualis ea solet se præbere visendam, vel criminosis ac male feriatis hominibus, semel forte pœnitentia tactis, vel iis etiam, qui ad severiorem normam pœnas pro meritis hominum irrogare amant.

Primo, non sine gravi quadam causa tribuuntur

iis formæ odiosæ adeo ac terribiles visu[g]:

ἄπτεροι γεμὴν ἰδεῖν
αὗται, μέλαιναι δ' ἐς τὸ πᾶν βδελύκτροποι·
ῥέγκουσι δ' οὐ πλαστοῖσι φυσιάμασιν,
ἐκ δ' ὀμμάτων λείβουσι δυσφιλῆ βίαν.

Ex Choëphoris quoque novimus accessisse pervagatum illud de crine vipereo[h]:

φαιωχίτωνες καὶ πεπλεκτανημέναι
πυκνοῖς δρακοῦσιν.

Quod idem hac in Tragœdia videtur indicare minax Apollinis sermo[i]:

μὴ καὶ λαβοῦσα πτηνὸν ἀργηστὴν ὄφιν,
χρυσηλάτου θώμιγγος ἐξορμωμένην,
ἄνῃς ὑπ' ἄλγους μελάν' ἀπ' ἀνθρώπων ἄφρον.

Hoc in loco tangitur haud obscure illud, quod multis fortasse fœdius sonat et indignius quam pro incorrupta Dei Vindicis majestate, peccatoris videlicet etiam viventis sanguinem infandum in modum hauriri a Dæmonibus, sine sensu, sine strepitu[k]:

ἀντιδοῦναι δεῖ σ', ἀπὸ ζῶντος ῥοφεῖν
ἔρυθρον ἐκ μελέων πέλανον· ἀπὸ δέ σου
βοσκὰν φεροίμαν πόματος δυσπότου·
καὶ ζῶντα σ' ἰσχνάνασ' ἀπάξομαι κάτω.

Excusabit fortasse nonnemo vulgi sententiam de atrocibus ejusmodi Geniis, quam multis etiamnum regionibus exstare, immo vigere aiunt. Ac minime equidem negaverim, multum interesse, ex modulo germanæ Poeseos, utrum protulerit sua quis insomnia, an populares potius fabulas, terroris causa vel magici vel religiosi. Vix enim veri simile videtur, pervagari tota gente prodigiosam rem, nisi quæ propius quodammodo interiores verioresque sen-

[g] *Eum.* 51. [h] *Choëph.* 1049. [i] *Eum.* 181. [k] *Ibid.* 264.

sus hominum tangat. Sed Æschylum majus aliquod cogitasse quam pro nuda narratione vulgaris fabulæ, vel eo constat, quod in partem illius vindictæ veniunt etiam pœnæ post mortem expetendæ[l]:

> ὄψει δὲ, κ' εἴτις ἄλλον ἤλιτεν βροτῶν,
> ἢ θεὸν, ἢ ξένον
> τιν' ἀσεβῶν, ἢ τοκέας φίλους,
> ἔχονθ' ἕκαστον τῆς δίκης ἐπάξια.

Immo etiam ad hæc inferna, quasi ad rem omnium præcipuam, festinat quodammodo earum oratio, leviter modo, tanquam in transitu, memoratis istis vivarum victimarum epulis; quarum quoque ipsarum ea est ratio, ut facile scias dari per eas specimen animi tabescentis memoria scelerum[m]:

> οὔτοι σ' Ἀπόλλων οὐδ' Ἀθηναίας σθένος
> ῥύσαιτ' ἂν, ὥστε μὴ οὐ παρημελημένον
> ἔῤῥειν, τὸ χαίρειν μὴ μάθονθ' ὅπου φρενῶν,
> ἀναίματον βόσκημα, δαιμόνων σκία.

Videtis non tam consilio justaque lege, quam affectu animi vehementiore rem geri: quo commodius adhibeatur illa venantium canum similitudo, solennis jam ferme in hoc negotio[n]:

> ὄναρ διώκεις θῆρα, κλαγγαίνεις δ' ἅπερ
> κύων, μέριμναν οὔποτ' ἐκλίπων πόνου.

Est etiam ubi docemur, unico prorsus fungi illas pœnarum exigendarum officio, neque in aliud quidquam nasci, quam ut severe cum facinorosis agant[o]:

> κακῶν δ' ἕκατι κἀγένοντ'· ἐπεὶ κακὸν
> σκότον νέμονται, Τάρταρόν τ' ὑπὸ χθονὸς,
> μισήματ' ἀνδρῶν καὶ θεῶν Ὀλυμπίων.

Quin et ipsæ quoque cantilenis suis eam solam auctoritatem sibi vindicant, quæ versatur in sumendis suppliciis, et in tacita quadam nocentium quasi car-

[l] *Eum.* 269. [m] *Ibid.* 299. [n] *Ibid.* 131. [o] *Ibid.* 71.

nificina. Habet quidem primi carminis initium vim quandam suam *provocandi:* Noctem videlicet matrem appellant Eumenides, ne Diis junioribus, parumque severis, sinat eas ludibrio fieri [p].

> *μᾶτερ ἅ μ' ἔτικτες, ὦ μᾶτερ*
> *νὺξ, ἀλαοῖσιν καὶ δεδορκόσι*
> *ποίναν, κλῦθ'. ὁ Λατοῦς γάρ ἶνις μ' ἄτιμον τίθησι.*

Deinde docent, ita pertinere suum munus ad omnia sæcula, omnesque regiones, ut eo tamen carere possit quæcunque tandem erit civitas immunis scelerum atque criminis [q]:

> *τοῦτο γὰρ λάχος διανταία*
> *μοῖρ' ἐπέκλωσεν ἐμπέδως ἔχειν, θνατῶν*
> *τοῖσιν αὐτουργίαι ξυμπέσωσιν μάταιοι,*
> *τοῖς ὁμαρτεῖν.*

Porro disertis verbis extorres se fatentur ab epulis et a curia Superorum Deorum, neque ullo modo communicare eos secum vel honores vel consilia [r];

> *γιγνομέναισι λάχη τάδ' ἐφ' ἅμιν ἐκράνθη·*
> *ἀθανάτων δ' ἀπέχειν χέρας· οὐδὲ τίς ἐστι*
> *ξυνδαίτωρ μετάκοινος·*
> *παλλεύκων δὲ πέπλων ἀπόμοιρος, ἄκληρος ἐτύχθην.*

Postquam autem eo jam ventum est, ut Dearum quoque causa permittatur, ipsis volentibus, mortalium arbitrio, ne tum quidem Eumenides ullas sibi partes vindicare, præter eas quæ ad ultionem pœnamque pertinent. Priore cantilena jactaverant officium æterna quadam lege divinitus sibi delatum; hic queruntur, non facilem fore jacturam, sublato earum jure de rebus humanis [s].

> *νῦν καταστροφαὶ νεῶν θεσμίων. . . .*
> *πάντας ἤδη τόδ' ἔργον εὐχερείᾳ συναρμόσει βρότους. . . .*
> *οὔτε γὰρ βροτοσκόπων*
> *μαινάδων τῶνδ' ἐφέρψει κότος τις ἐργμάτων·*
> *πάντ' ἐφήσω μόρον.*

[p] *Eum.* 322. [q] *Ibid.* 335. [r] *Ibid.* 348. [s] *Ibid.* 493.

Habetis accurate expressam imaginem gravitatis illius plusquam censoriæ, qua plerumque excipiunt severiores homines veniæ patronos et indulgentiæ.

Ad summam, Furias hasce non male forsitan interpretemur ex ea parte adumbrare Deorum justitiam, quatenus videlicet ea se probare soleat leviter ac strictim intuentibus, vulgi more. Sentiunt quodammodo mundum ea lege gubernari, ut bonis bene, malis sæpius sit male: itaque non facile ferunt, sicubi vel forte vel consilio res se aliter habere videatur. Iis indignum est facinus, pœnitentem innoxii loco fore.

Diximus de iis quarum ex sententia provocatur: nunc ad auctorem provocandi, Apollinem, veniamus. Quis non videt, ejus personam documento esse non levi divinæ ἐπιεικείας et φιλανθρωπίας; Talia nempe perhibebant de Apolline veteres; per eum potissimum habere mortales familiare aliquod commercium cum Diis cælestibus, neque alium magis libere ac libenter versari etiamnum in congressibus et circulis hominum. Quippe nec deerant vetustiorum fabulæ, vel de Admeti gregibus per eum pastis, vel de dolo malo, quo Parcis aliquando illuserat [s]:

> σύ τοι παλαίας δαιμόνας καθιππάσας
> οἴνῳ παρηπάτησας ἀρχαίας θεάς.

Constat igitur, Apollinem suo more agere, quoties hac etiam in Tragœdia plus æquo faveat noxiis quoque hominibus.

Quod autem aiunt, apparere hic vestigia Theologiæ antiquioris, priscæque Deorum familiæ, quos inter et Apollinem cæterosque intercesserat invidia non mediocris: verissimum id quidem, vertiturque in eo vel præcipue tum harum fabularum tum Promethei

[s] *Eum.* 730.

οἰκονομία: non tamen ideo putandum deminui aliquid de consilio Poetæ, quo ille æstum turbamque rerum humanarum repræsentari voluit, dubia adhuc et obscura lege divinæ gubernationis. Quin potius decuit summum artificem, arripere sententiam prius vulgo receptam, et ad usus suos suæque philosophiæ trahere. Atque eam quidem rem nos antea jam tetigimus, quo tempore disputatum est de Prometheo Vincto. Nam sicut ibi dubitabatur de bonitate supremi Rectoris, propter mala quæ vocant naturalia; ita et hic non defuere, qui æquitatem ejus carperent, propter ambigua hominum officia, præmiaque et pœnas non certa lege exactas. Neque vero non omni tempore, demissa jam de cælo luce, extiterunt qui sive misericordem seu vindicem negarent esse Deum; vel ob severiora Judaicæ legis documenta, vel propter indulgentiam eam, quam præ se fert perfecta ac vera religio. Æschylus igitur, translata hac lite de familiis philosophantium in Deorum concilia et cœtus, voluit Apollinem cum Diis junioribus specimen fore lenioris illius sententiæ. Unde etiam sub adyto ejus vel ipsæ quoque Furiæ mulcentur ad tempus, fruiturque paulisper Orestes quieta statione, juxta religionem pii sanctique loci [t]:

καὶ νῦν ἁλούσας τάσδε τὰς μάργους ὁρᾷς
ὕπνῳ· πονοῦσι δ' αἱ κατάπτυστοι κόραι.

Porro expendite verba Apollinis, non ferentis earum aspectum [u],

ἔξω, κελεύω, τῶνδε δωμάτων τάχος
χωρεῖτ', ἀπαλλάσσεσθε μαντικῶν μυχῶν....
οὔτοι δόμοισι τοῖσδε χρίμπτεσθαι πρέπει·
ἀλλ' οὗ καρανιστῆρες ὀφθαλμωρύχοι
δίκαι, σφαγαί τε, σπέρματος τ' ἀποφθορὰ
παιδῶν, κακή τε χλοῦνις, ἠδ' ἀκρωνία,

[t] *Eum.* 67. [u] *Ibid.* 179.

λευσμός τε, καὶ μύζουσιν οἰκτισμὸν πολὺν
ὑπὸ ῥάχιν παγέντες· ἆρ' ἀκούετε
οἵας ἑορτῆς ἔστ' ἀπόπτυστοι θεοῖς
στέργηθρ' ἔχουσαι; πᾶς δ' ὑφηγεῖται τρόπος
μορφῆς· λέοντος ἄντρον αἱματορρόφου
οἰκεῖν τοιαύτας εἰκὸς, οὐ χρηστηρίοις
ἐν τοῖσδε πλησίοισι τρίβεσθαι μύσος.
χωρεῖτ' ἄνευ βωτῆρος αἰπολουμέναι·
ποίμνης τοιαύτης δ' οὔτις εὐφιλὴς θεῶν.

Optime hic refert eorum hominum sensus, qui nullas ne improborum quidem pœnas bene convenire cum divina clementia arbitrantur.

Sed et alia quædam sparsit hic illic Poeta, quæ Oresti provocanti magno essent solatio. Ipsius Clytæmnestræ umbra confirmat ultro, Deos Manes cum Oreste, non secum, sentire[x]:

ὡς μὲν ἔκτανον
ὄνειδος ἐν φθιτοῖσιν οὐκ ἐκλείπεται,
αἰσχρῶς δ' ἀλῶμαι· προὐννέπω δ' ὑμῖν, ὅτι
ἔχω μεγίστην αἰτίαν κείνων ὕπο·
παθοῦσα δ' οὕτω δεινὰ πρὸς τῶν φιλτάτων,
οὐδεὶς ὑπέρ μου δαιμόνων μηνίεται,
κατασφαγείσης πρὸς χερῶν μητροκτόνων.

Quo sermone tacite fatetur, digna et æqua se esse passam.

Deinde illud gravissimum, quod hic quoque, velut in Choëphoris, Patrem tacitum adesse sibi sentit Filius, ita videlicet ut animo non oculis cernatur. Hac maxime ratione præ se fert animum vel coram judicibus imperterritum[y]:

πέποιθ'· ἀρωγὰς δ' ἐκ τάφου πέμπει Πατήρ.

Potuit et illud boni ominis loco haberi, quod multas jam ante purgationes tentaverat Orestes, quam ad fores Minervæ accedere est ausus[z];

βρίζει γὰρ αἷμα καὶ μαραίνεται χερός.
μητροκτόνον μίασμα δ' ἔκπλυτον πέλει·

[x] *Eum.* 96. [y] *Ibid.* 601. *Ibid.* 280.

> ποταίνιον γὰρ ὂν πρὸς ἑστίᾳ θεοῦ,
> Φοίβου καθαρμοῖς ἠλάθη χοιροκτόνοις.
> πολὺς δέ μοι γένοιτ' ἂν ἐξ ἀρχῆς λόγος,
> ὅσοις προσῆλθον ἀβλαβεῖ ξυνουσίᾳ.

Quorum eadem ferme est ratio, atque eorum, quibus se solent erigere simplices piique homines, quæstione habita, an nullo unquam tempore delictorum veniam consequi possint. Nempe eo plerumque se recipiunt, ut non facile se credant abjici prorsus a benigno Numine, usque dum ad aras poterunt accedere, vota solvere, precibus litare. Quemadmodum fœmina illa in Libro Judicum conjugis sui metum solatur: [a]*Εἰ βούλεται Κύριος θανατῶσαι ἡμᾶς, οὐκ ἂν ἐδέξατο ἐκ τῶν χειρῶν ἡμῶν ὁλοκαύτωμα καὶ θυσίαν, καὶ οὐκ ἂν ἐφώτισεν ἡμᾶς πάντα ταῦτα.*

Idem Orestes, pendente adhuc lite, macie, errore, vigilia pœne confectus, negat tamen ulla ex parte pœnitere se quod Apollini monenti paruerit. Interrogantibus scilicet Eumenidibus, non sine contumelia[b],

> ὁ μάντις ἐξηγεῖτό σοι μητροκτονεῖν;

ita respondit, ut decuit pietate præstantem:

> καὶ δεῦρό γ' ἀεὶ τὴν τύχην οὐ μέμφομαι.

Quasi dicat, "Nullius rei non facilem sibi fore jacturam, modo propitius adsit is, cui primum se addixerit, Apollo."

Denique, quod optimo omnium foret auspicio, ipsius Orestis persona ciet non misericordiam modo, verum etiam reverentiam quandam, modestia, pietate, magnitudine animi. Mirere, quam pauca verba faciat, *πρωταγωνιστὴς* cum sit, cumque in eo solo summa Tragœdiæ ratio vertatur: quasi per eum demonstrare voluerit Æschylus, qui sermo, quive

[a] *Jud.* 13. 23. LXX. [b] *Eum.* 598.

supplicandi tenor, admisso piaculo, hominem maxime deceat. Nihil scilicet compositum, nihil fictum, nihil ad lacrymas ciendas ambitiose adornatum; gravia, casta, verecunda omnia; ne puncto quidem temporis fit immemor, se coram Numine sanctissimo loqui, propinquo vel mortis vel salutis discrimine. Quid multa? asseverat ipse Orestes, nihil omnino se agere proprio consilio, sed quasi devoto capite juravisse in verba magistri Apollinis[c]:

ὅμοια χέρσον καὶ θάλασσαν ἐκπερῶν,
σώζων ἐφετμὰς Λοξίου χρηστηρίους,
πρόσειμι δῶμα καὶ βρέτας τὸ σὸν, θεά.
αὐτοῦ φυλάσσων ἀναμένω τέλος δίκης.

His consentaneum erat, ut Apollinem adhiberet etiam coram judicibus, causæ non tam patronum (etenim patronos non ferebat severæ istius Curiæ lex,) quam *ἐξηγητὴν*, (quem vocabant), interpretem videlicet juris vel obscuri vel ambigui. Cujus quidem *ἐξηγήτου* officium, sicut et cætera quæ plurima hic habentur, pertinentia ad formulas ritusque juris Attici, mira tum doctrina tum elegantia videtur nuperrime explicuisse Germanicus hujus fabulæ interpres, Mullerus. Id certe optime congruere videtur cum rationibus illius viri, quod in ipsa lite oranda tum demum auditur vox Apollinis, ubi ventum est ad juris controversiam: de facto enim statim convenerat, confitente palam reo, se matrem necavisse[d]:

ἤδη σὺ μαρτύρησον· ἐξηγοῦ δέ μοι,
Ἄπολλον, εἴ σφε σὺν δίκῃ κατέκτανον·
δρᾶσαι γὰρ, ὥσπερ ἐστὶν, οὐκ ἀρνούμεθα·
ἀλλ᾽ εἰ δικαίως, εἴτε μὴ, τῇ σῇ φρενὶ
δοκεῖ τόδ᾽ αἷμα, κρῖνον, ὡς τούτοις φράσω.

Habemus hic sententiam, ni fallor, arctissime con-

[c] *Eum.* 240. [d] *Ibid.* 612.

junctam cum vera ac viva pietate: nempe mortalibus raro et invitis disputandum esse de legis divinæ rationibus. Ejusmodi causæ solam, si poterimus, facti controversiam adhibebimus. Sat erit nobis, Ipsum dixisse; qui tacentibus homunculis suo tempore jus suum plenissime tuebitur.

Porro magnopere minuebatur causæ invidia, translato in alium, nedum in Deum, horrendi facinoris patrocinio.

Denique eo maxime modo commonendi erant spectatores, ne putarent disceptari hodie de solius Orestis capite; scirent potius, summam gravissimarum religionum agi. Jam enim, Diis palam certantibus, ecquem præter Deum Deorum cogitamus, qui tantis litibus digne intervenire possit?

At enim, dicat aliquis, nullum ad numen fit provocatio; tantum, Minervæ consilio, Areopagitæ appellantur. Adeo nulla religione moveri aiunt hic Tragœdiæ patrem; quin aperte et palam in alia duo abire; primum, ut propriam quandam et præcipuam justitiæ laudem Atheniensibus suis conciliet; deinde ut ipsorum fidei commendet Areopagiticam illam Curiam, singularem videlicet urbis et tutelam et decus, cujus porro, sub eo ipso tempore, ruere ac labi cum maxime cœpisset auctoritas. Atque hæc quidem ita sunt veris proxima, ut religionibus tamen sacrosanctis istis, vereque Æschyleis, locum satis amplum relinquant. Quid enim, si semel iterumque, occasionem nactus propter Orestem Mycenæum, ornaverit laudibus Poeta societatem Argivorum, Athenis eo tempore vel recens initam, vel brevi certe futuram? Quid si Areopagum, quo eum ultro deduxerat ipsum susceptæ historiæ filum, divino vaticinio

in æternum dicari voluerit, temere jam tum illudentibus ei tribunitiorum hominum furoribus [e]?

ἐν δὲ τῷ σέβας
ἀστῶν, φόβος τε συγγενὴς τὸ μὴ 'δικεῖν
σχήσει, τό θ' ἦμαρ καὶ κατ' εὐφρόνην ὁμῶς,
αὐτῶν πολιτῶν μὴ 'πικαινόντων νόμους
κακαῖς ἐπιρροαῖσι· βορβόρῳ θ' ὕδωρ
λαμπρὸν μιαίνων, οὔποθ' εὑρήσεις ποτόν....
τοίονδε τοι ταρβοῦντες ἐνδίκως σέβας,
ἔρυμά τε χώρας, καὶ πόλεως σωτήριον
ἔχοιτ' ἂν οἷον οὔτις ἀνθρώπων ἔχει,
οὔτε Σκύθῃσιν, οὔτε Πέλοπος ἐν τόποις·
κερδῶν ἄθικτον τοῦτο βουλευτήριον,
αἰδοῖον, ὀξύθυμον, εὑδόντων ὕπερ
ἐγρηγορὸς, φρούρημα γῆς καθίσταμαι.

Mihi vero (id quod non semel antehac edocui) videtur id unum maxime pertinuisse ad officium Attici vatis, ut quæcunque vellet consilia cives suos ad tempus admoneri, ea contexi quodammodo curaret cum altiore aliqua doctrina, quæ ad honesta, sancta, immortalia pertineret. Quid, quod Athenis quoque suis non mediocrem addiderit laudis cumulum, cum doceret ex ea potissimum urbe manare non modo hominum verum etiam Deorum jura?

Quare, cum appellationis istius apud Eumenidas ea sit ratio, ut Deo auctore provocetur a Deorum sententia, non est cur dubitet quisquam, Deum quendam fore ad quem fiat provocatio, Deorum non hominum calculo rem permitti. Quid quæritis? Summum in hac lite judicium ne ipsi quidem Minervæ tribuitur; sed ad Patrem ejus, Jovem σώτηρα (qui dicitur) omnes universæ causæ arbitrium deferunt. Qui primum, edito velut signo supremæ illius auctoritatis, claudit Delphicorum Deorum cho-

[e] *Eum.* 693.

rum, quos suo quemque ordine veneratur Pythia, quo loco ea veluti auspicatur hanc Tragœdiam. Nempe ultimum memorat

τέλειον ὕψιστον Δία[f].

Deinde Apollo, etsi neminem appellet nomine, haud tamen obscure significat, esse qui etiam possit aliquando rationem repetere hospitis neglecti, nedum perditi[g]:

τὸν ἱκέτην, inquit, ῥύσομαι·
δεινὴ γὰρ ἐν βροτοῖσι κἀν θεοῖς πέλει
τοῦ προστροπαίου μῆνις, εἰ προδῶ σφ' ἑκών.

Profunda sane sententia, quæque videatur derivari ab excelsiore quadam philosophia: Deorum quoque cælestium commercium, vel inter se vel cum hominibus, lege quadam contineri ac dirigi; id est, (ut cum Cicerone loquar) summa ratione, quæ cum in natura sit insita, jubeat ea quæ facienda sunt, prohibeatque contraria. Quæ lex quoniam non erit inanis, neque mortua, significat Apollo, sibi quoque iram violati supplicis formidandam fore. Quid ita? Quia respicit et ille majorem imperio, tempore priorem, Deum.

Jam vero, ex quo primum ingreditur in scenam Minerva, agnoscimus, ni fallor, propiam quandam præsentiam Optimi Illius atque Maximi. Sentimus adesse augustiorem plane personam, atque, ut semel dicam, Diviniorem. Nusquam illa convitiatur; nullis utitur, ne disputando quidem, sententiarum aculeis; loquitur sermone tranquillo prorsus ac placido: quippe quæ præ se ferat æternam Summi Numinis Sapientiam.

[f] *Eum.* 28.

[g] *Ibid.* 232.

Videte an optime cum ea persona conveniat introitus ejus, delatæ in scenam vi quadam æquabili ac tacita[g]:

διώκουσ' ἦλθον ἄτρυτον πόδα,
πτερῶν ἄτερ ῥοιβδοῦσα κόλπον αἴγιδος,
πώλοις ἀκμαίοις τόνδ' ἐπιζεύξασ' ὄχον.

Cum his si componat aliquis Homericum illud de eadem Minerva dictum,

αἱ δὲ βάτην τρήρωσι πελείασιν ἴκμαθ' ὁμοίαι,

omnibus, opinor, punctis superior evadet Æschylus; vel quia paullo ineptius comparari videntur bellicosæ Divæ cum columba, mitissima avium; vel quia noster tanquam acu tetigit virile illud Minervæ, indomitum, indefessum,

ῥοιβδοῦσα κόλπον αἴγιδος.

Quo magis admirari possis, cur ea dubitet, talis cum sit, arbitrio suo statim Oresteam litem dijudicare; quæ præsertim ad eam ab utraque parte deferatur. Verum ex ejus persona declarandum erat, quam parum deceret in his quæstionibus pro re nata temerariam ferre sententiam, cum lateret ipsa veritas earum inter arcana summi Jovis. Ad Illum igitur nulla mora provocat ipsius etiam interpres; quippe cui subtilior sit causa, quam quæ supremo carere possit arbitrio; urgente ex hac parte supplicis Orestis, ex illa Dirarum Dearum religione. Nominat illa quidem civium suorum lectissimos; facile tamen intelligat aliquis, re ac veritate solum judicaturum Jovem. Is modo debebatur honos plebi Atheniensium, Minervæ alumnis, ut eorum, veluti prophetarum, ore, palam fierent Summi Numinis edicta. Etenim

[g] *Eum.* 406.

Apollo, procedente jam lite, disertis verbis Jovem appellat[h]:

> οὐπώποτ' εἶπον μαντικοῖσιν ἐν θρόνοις,
> οὐκ ἀνδρὸς, οὐ γυναικὸς, οὐ πόλεως πέρι,
> ὃ μὴ 'κέλευσε Ζεὺς 'Ολυμπίων πατήρ.

Diligentius ea considerate, quibus ista clauditur oratio,

> βούλῃ πιφαύσκω δ' ὕμμ' ἐπισπέσθαι πατρός·
> ὅρκος γὰρ οὔτι Ζηνὸς ἰσχύει πλέον.

En gravissimum veræ pietatis documentum; ne juratis quidem hominibus dicendum ex animi sui sententia, siqua ratione satis constet, adversam fore sententiam Jovis.

Quin et Orestes, judicata jam causa, ita Minervæ et Apollini gratias agit, ut Jovem tamen præcipuo ac proprio nomine σωτῆρα sibi vindicare videatur[i]:

> 'Αργεῖος ἁνὴρ αὖθις, ἔν τε χρήμασιν
> οἰκεῖ πατρῴοις, Παλλάδος καὶ Λοξίου
> ἕκατι, καὶ τοῦ πάντα κραίνοντος τρίτου
> Σωτῆρος, ὃς πατρῷον αἰδεσθεὶς μόρον
> σώζει με, μητρὸς τάσδε συνδίκους ὁρῶν.

Denique Pallas ipsa non alia magis ratione demulcet iratas ob litem perditam Furias, quam quod ita Jovi placuerat; cujus edicto standum erat utcunque omnibus, etsi nullo pacto perspectum haberent, quonam is jure, quave ratione decrevisset[k];

> ἀλλ' ἐκ Διὸς γὰρ λαμπρὰ μαρτύρια παρῆν.

Quod siquis etiamnum indigne se pati existimet, sciat tamen ille, quod semel Jovi sit ratum, id nullis opinionum commentis neque deleri posse ne-

[h] *Eum.* 619. [i] *Ibid.* 760. [k] *Ibid.* 800.

que mutari; suo periculo facere, quisquis eat obviam[1]:

> κἀγὼ πέποιθα Ζηνί· καὶ—τί δεῖ λέγειν;—
> καὶ κλῇδας οἶδα δωμάτων μόνη Θεῶν,
> ἐν ᾧ κεραυνός ἐστιν ἐσφραγισμένος.

Nescio an nemini usquam Poetarum exciderit vox minarum plena, tanta gravitate, tantaque sapientia. Virgilianum certe illud, "Quos ego," non vereor ne quisquam componere audeat. Illud autem multo majus, quod uno hoc Palladis sermone continetur quodammodo trium fabularum solutio. Nempe, quicquid Oreste fiat, vel eo declaratur causæ ejus æquitas, quod favet ei summus omnium Pater.

Itaque ut uno verbo summam totius rei repetam; litigantibus inter se Diis, hinc severis, illinc benignis, nullum Prudentia, ne divina quidem, invenire potest ejus controversiæ finem, nisi ut constanti et æquo animo ad infinitam Numinis potentiam omnes se recipere velint. Qui cum omnia, quæ velit, possit, omnique felicitate uberrime semper diffluat, non est quare quidquam, ullo tempore, præter fas et jura definiat. Adeo quæ formula in rebus humanis pertinet ad solos tyrannos, "Hoc volo, sic jubeo," eandem in divinis non modo ferre debemus, verum etiam toto quod aiunt pectore amplecti.

En vobis caput primarium Æschyleæ Theologiæ; quod velim equidem conferat aliquis cum ea parte Librorum Sacrosanctorum, qua proxime tangi videmus leges juraque ejus pietatis, qualiscunque tandem erat, qua veteres Philosophi fruebantur. Intelligo Librum Job; quem unum videmus accommodari ad eos qui carent certa Numinis lege. Nonne ita dis-

[1] *Eum.* 829.

putatur in eo libro de iniqua conditione vivendi, ut redeat demum res omnis ad unius Gubernatoris arbitrium? quem cum *omnia posse* fatearis, concedas oportet, *nihil iniqui eum velle.*

Quod autem Minerva, calculum addens Oresti, suas quasdam rationes subjecit [m]:

> *μητὴρ γὰρ οὔτις ἐστιν, ἥ μ' ἐγείνατο.*
> *τὸ δ' ἄρσεν αἰνῶ πάντα, πλὴν γάμου τυχεῖν,*
> *ἁπάντι θύμῳ, κάρτα δ' εἰμὶ τοῦ πατρός.*
> *οὕτω γυναικὸς οὐ προτιμήσω μόρον*
> *ἀνδρὰ κτανούσης δωμάτων ἐπίσκοπον·*

nolite putare tantam rem tam levi argumento pendere. Non rei summam explicat his Minerva, tantum admonet quid sibi sit in causa, cur fœmineo careat affectu, neque ulla ex parte cum matre occisa sentiat. Ex quo efficitur, sapientiam illam, quæ Diis cognata sit et simillima, virilem quandam fore, castam, severam, qualem nihil unquam de gradu possit dejicere: nunquam efficietur, sine Diis quidquam eam agere.

Sed ex tribus illis veluti Deorum ordinibus quomodo constet gravissimæ provocationis ratio, satis jam expositum esse videtur. Quod superest: quoniam hac causa ceciderat gravior et austerior pars, cavendum erat, ne forte deminueretur aliquid de earum honore. Non enim voluit Æschylus Numen benignum de Numine severo triumphare, sed unam eandemque reperiri omnium Numinum vim mentemque in re sanctissima. Itaque, Oreste absoluto, non statim premuntur aulæa. Etenim placandæ erant Erinnyes, non solum propter urbem, agrosque, sed multo magis propter vitam moresque hominum; ne se quisquam pium bonumque fore credat unquam

[m] *Eum.* 739.

sine sancto ac sobrio timore. Ac videte, quam prudenter ad iras earum placandas accedat Minerva[n].

> *ἐμοὶ πιθέσθε μὴ βαρυστόνως φέρειν·*
> *οὐ γὰρ νενίκησθ', ἀλλ' ἰσόψηφος δίκη*
> *ἐξῆλθ' ἀληθῶς, οὐκ ἀτιμίᾳ σεθεν.*

Quasi dicat, vel propter paria suffragia intelligi debere, quam res fuerit in dubio: quod ipsum non negligentiæ sed honoris significationem habet. Pergit deinde hospitio invitare[o]:

> *ἐγὼ γὰρ ὑμῖν πανδίκως ὑπίσχομαι,*
> *ἕδράς τε καὶ κευθμῶνας ἐνδίκου χθονὸς*
> *λιπαροθρόνοισιν ἡμένας ἐπ' ἐσχάραις*
> *ἕξειν, ὑφ' ἀστῶν τῇδε τιμαλφουμένας.*

Hæc e contraria parte respondent iis, quibus initio sua munera Chorus enarraverat[p]:

> *ἄτιμ' ἀτίετα. . . . . .*
> *λάχη θεῶν διχοστατοῦντ' ἀνηλίῳ λάμπᾳ,*
> *δυσοδοπαίπαλα δερκομένοισι καὶ δυσομμάτοις ὅμως.*

Videlicet, quæ prius omni regione vagabantur, venationibus diris intentæ, iis jam certam Minerva pollicetur domum, jusque, ut ita dicam, civitatis Atticæ.

Iterum, minas ingerentibus eadem formula, qui mos est stomachantibus, præsertim grandioribus natu, auget promissa, desideratissimo cumulo societatis suæ et cæterorum Deorum[q]:

> *κοίμα κελαίνου κύματος πικρὸν μένος,*
> *ὡς σεμνότιμος καὶ ξυνοικήτωρ ἐμοί·*
> *πόλλης δὲ χώρας τῆσδ' ἔτ' ἀκροθίνια,*
> *θύη πρὸ παίδων καὶ γαμηλίου τέλους,*
> *ἔχουσ' ἐς αἰεὶ τόνδ' ἐπαινέσεις λόγον.*

Habemus et hic *ἀντίστροφα* eorum quæ de se cecinerant Furiæ[r]:

> *γιγνομέναισι λάχη τάδ' ἐφ' ἁμὶν ἐκράνθη·*
> *ἀθανάτων δ' ἀπέχειν χέρας, οὐδέ τις ἐστὶ*

[n] *Eum.* 797. [o] *Ibid.* 807. [p] *Ibid.* 388. [q] *Ibid.* 835.
[r] *Ibid.* 348.

ξυνδαίτωρ μετάκοινος·
παλλεύκων δὲ πέπλων ἀπόμοιρος, ἄκληρος ἐτύχθην.

Nimirum, extorres prius e civili vita, nunc ordinibus Atticis quodammodo adscribuntur: quæ prius meram exercuerant carnificinam, nunc vel lætas conciliabunt nuptias, vel parturientibus fausto ac feliciter aderunt. Ne multa: pacto eo convenit, ut ab hoc usque tempore nomine sint Inferi atque Dæmones, re ac veritate cum Diis censeantur Olympicis.

Ea maxime re contineri vim universam hujus Tragœdiæ viderunt veteres quoque Grammatici; qui plerique summam ejus ita conficiunt, ut hanc curiosius adhibeant clausulam, τὰς δὲ Ἐριννύας πραΰνας προσηγόρευσεν Εὐμενίδας. Non quo nomen ipsum Eumenidum legatur in ulla parte ipsius Tragœdiæ: σεμναὶ quidem θεαὶ, quod idem valet, semel atque iterum appellantur. Sed de nomine nihil interest: id unice tenendum, Erinnyas, mitigata indole, assumi jam in Ejus imperii subsidium, qui unus omnia temperat: itaque nullam neque domum neque rempublicam bene geri, quæ neget his proprios honores [s]:

ἐκ τῶν φοβερῶν τῶνδε προσώπων
μέγα κέρδος ὁρῶ τοῖσδε πολίταις.
τάσδε γὰρ εὔφρονας εὔφρονες ἀεὶ
μέγα τιμῶντες, καὶ γῆν καὶ πόλιν
ὀρθοδίκαιον
πρέψετε πάντες διάγοντες.

Denique hæc omnia Æschylus, suo more, comprobari curat non aurium modo verum etiam oculorum judicio; deductis Eumenidibus solenni pompa cum facibus accensis et sacro carmine, de Acropoli in suam ædem, sive mavis speluncam appellare, proxima in valle. Adeo, ipso jam fine Poematis, exacto demum

[s] *Eum.* 993.

curarum scelerumque orbe, redire voluit animos in eam tranquillitatem, qua primum erat exorsus. Utrinque Deorum tutelam, Jovis præsertim O. M. velut unam solam viam salutis adhibuit. Ibi, preces Graiorum ad Delphos supplicantium exceperat, præter cæteros, τέλειος ὕψιστος Ζεύς: Hic[t],

Παλλάδος ὑπὸ πτέροις
ὄντας ἅζεται Πατήρ.

Videtis, velut in cantu et fidibus, sic in nobilissima hac sive Poetica sive Philosophia, bene claudi melos eadem voce, quæ principio silentium ruperat:

ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα καὶ ἐς Διὰ λήγετε Μοῖσαι.

[t] *Eum.* 1004.

PRÆLECTIO VIGESIMA TERTIA.

Expenduntur quæ habet Æschylus ad indolem muliebrem pertinentia, partim ex Ius persona in Prometheo Vincto, maximam partem e Supplicibus.

NON defuere vel antiquis temporibus vel etiam nostris, Academici, qui Æschylo nostro negarent omnino teneriores animi sensus, totumque id genus scribendi, quod in fœmineo affectu atque in domesticis versatur negotiis, curisque. Illud erat, opinor, quod Athenienses quidam, judices sane selecti, vertebant ei vitio; minime tangi ab eo locum illum, qui plerisque uberrimus videtur, de infaustis mulierum amoribus. Nimirum ipse sibi plaudit apud Aristophanem Æschylus[a],

οὐ μὰ Δί', οὐ Φαίδρας ἐποίουν πόρνας, οὐδὲ Σθενοβοίας,
οὐδ' οἶδ' εἰς ἥν τιν' ἂν ἐρῶσαν πώποτ' ἐποίησα γυναῖκα.

Quod contra Euripides, personam, credo, gerens eorum, qui audacia magis quam sapientia dominabantur tunc temporis in Attico Theatro,

μὰ Δί', οὐ γὰρ ἐπῆν τῆς 'Αφροδίτης οὐδέν σοι.

[a] *Ran.* 1075.

Castior videlicet ac severior erat Æschyli Pythagorici Musa, quam quæ satis placeret voluptariis istis auribus.

Sed mirari soleo, quo tandem fato acciderit, ut eadem veluti macula offenderetur laudatissimus ille recentioris Criticæ Antistes, quem in his rebus oracula fundentem merito veneratur sua Germania. Schlegelium dico, qui Æschylum, disertis verbis, velut immanem quendam ac prope Cynicum, ablegari voluit a Musis istis mollioribus.

Atqui in hoc argumento exemplis fortasse haud male supersedeat aliquis, cum satis per se res ipsa doceat, vix fieri posse ut strenue cum fortibus, cum religiosis pie sentiat quivis Poetarum, frigeat vero in iis rebus, quæ ad ingenuarum mulierum laudem pertinent. Etenim virtutum omnium humanarum eadem ferme ratio est, etiam in genere diversissimo. Mire quodammodo inter se consentiunt militum, virginum, sacerdotum dignitas et pudor: ne forte arbitremini, qui pleno ore tradiderit drama illud Thebanum, Ἄρεος μεστὸν, eum prorsus fore alienum a genere hoc delicato ac tranquillo.

Verum enimvero vel unius Iphigeniæ satis habeat aliquis nominare nomen, quo Æschylum ab iniqua suspicione tueatur. Dicam audacius: nemo unquam Poeta, ne apud eos quidem, qui vel opinione avita, vel sacrosancta edocti philosophia, inesse sanctum aliquid ac providum fœminis putant:—nemo, inquam, omnium neque dulcius neque verius expressit affectus, suavissimos illos quidem, sive filiæ, sive sponsæ, seu denique (quod negant isti calumniatores) ingenuæ mulieris.

"At enim Noster non ut Euripides ornavit Iphigeniæ casum justa fabula: tantum uno solo carmine,

et brevissimo quidem, posterorum memoriæ commendari eam voluit." Quid autem, si doceo, Æschyleam Poesin, quantum quidem ejus non invidit nobis temporis injuria, magnam partem verti in ipso illo genere, quod ad Æschylum pertinere sagaces isti prorsus negant? Quid si fœminarum illustrium laudes ea cura tentavit alumnus ille Martis, ut facile videres, sensisse eum cum Aristotle, [b]Ὅσοις τὰ γυναικῶν φαῦλα, σχέδον τὸ ἥμισυ τῆς πόλεως οὐκ εὐδαιμονεῖ;

Ac missas facio quas habent ejusmodi personas fabulæ jam ante a nobis explicatæ et excussæ; Cassandram dico, Atossam, Electram: videamus an una sufficiat hanc rem indagantibus Io cum progenie sua, qualem nobis depinxit Æschylus partim in Prometheo Vincto, maximam vero partem in suavissimis illis Supplicibus. Etenim quisquis arrectiore paullum animo expendere velit utramque Tragœdiam, illi minime dubium erit, Scriptori, quo tempore Ἱκετίδας adornabat, venisse in mentem pristini sui laboris; nec sine dulcedine quadam, ut assolet, incurrisse eum quasi in vestigia per se dudum solo impressa. Illud vero majus, quod non modo fabulosam narrationem, verum etiam ἦθος, quod vocant, et θεολογίαν Promethei, quod ad Io attinet, complere videntur Ἱκέτιδες. Nempe eo, ni fallor, pertinent ejus in fabula priore partes, ut clare doceant Virgilianum illud, de miseris ægrisque mortalibus. Quæ summa fuerat primarum Tragœdiæ partium, Promethei videlicet ipsius, pœnas luentis propter nimium humani generis studium; eandem ferme docet et Io de vivendi conditione sententiam; imminere utcunque

[b] *Rhet.* i. 5. 5.

Νέμεσιν quandam iis hominibus, qui spirant audacius aliquid; sive, ut Prometheus, ratione et via subsidia communi inopiæ quærunt; sive, ut Io, aurea sibi fingunt insomnia; qui mos est plerisque, ineuntis ætatis inscientia.

Ita duplex quodammodo aperit se campus ærumnarum, quibus maxime Tragedia continetur. Præ cæteris premit inclementia Deorum, hinc ingeniosos, illinc spe et ætate fervidos; hinc virili præditos indole, illinc fœminea; hinc ambitiosa somniantes, illinc quieta. Ac de Prometheo quidem diximus; quem specimen fore voluit Poeta miseriæ illius philosophicæ et civilis. Nunc de Io disputandum, ea mente, ut primum constare videatur ea quam dicimus ratio illius personæ; deinde ne lateat nos Æschyli prudentissima pietas, sedulo mitigantis in ejus quoque causa, tanquam prius in Prometheo, siqua de summo Jove querela sonaverit forte asperior et invidiosior.

Atque indolem quidem errabundæ virginis unus omnium maxime declarabit ipsius sermo, coram Nymphis narrantis initium exsilii sui [c].

> ἀεὶ γὰρ ὄψεις ἔννυχοι πολούμεναι
> εἰς παρθενῶνας τοὺς ἐμοὺς, παρηγόρουν
> λείοισι μύθοις· ὦ μέγ᾽ εὔδαιμων κόρη,
> τί παρθενεύει δαρὸν, ἐξόν σοι γάμου
> τυχεῖν μεγίστου; Ζεὺς γὰρ ἱμέρου βέλει
> πρὸς σοῦ τέθαλπται, καὶ ξυναίρεσθαι Κύπριν
> θέλει· σὺ δ᾽, ὦ παῖ, μὴ ᾽πολακτίσῃς λέχος
> τὸ Ζηνὸς, ἀλλ᾽ ἔξελθε πρὸς Λέρνης βαθὺν
> λειμῶνα, ποίμνας βουστάσεις τε πρὸς πατρὸς,
> ὡς ἂν τὸ Δῖον ὄμμα λωφήσῃ πόθου.
> τοιοῖσδε πάσας εὐφρόνας ὀνείρασι
> ξυνειχόμην δύστηνος.

[c] *Prom.* 646.

Ecquis neget, ad eandem fere normam componi posse sexcentorum sive adolescentium sive etiam puellarum annales? qua ætate solent plerique efferri spe et cupidine in majora omnia ac splendidiora, quam pro modulo humani generis, nedum pro sua mediocritate.

Quod autem finxit Æschylus allici eam in prata Lernæa, in pascua et ovilia patris Inachi; nescio sane an illud significare voluerit, quod habent molestissimum perturbatæ juvenum mentes; insinuare se videlicet miris modis novam eam perturbationem in loca ipsa, quæ maxime sint cuique familiaria et grata, vel consuetudine pueritiæ vel memoria propinquorum.

Porro videte, quam penitus insideant cogitationes istæ in intimis misellorum cordibus. Eadem scilicet Io, longo post tempore, cruciata et pœne confecta erroribus, venit sciscitatum Dodonæi Jovis oracula[d]:

> ἵνα
> μαντεῖα θᾶκός τ' ἐστὶ Θεσπρωτοῦ Διός,
> τέρας τ' ἄπιστον, αἱ προσήγοροι δρύες·
> ὑφ' ὧν

(sic ipsam alloquitur vates)

> σὺ λαμπρῶς κ' οὐδὲν αἰνικτηρίως
> προσηγορεύθης ἡ Διὸς κλεινὴ δάμαρ
> μέλλουσ' ἔσεσθαι· τῶν δὲ προσσαίνει σέ τι.

Brevissime et acutissime tetigit, dimidio versiculo, mirandam sane rem: adamari quodammodo a talibus ægritudinem suam. Agnovere cœcam et inanem spem, acerbissimi doloris comitem; ea tamen neque facile carent, neque non avide captant tenues ejus quasi reliquias, longo intervallo iterum semel visas.

[d] *Prom.* 829.

Venio nunc ad pœnarum genus, quas duplices luebat infelix temerariæ spei. Primo, æstro percita jactabatur circa maria omnia ac regiones, nullo furoris spatio, nulla requie. Ex quo nescio an documentum nos capere voluerit Poeta, quanta vi terrorum, cupidinum, ægritudinum agitari soleant illi, qui semel ultra quod fas est animis votisque cœperint efferri. Qui error simillimus est veræ dementiæ, tum alioqui, tum ex hac quoque parte, quod haud obscure præsentiunt homines, quo ferantur, quidve se fiat; fato quodam, sui impotentes rapiuntur. Hoc illud est, quod non alii, sed insanienti ipsi puellæ tribuuntur ista, ardentissima sane, quibus insania describitur[e]:

ὑπό μ' αὖ σφάκελος καὶ φρενοπληγεῖς
μανίαι θάλπουσ', οἴστρου δ' ἄρδις
χρίει μ' ἄπυρος·
κράδια δὲ φόβῳ φρένα λακτίζει·
τροχοδινεῖται δ' ὄμμαθ' ἐλίγδην·
ἔξω δὲ δρόμου φέρομαι, λύσσης
πνεύματι μάργῳ, γλώσσης ἀκρατής·
θόλεροι δὲ λόγοι παίουσ' εἰκῆ
στυγνῆς πρὸς κύμασιν ἄτης.

Et quis non admiratus est voces ac verba amentium, quomodo ea non certa lege, suis tamen contineantur limitibus, neque ullo tempore longius abeant ab origine mali, quæcunque tandem ea fuerit? Quo miserabilior ac tetrior esse videatur sors eorum, qui, velut Io, hic illic, a turbidis curis et angoribus, amentium fere modo, feruntur.

Neque vero non horrendo carmine deprecatur calamitosa virgo *εἴδωλον* illud 'Αργοῦ *γηγενοῦς*, quæ

[e] *Prom.* 877.

pars erat altera supplicii divinitus in se immissi[f],

> ἄλευ', ὦ δᾶ· φοβοῦμαι
> τὸν μυριωπὸν εἰσορῶσα βούταν.
> ὁ δὲ πορεύεται δόλιον ὄμμ' ἔχων,
> ὃν οὐδὲ κατθάνοντα γαῖα κεύθει.
> ἀλλά με τὰν τάλαιναν
> ἐξ ἐνερῶν περῶν κυνηγετεῖ·
> πλανᾷ τε νῆστιν ἀνὰ τὰν παραλίαν ψάμμον·
> ὑπὸ δὲ κηρόπλαστος ὀτοβεῖ δόναξ
> ἀχέτας
> ὑπνοδόταν νόμον.

Nimirum oculis minime fallendis obsideri se somniatur omni tempore, cœcis desideriis ultra modum semel abrepta. Non solum piget, verum etiam pudet, vel sola cogitandi nimia licentia peccasse: pudet, inquam, Deorum hominumque; immo etiam locorum ipsorum, quasi sint et ipsi vel criminis vel dementiæ certe conscii. Quare ex hac quoque parte credibile fit, eam consulto puellæ isti tribui ab Æschylo nostro personam, quæ ponat ante oculos fortunas adolescentiæ, pudicæ quidem illius et ingenuæ, sed fervidæ nimis, et inanibus intentæ votis.

Ne vero suspicetur aliquis, nostra nos modo commenta venditare, video tale aliquid Horatio quoque placuisse, sobrio sane judici, minimeque inepto. Qui cum famam plerumque sequi jubeat, quod attinet ad mores eorum qui in scenam mittuntur, exempli loco adhibet præter cætera nostram hanc Io, quam *vagam* quoque appellat[g].

> Sit Medea ferox invictaque, flebilis Ino,
> Perfidus Ixion, Io *vaga*, tristis Orestes.

"Sit," inquit, "Io vaga." Quorsum illud? Omnis de ea narratio meris erroribus continetur: uti, si sit modo

[f] *Prom.* 570. [g] *De Art. Poet.* 123.

Io, vaga plane non esse non possit. Sed Horatius, credo, *vagam* intelligit non tam locis quam moribus ac vivendi ratione: alioquin haud bene conveniret ejus mentio cum cæteris, quos modo nominari audistis: quorum hic perfidus, ille tristis, altera ferox et invicta, omnes ab indole non a fortunis appellantur. Præterea cum nemo, quod sciam, Tragœdus, præter Æschylum, de Inachia puella cecinerit; vix dubitem quin ad ejus Promethea respexerit Horatius, cum illud præceptum ederet. Quidni igitur, tanto auctore freti, audacter affirmemus, vagam istam puellam adhiberi potuisse ab Æschylo, documenti loco, qua sint conditione juniores, accensis in præalta ac vetita animis?

Non quo putem, miserandæ virgini notam turpitudinis alicujus inuri debere. Quippe spargi video in ejus sermones indicia non dubia pudoris vere fœminei. Primo quod in auribus vel amicissimis invita deponit quasi onus ærumnarum suarum[h]:

καίτοι καὶ λέγουσ' αἰσχύνομαι
θεόσσυτον χειμῶνα, καὶ διάφθοραν
μορφῆς, ὅθεν μοι σχετλίᾳ προσέπτατο.

Atqui narranti nulla prorsus hærebat infamia; tantum nescio qua religione refugiebat animus, oculorum et lucis impatiens.

Deinde ubi cursum prosequitur infausti illius amoris, an somnii dicam, narrat se, qua decuit modestia piam et pudicam filiam, nihil omnino celasse patrem[i]:

πάσας εὐφρόνας ὀνείρασι
ξυνειχόμην δύστηνος, ἔς τε δὴ πατρὶ
ἔτλην γεγωνεῖν νυκτίφοιτ' ὀνείρατα.

Neque id abhorret a religioso pudore, quod deflendo

h *Prom.* 643. i *Ibid.* 656.

insaniam suam non acerbos adeo detestatur dolores, quam indignum habet facinus, impotentem se fieri linguæ suæ, verbisque inconditis inepte ac temere efferri [k]:

θολεροὶ δὲ λόγοι παίουσ' εἰκῆ
στυγνῆς πρὸς κύμασιν ἄτης.

In his fortasse nonnihil adjuvabit, si componas virgineos fletus cum Prometheo indignante ac minas spirante [l]:

τί ποτέ μ', ὦ Κρόνιε παῖ,
τι πότε ταῖσδ' ἐνεζεύξας εὑρὼν
ἁμάρτουσαν ἐν πημοναῖσιν;

Peccasse se minime dubitat; scire modo velit, quod fuerit peccandi genus. Pergit adeo:

πυρὶ φλέξον,
ἢ χθονὶ κάλυψον, ἢ ποντίοισιν
δάκεσι δὸς βορὰν, μηδέ μοι
φθονήσῃς εὐγμάτων, ἄναξ.

Videtisne permitti Superis modum quoque pœnæ? id tantum enixe rogat, ut talis sit, quæ ad finem aliquem vergat, neve sibi discurrendum sit, infinito tempore, toto orbe terrarum. Abit itaque in alia omnia atque Titan ille *αὐθάδης* et inexorabilis; ut non male crederes, dari per eam specimen muliebris patientiæ, per illum, fortitudinis masculæ et invictæ.

Ejusdem ferme notæ sunt ista, quæ vel Prometheo semel cognito facile fidem adjunxisse eam narrant, vel in formidine sua et angore, non sine misericordia vidisse eum, talem virum, tetra adeo perpessum. Principio, audito patris Inachi nomine [m],

πῶς δ' οὐ κλύω τῆς οἰστροδινήτου κόρης,
τῆς Ἰναχείας;—

[k] *Prom.* 884. [l] *Ibid.* 579. [m] *Ibid.* 591.

obstupescit illa quidem, sed vix satis fidit loquenti[n]:

> τίς ἄρα μ', ὦ τάλας,
> τὰν ταλαίπωρον ὧδ'
> ἔτυμα προσθροεῖς;
> .... ἀλλά μοι τορῶς τέκμηρον,
> ὅ τι μ' ἐπαμμένει
> παθεῖν, τί μὴ χρή· τί φάρμακον
> νόσου, δεῖξον, εἴπερ οἶσθα·—

mox autem, solo nominante se Prometheo, plenam in eo fiduciam illico reponit. Misericordia quoque tacta, de ejus ærumnis vel prius doceri vult, quam de sui exsilii termino[o]:

> ὦ κοινὸν ὠφέλημα θνητοῖσιν φανείς,
> τλῆμον Προμηθεῦ, τοῦ δίκην πάσχεις τάδε;

Quod utrumque videtis puellaris esse ἀφέλειας.

Hæc habui, cur Inachiæ puellæ consulto tribui conjicerem eas partes, quæ maxime declarare possint ægritudinem illorum, qui sive juvenes sive animo prorsus juvenili spe quadam longinqua ac vaga se abripi sinunt. Ex quo efficitur, per fortunas quoque ejus repræsentari fortasse Superorum consilium, quo nimiæ cupidines solent utcunque resecari. Tædet videlicet infiniti erroris, pudet intuentium tot tum Deorum tum hominum. Usque eo tamen inquieti et anxii vagantur, donec adhibeatur medica manus Numinis, veterem jam morbum simplice tactu pellentis. Cujus rei significationem habet minime temnendam clausula illa fabulæ, qua perhibent Io, sive Isin potius appelles, ad eum finem exerceri devio itinere, quoad fatalem locum adveniat, sacrosanctum illum quidem, ut qui situs sit ad oram Ægypti, sacratæ olim regionis: quo in loco jubetur expectare Jovem[p].

> ἔστιν πόλις Κάνωβος ἐσχάτη χθονὸς,
> Νείλου πρὸς αὐτῷ στόματι καὶ προσχώματι·
> ἐνταῦθα δή σε Ζεὺς τίθησιν ἔμφρονα.

[n] *Prom.* 596. [o] *Ibid.* 614. [p] *Ibid.* 845.

attendite hic, quæso, modum curationis—

ἐπαφῶν ἀταρβεῖ χειρὶ, καὶ θίγων μόνον.

Quorsum hæc, nisi ut intelligant homines, nullo nisi pio castoque amore seu Deorum sive mortalium compesci unquam vehementiores affectus, et juvenilium animorum errorem? Sed pergit, augurio felicissimo, vates:

ἐπώνυμον δὲ τῶν Διὸς γεννημάτων
τέξεις κελαινὸν Ἔπαφον, ὃς καρπώσεται
ὅσην πλατύρρους Νεῖλος ἀρδεύει χθόνα.

Satis, credo, apparet Epapho isti longe aliam originem assignari, atque vulgo eorum, quos filios filiasque tribuit summo Jovi impia veterum pietas: quippe qui tactu, ut diximus, simplice, et halitu divini oris nascatur. Atque in eo miraculo mire sibi placuisse Æschylum testantur iterum iterumque repetitæ ejus laudes apud Ἱκετίδας. Appellat ibi Chorus Heroa illum avitum [q],

ἶνιν ἀνθονομούσας προγόνου βοὸς ἐξ ἐπιπνοίας Ζηνός.

Tum addunt, fatale tempus, sive ut cum Pindaro loquar, κύριον μῆνα, postquam parturienti supervenisset, vim divinæ tactionis bono eventu comprobasse:

ἔφαψιν ἐπωνυμίᾳ
δ' ἐπεκραίνετο μόρσιμος αἰὼν
εὐλόγως,
Ἔπαφόν τ' ἐγέννασε·

pudoris videlicet intemerati castique amoris incredibile documentum. Nullis ambagibus rem ipsam declarat Chorus, qualem a majoribus acceperat [r]:

καὶ Ζεύς γ' ἐφάπτωρ χειρὶ φιτεύει γόνον.

Sed longe dulcissima sunt, quæ idem postea Chorus

[q] *Sup.* 43. [r] *Ibid.* 318.

immiscet precibus, Jovem, ut fit, fatigantes memoria pristini in suum genus beneficii [s]. Γενοῦ πολυμνήστωρ, orant, ἐφάπτωρ Ἰοῦς. Ne autem dubitetis, quid sit, quod Epaphi ortum in prodigii loco ponant, addunt, narrato prius exsilio virginis [t],

> καὶ τότε δὴ τίς ἦν ὁ θέλ-
> ξας πολύπλαγκτον ἀθλίαν
> οἰστροδόνητον Ἰώ;
> Ζεὺς αἰῶνος κρέων ἀπαύστου·
> βίᾳ δ' ἀπημάντῳ σθένει
> καὶ θείαις ἐπιπνοίαις
> παύεται, δακρύων δ' ἀπο-
> στάζει πένθιμον αἰδῶ.

Suaviter tangit id solenne insanientibus, quod arescit lacrymarum fons; qui adeo iterum erumpens indicium edit animi ad se redeuntis. Sed cum Io pergamus:

> λαβοῦσα δ' ἕρμα δῖον ἀψευδεῖ λόγῳ—

probato scilicet Promethei vaticinio—

> γείνατο παῖδ' ἀμεμφῆ,
> δι' αἰῶνος μακροῦ πάνολβον.

Velim accuratius hæc conferat aliquis cum eodem Jove, qualem nobis ante oculos posuerat eadem Io in Prometheo Vincto; qua acerbitate miseram virginem e domo patris expelli jussisset. Profecto conferenti non incredibile erit, Æschylo, scribenti Ἱκετίδας, religioni fuisse, quæ ante de tanto Numine liberius scripserat. Eoque veri fortasse judicabit similiora, quæ nos prius augurati sumus, tum de Prometheo Soluto, tum de laudibus Jovis, sedulo ac passim repetitis in Agamemnonia Trilogia.

Sed vereor ne justo longius versemur in his

[s] *Sup.* 544. [t] *Ibid.* 580.

velut Ἱκετιδῶν procemiis. Accedamus nunc ad eam ipsam Tragœdiam, quæ certe ex omnibus, quæ hodie supersunt, Æschyleis, curas ac studia fœminarum proxime tangit. Fortasse non male judicet aliquis, Ἱκετίδας respicere ad eam Promethei partem, quæ spectat ad Io et ejus fortunas, quo ferme modo initium alicujus Trilogiæ respondet alteri ejusdem vel ultimæ parti. Fateor equidem cum viro ingenioso [u], apparere in Supplicibus vestigia minime dubia imperfecti operis; præsertim ubi sub fine Tragœdiæ litigant inter se duo, quos vocant, Semichori: vix tamen cum eodem affirmare audeam, secundam, non primam, de tribus superesse fabulis. Quod si memoria repetere velis reliquias fabulosæ de domo Danaidum historiæ, probabilior fortasse ea fiet ratio, quæ principem locum attribuit Supplicibus nostris: ut proxime ab iis venerit cædes maritorum, tanquam in Choëphoris atrox illud parricidium; tertio loco scenam tandem occluserit gravissima pœnarum tum a Danao patre tum a quinquaginta filiis exactio, partim in terra, maximam partem apud Manes. Terribilis sane Dirarum Dearum ludus, dignusque adeo, quem Æschylus mirifico illo suo sententiarum impetu et ardore verborum prosequeretur. Jam quoniam voluit molesta sors frui nos minima modo parte nobilissimi operis, membris etiam misere disjectis, non fieri potuit, quin plane perderemus magna ex parte universi carminis vim; sed eo erunt gratiora vestigia, siqua occurrent, fabulæ prius notæ; nec quidquam vetat utriusque ope deducere filum quoddam, si poteris; quo monstretur ab Æschylo eadem servari vestigia, quod vel ad Deorum provi-

[u] Muller. *in Eumen.* p. 237. Vers. Anglic.

dentiam attinet, vel ad mores et indolem muliebrem.

Muliebres dico mores et indolem, non hujus aut alterius mulieris; namque id proprium, ut ante monuimus, videtur esse hujus Tragœdiæ, quod in ea Scriptor non tam privata personarum discrimina, quam universa quædam hominum genera proferre voluit. Videtis ei paucissima appingi nomina; neque Rex Argivorum nec Præco Ægyptius propriam habet appellationem; neque uni cuiquam de quinquaginta virginibus præcipuæ ac primariæ partes tribuuntur. Erit forte qui improbabit, nescio an satis recte, *ἀφέλειαν* istam, velut ambitiosam quandam paupertatem; verum ut concedamus, obtundi isto modo totius quasi aciem fabulæ, nec bene servari distinctas vices coloresque, quales in vita veritas ipsa demonstrat; id tamen commodi capimus e re molesta, quod hac maxime ratione habemus magni Poetæ mentem de ea re quam tractamus hodie: indolem intelligo moresque proprios fœminarum. Etenim cum neque Hypermnestram effingeret neque aliam quamvis unam, quid aliud, quæso, potuit cogitare Æschylus, quam genus omne fœmineum, quo potissimum affectu credibile erat moveri eas, tali negotio? Res ipsa, ut opinor, debebat quodammodo elicere sententiam ejus, quæcunque tandem ea fuerit, de universo mulierum choro. Animadvertite jam quos præcipue colores ei picturæ adhibuerit.

Primum id ubique servat, pudori virginali maxime omnium conveniens, ut non modo refugiant Supplices suæ ac deprecentur procos istos insolentes, Ægypti filios, verum etiam eorum causa ab omni consuetudine et aspectu virorum abhorreant. Tale

aliquid significare videntur concepta non semel tantum vota in hanc ferme formulam [x]:

πατὴρ ὁ παντόπτας
πρευμενὴς κτίσειε
σπέρμα σεμνᾶς μέγα ματρὸς
εὐνὰς ἀνδρῶν, ἓ ἕ,
ἄγαμον ἀδάμαντον ἐκφυγεῖν.

Iterum supplicatur [y]:

μή ποτ' οὖν γενοίμαν ὑποχείριος
κράτεσιν ἀρσένων·

non de hoc vel illo viro, sed de omni virorum genere loquitur. Præterea viros et fœminas, quasi duas quasdam partes in aliqua republica, solent quodammodo inter se eædem committere: verbi gratia [z],

ἄλευσον ἀνδρῶν ὕβριν εὖ στυγήσας,
λιμνᾳ δ' ἔμβαλε πορφυροειδεῖ
τὰν μελανοζυγ' ἄταν·
τὸ πρὸς γυναικῶν ἐπιδὼν
παλαίφατον ἁμέτερον
γένος, φιλίας προγόνου γυναικός.

Laudant etiam Argivos, civitate jam donatæ [a],

οὕνεκ' ᾤκτισαν ἡμᾶς,
ψῆφον δ' εὔφρον' ἔθεντο,
αἰδοῦνται δ' ἱκέτας Διὸς,
ποίμναν τάνδ' ἀμέγαρτον·
οὐδέ μετ' ἀρσένων
ψῆφον ἔθεντ', ἀτιμώ-
σαντες ἔριν γυναικῶν.

Denique verbum hoc, *ἀρσενοπληθῆ*, gravissimi convicii loco usurpant, solennia precantes, ipso Poematis exordio [b]:

ἀρσενοπληθῆ
δ' ἐσμὸν ὑβριστὴν Αἰγυπτογενῆ,
πρὶν πόδα χέρσῳ τῇδ' ἐν ἀσώδει
θεῖναι, ξὺν ὄχῳ ταχυήρει
πέμψατε πόντονδ'·

Plane dicas, pertinere istas puellas ad numerum ea-

[x] *Sup.* 145. [y] *Ibid.* 397. [z] *Ibid.* 537. [a] *Ibid.* 647.
[b] *Ibid.* 30.

rum, quæ et merito et libenter recipere se solent ad Virgines potissimum Deas. Id quod solenne habent ipsarum preces. Nunc supplices adeunt Minervam [c]:—

> θέλουσα δ' αὖ θέλουσαν ἁγνὰ
> μ' ἐπιδέτω Διὸς κόρα,
> ἔχουσα σέμν' ἐνώπι' ἀσφαλές·
> . . . . . . ἀδμήτας ἀδμήτα
> ῥύσιος γενέσθω·

nunc ad Dianæ tutelam confugiunt [d]:

> ἐπίδοι δ' Ἄρτεμις ἁγνὰ στόλον
> οἰκτιζομένα· μήδ' ὑπ' ἀνάγκας
> γάμος ἔλθοι Κυθέρειος.

Præcipue autem venerantur patrem Danaum; pendent ab ore illius; illum vel prope abesse non facile ferunt [e].

> θέλοιμ' ἂν ἤδη σοῦ πέλας θρόνους ἔχειν.
> [f] μόνην δὲ μὴ πρόλειπε, λίσσομαι, πατήρ.

Ne periclitantes quidem ullam se in domum deduci absque patris consilio patiuntur [g].

> πέμψον δὲ πρόφρων δεῦρ' ἡμέτερον
> πατέρ' εὐθαρσῆ Δάναον, πρόνοον,
> καὶ βούλαρχον· τοῦ γὰρ προτέρα
> μῆτις, ὅπου χρὴ δώματα ναίειν,
> καὶ τόπος εὔφρων.

Quid, quod religione tactæ reformidant aut meminisse aut eloqui certe ea quæ a parentibus tradita de matris vagæ fortunis acceperant [h]?

> κληδοῦχον Ἥρας φασὶ δωμάτων ποτε
> Ἰὼ γενέσθαι τῇδ' ἐν Ἀργείᾳ χθονὶ,
> ἦν, ὡς μάλιστα καὶ φάτις πολλὴ κρατεῖ—

sentitis hærere vocem, pio pudore.

Diximus de verecundia fœminea: sequitur ut pauca quædam afferamus, ad amorem et religionem

[c] *Sup.* 150. [d] *Ibid.* 1038. [e] *Ibid.* 316. [f] *Ibid.* 756. [g] *Ibid.* 975. [h] *Ibid.* 299.

locorum pertinentia. Nescio qua dulcedine exsules istæ conjungunt mirum natalis soli desiderium cum animo pio gratoque non solum in hospites Argivos, verum etiam in littora et colles, in flumina ipsamque regionem. Norunt videlicet avorum suorum patriam: ita tamen, ut suavissimo desiderio semper Ægyptum suam quærant. Est ubi justo carmine laudes ejus prosequuntur [i],

> ἱκνεῖται δ', εἰσικνουμένη βέλει
> βουκόλου πτεροέντος,
> Δῖον πάμβοτον ἄλσος,
> λειμῶνα χιονόβοσκον, ὅν τ' ἐπέρχεται
> τυφῶ μένος,
> ὕδωρ τὸ Νείλου νόσοις ἄθικτον.

Sed nescio an vehementius pertineant ad desiderium patriæ ea, quæ tanquam aliud agendo sparguntur identidem. Verbi gratia: videntur sibi similes esse lusciniæ cujusdam, plorantis non fœtus amissos, sed flumina ac saltus familiares, viso accipitre, a se interclusos [k]:

> ἅτ' ἀπὸ χωρῶν ποταμῶν τ' εἰργομένα
> πενθεῖ νέον οἶκτον ἠθέων.

Novam videntur appellare næniam, quoniam veteri de Ity querelæ adjungitur jam altera, depulsæ domo ac sedibus. Crediderim quoque respexisse Æschylum mores et indolem indefessæ avis, novam in horas ferme cantilenam texentis. Sed videte, quam suavi artificio Poeta similitudinis illius τὴν ἀπόδοσιν effinxerit [l]:

> τὼς καὶ ἐγὼ φιλοδύρτος Ἰαονίοισι νόμοισι
> δάπτω τὰν ἁπάλαν
> Νειλοθερῆ παρειάν,
> ἀπειρόδακρύν τε καρδίαν·
> γόεδνα δ' ἀνθεμίζομαι,

[i] *Sup.* 565. [k] *Ibid.* 65. [l] *Ibid.* 71.

δειμαίνουσα φίλους, τᾶσ-
δε φυγᾶς ἀερίας ἀπὸ γᾶς,
εἴτις ἐστι κηδέμων.

Ionicos nominat modos, ut qui sibi advenæ insoliti sint ac prorsus novi, quique adeo ad *νεὸν* illum *οἶκτον* satis bene respondeant *Νειλοθερῆ παρειὰν* dulcissime conjungit cum memoria tranquillæ juventutis. Quod autem *ἀερίαν* appellat Ægyptum, multas multi cepere conjecturas: unam modo dicam, quam simplicitas sua probabit. *'Αερίαν*, ait unus e Grammaticis, *ὅτι ταπεινὴ, καὶ τοῖς ἀπὸ θαλάσσης ὡς ὑπόγειος φαίνεται.* Navigantes, credo, cognomen id indiderant Ægypto, littoribus ejus procul visis, dubia quadam nebularum, ut fit, specie. Quidni ergo finxerit Poeta, venisse id verbum in mentem Supplicibus suis, animo quasi cernentibus patriæ oras e conspectu recedentes, et vix et ne vix quidem super fluctu elatas? Quod si cui videntur hæc levicula, vel arguta nimis, meminerit is velim, ut Picturæ, ita Poeseos vim universam minimo quodam quasi calami jactu non raro contineri.

Sed dicebam, mirifice conjungi cum desiderio veteris patriæ fiduciam quandam, quod ad Argivorum civitatem attinet; immo etiam quod ad locos ipsos, colles, flumina, delubra maxime Deorum [m]:

τίνα γοῦν χώραν εὔφρονα μᾶλλον
τῆσδ' ἀφικοίμεθα
σὺν τοῖσδ' ἱκετῶν ἐγχειριδίοις
ἱεροστέπτοισι κλάδοισι;
ὧν πόλις, ὧν γῆ, καὶ λευκὸν ὕδωρ,
ὕπατοί τε θεοὶ, καὶ βαρύτιμοι
χθόνιοι θήκας κατέχοντες,
καὶ Ζεὺς σωτὴρ τρίτος, οἰκοφύλαξ
ὁσίων ἀνδρῶν, δέξαιθ' ἱκέτην
τὸν θηλυγενῆ στόλον αἰδοίῳ
πνεύματι χώρας.

[m] *Sup.* 20.

Gratulantur sibi post paullo, preces se fundere[n],

νῦν ἐν ποιονόμοις
ματρὸς ἀρχαίας τόποις·

bonique id loco ominis habent, quod ubi Magna illa Mater pueritiam olim egerat, curis expertem, ibidem et ipsis secura conceditur statio[o]:

Δῖον τοι γένος εὐχόμεθ' εἶναι
γᾶς ἄπο τᾶσδ' ἐνοίκοι.
πάλαιον δ' εἰς ἴχνος μετέσταν
ματέρος, ἀνθονόμους ἐπώπας,
λειμῶνα βουχίλον, ἔνθεν Ἰω,
οἴστρῳ ἐρεσσομένα,
φεύγει ἁμαρτίνοος,
πολλὰ βροτῶν διαμειβομένα
φῦλα.

Ad summam, utramque regionem vel una supplicatione amicissime copulant, vel ita certe Argivis dant primas, ut significent se cum affectu quodam non levi domus etiam antiquæ reminisci[p].

αἶνος δὲ πόλιν τήνδε Πελασγῶν
ἐχέτω· μήδ' ἔτι Νείλου
προχόας σέβωμεν ὕμνοις·
ποταμοὺς δ' οἳ διὰ χώρας
θελεμὸν πῶμα χέουσιν
πολύτεκνοι λιπαροῖς χεύ-
μασι γαίας
τόδε μειλίσσοντες οὖδας.

Nescio equidem an debeam eodem referre favorem, quo prosequi videntur Supplices animalia quoque ea, quæ carent ratione. Æschylo sane (id quod ante jam docuimus) potuit Pythagoræ sui disciplina locum illum commendare. Sed videndum, an data opera choro ipsi mulierum tribuerit Scriptor, quicquid ejusmodi habet hæc Tragœdia: ne forte desset aliquid, quod ad mansuetam teneramque indolem pertineret. Hinc exquisita illa, jam nuper a nobis adducta, quibus hic lusciniam a suis sylvis

[n] *Sup.* 51. [o] *Ibid.* 545. [p] *Ibid.* 1030.

arceri fingunt virgines, illic vitulam rupibus errantem mugitu bubulcum appellare [q]:

ἀλκᾷ πίσυνος μέμυκε φρά-
ζουσα βοτῆρι μόχθους.

Hinc cum Ius mentione mirifice conjuncta miseratio quoque bovis œstro tactæ: ut uno eodemque carmine cani videatur quasi nænia simul hominum ægrorum, simul pecudum; juxta illud sacrosancti Vatis, [r] Σὺ Κύριε σώσεις ἄνθρωπον καὶ κτῆνος. Verum hæc satis sit cursim tetigisse, quatenus ea visa sint attingere fœmineam indolem, qualem descripsit Æschylus. Porro autem nemini non cognitum et pervulgatum est, mansuetius plerumque esse fœminarum genus, quam virorum, in pecudes reliquasque bestias.

Quid dicam quo pudore coram Diis etiam alienis veniam sibi petant barbaræ linguæ [s]?

ἱλέομαι μὲν Ἀπίαν βοῦνιν,
καρβάνα δ' αὔδαν
εὐακοεῖς.

Quid pulcherrimum illud [t],

ὑποσκίων ἐκ στομάτων ποτάσθω φιλότιμος εὔχα;

Num aptius dici potuit ad modestiam, conjunctam quidem illam cum fiducia quadam precandi, quæ in omni religione et cærimonia, præsertim a mulieribus, servari debet? Quid, quod ἀφελείᾳ quadam utuntur singulari, loquentes de Oceani et ejus periculis [u]?

πλάτα μὲν οὖν λινορραφής
τε δόμος ἅλα στέγων, δορὸς
ἀχείματόν μ' ἔπεμψε σὺν πνοαῖς·
οὐδὲ μέμφομαι.

Etiam ubi procellas imprecantur hostibus [x];

ξὺν ὄχῳ ταχυήρει
πέμψατε πόντονδ'· ἔνθα δὲ λαίλαπι

[q] *Sup.* 356. [r] *Psalm.* 36. 7. [s] *Sup.* 123. [t] *Ibid.* 664.
[u] *Ibid.* 140. [x] *Ibid.* 33.

> χειμωνοτύπῳ, βροντῇ στεροπῇ
> τ', ὀμβροφόροισιν τ' ἀνέμοις ἀγρίας
> ἁλὸς ἀντήσαντες ὄλοιντο.

Eas ad utramque rem voces adhibent, quæ conveniant puellis semel modo navigationem expertis. Neque illud opinor omittendum, levius licet, quod mediis in doloribus meminerunt vestium, fœde laceratarum, solenni lugentium more [y].

> πολλάκι δ' ἐμπιτνῶ ξὺν λακίδι
> λίνοισιν, ἢ Σιδονίᾳ καλύπτρᾳ.

Metus certe trepidi earum, audito primum de nave Ægyptiaca nuncio; tum etiam anceps illa suspicio, qua Pelasgum, benignissime salutantem, diu reformidant: hæc talia sunt, ut sponte cuivis occurrant, adolescentularum partes fingenti.

Illud forte subtilius, quod edoctæ a patre quinam Deorum potissimum sint invocandi, singulis precibus proprium addunt aliquid, quod maxime apud quemque possit valere. Verbi gratia, Apollinem his orant [z]:

> καλοῦμεν αὐγὰς ἡλίου σωτηρίους,
> ἁγνόν τ' Ἀπόλλω φυγάδ' ἀπ' οὐρανοῦ θεόν.
> ἰδὼν ἂν αἶσαν τήνδε, συγγνῴη βροτοῖς.

Ἁγνὸν scilicet appellant, quo virginum choro, *φυγάδα*, quo exsulum, propitium reddant. Deinde ad Neptunum conversi aiunt,

> ἀλλ' εὖ τ' ἔπεμψεν, εὖ τὲ δεξάσθω χθονί·

beneficia præterita afferentes in argumentum eorum quæ sperantur. Tertio loco venit Mercurius: hunc præconem officii sui meminisse volunt, maxime propterea quod liberæ sunt ipsæ, dignæque ad quas propitius ille advolet:

> ἐλευθέροις νῦν ἐσθλὰ κηρυκευέτω.

Quorsum vero hæc omnia? Quoniam, ut mihi qui-

[y] *Sup.* 126. [z] *Ibid.* 221.

dem videtur, ingeniosa illa supplicum mulierum commenta vehementer ad earum partes pertinent: immo, ut fatear audacius aliquid, videntur sapere ejus fœminæ indolem, quæ Domino ad tempus neganti non solum pie sed acute quoque respondit,

καὶ γὰρ τὰ κυνάρια ἐσθίει ἀπὸ τῶν ψιχίων[z]·

quæque adeo meruit ut Ipsius ore laudaretur.

Ex hac qualicunque exemplorum serie non inepte judicet aliquis, minime temni ab Æschylo nostro leniores, qui vocantur, affectus, domestica studia, fœminarum mores. Sin certiora quæras, monet ipse, sub Danai persona, qua tum linguæ prudentia, tum universæ vitæ pudore debeant esse, quæ nomine virginali dignæ haberi cupiant[a]:

φθογγὴ δ' ἑπέσθω, πρῶτα μὲν τὸ μὴ θρασὺ,
τὸ μὴ μάταιον δ' ἐκ μετωποσωφρόνων
ἴτω προσώπων ὄμματος παρ' ἡσύχου.

Iterum admonet[b]:

ὑμᾶς δ' ἐπαινῶ μὴ καταισχύνειν ἐμὲ,
ὥραν ἐχούσας τήνδ' ἐπίστρεπτον βροτοῖς·
τέρειν' ὀπώρα δ' εὐφύλακτος οὐδαμῶς·
θῆρες δὲ κηραίνουσι καὶ βροτοί τι μιν,
καὶ κνώδαλα πτεροῦντα καὶ πεδοστιβῆ.
καρπώματα στάζοντα κηρύσσει Κύπρις.
. . . .
καὶ παρθενῶν χλιδαῖσιν εὐμόρφοις ἔπι
πᾶς τις παρέλθων ὄμματος θελκτήριον
τόξευμ' ἔπεμψεν, ἱμέρῳ νικώμενος.
. . . .
μόνον φυλάξαι τάσδ' ἐπιστολὰς πατρὸς,
τὸ σωφρονεῖν τιμῶσα τοῦ βίου πλέον.

Qui prudenter adeo graviterque disseruit de mulierum officiis, is dignas utique censuit mulierum fortunas, quas regeret eximia quædam summi Numinis Providentia. Quare idem ille Jupiter, qui in

[z] S. *Matth.* 15. 27. [a] *Sup.* 205. [b] *Ibid.* 1003.

Prometheo exerceri voluerat Io miserando errore, ita tamen, ut spem ubique ostenderet, fore tandem ut vaganti redderetur certa et mens et domus: idem ille, inquam, Jupiter apparet ubique Supplicibus, Io genitis; ad Illum provocant, Illum augurantur præesse choro Deorum, quorum in tutela sit Argos: quorum cum faciant duo quædam agmina, Superorum scilicet et Inferorum, Jovem miris modis ab utroque seponunt ac segregant, velut superiorem non ordine tantum sed et genere: extant enim, illarum judicio [c],

> ὕπατοί τε θεοὶ, καὶ βαρύτιμοι
> χθόνιοι. . . . . .
> καὶ Ζεὺς σωτὴρ τρίτος,—

qui quidem unice prædicatur spes ultima piarum domorum,—

> οἰκοφύλαξ ὁσίων ἀνδρῶν.

Hunc autem docet Danaus sero sed serio (quod dicitur) vel punire vel suos vindicare ac liberare: itaque expectanda esse semper ipsius tempora, neve festinandum, præsertim his mortalium tenebris [d]:

> θάρσει· χρόνῳ τοι κυρίῳ τ' ἐν ἡμέρᾳ
> θεοὺς ἀτίζων τις βροτῶν δώσει δίκην.

Habemus et hæc [e]:

> οὐδὲ μέμφομαι· τε-
> λευτὰς δ' ἐν χρόνῳ
> πατὴρ ὁ πάντοπτας
> πρευμένης κτίσειε.

Præterea perveniri ad ea quæ Jovi rata sint, via quadam certissima, sed et omnium maxime obscura: ut non male dixeris, divina consilia sylvæ alicujus similitudinem habere, densissima virgultorum copia, cujus itinera neque ullis sint pervia oculis, neque

[c] *Sup.* 25. [d] *Ibid.* 740. [e] *Ibid.* 143.

unquam fere tendant ad eam cæli regionem, quam petere videantur primo aspicientibus[f].

> Διὸς ἵμερος οὐκ εὐθήρατος ἐτύχθη·
> πάντα τοι φλεγέθει
> κἂν σκότῳ, με-
> λαίνᾳ ξὺν τύ-
> χᾳ μερόπεσσι λαοῖς·
> πίπτει δ' ἀσφαλῶς, οὐδ' ἐπὶ νώ-
> τῳ, κορυφᾷ Διὸς εἰ
> κρανθῇ πρᾶγμα τέλειον.
> δαυλοὶ γὰρ πραπίδων
> δάσκιοί τε
> τείνουσιν πό-
> ροι, κατιδεῖν ἄφραστοι.

Addunt, libentissime in superbos et in raptores exire Summi Rectoris fulmina, ut nemini impune sit peccanti, ne iis quidem, qui post paullo resipiscere volunt, et se violentis armis exuere[g]:

> ἰάπτει δ' ἀπίδων ἀφ' ὑψιπύργων
> πανώλεις βροτούς, βίαν δ' οὔτιν'
> ἐξοπλίζει, τὰν ἄποινον δαιμονίων.

Postremo, præmia et pœnas non recte tribui causis, quas vocant, secundis: quin Jovem ipsum immotum de sede sanctissima rem perficere, solo non dicam oculorum nutu, verum tacita voluntate animi[h]:

> ἥμενον ἄνω φρόνημά πως
> αὔτοθεν ἐξέπραξεν ἔμ-
> πας, ἑδράνων ἐφ' ἁγνῶν.

At enim objiciat aliquis, minime eas ad Jovis sententiam, velut ad finem litis, provocare: quippe carmine quodam minari, quæsituras se fortasse apud Inferos negata per negligentiam Superorum jura[i]:

> εἰ δὲ μή, μελανθὲς
> ἡ διόκτυπον γένος,
> τοὔγγαιον,
> τὸν πολυξενώτατον
> Ζῆνα τῶν κεκμηκότων

[f] *Sup.* 90. [g] *Ibid.* 101. [h] *Ibid.* 106. [i] *Ibid.* 160.

ἱξόμεσθα σὺν κλάδοις
ἀρτάναις θανοῦσαι,
μὴ τυχοῦσαι θεῶν 'Ολυμπίων.

Sed formulam tantum hanc esse crediderim, vehementiori prece Jovem urgentium; quali argumento apud sacros etiam[k] scriptores verum aliquando Deum adeunt Prophetæ, vel suo exitio redimere volentes plebis salutem, cum gloria Illius conjunctissimam. Eam duntaxat habere rationem videntur, quæ Supplices proximo sermone addunt[l].

καὶ τότ' οὐ δικαίοις
Ζεὺς ἐνέξεται λόγοις,
τόν τᾶς βόος
παῖδ' ἀτιμάσας, τὸν αὐ-
τὸς ποτ' ἔκτισεν γόνῳ,
νῦν ἔχων παλίντροπον
ὄψιν ἐν λιταῖσιν·
ὕψοθεν δ'
εὖ κλύοι καλούμενος.

Nempe significant, id quod Apollini tribui vidimus apud Eumenidas[m], esse, quæ quodammodo Deum ipsum gubernent, leges; immotas illas atque æternas æqui bonique rationes: quibus qui Jovem precando urgent, ii verbis quidem ab eo provocare videntur, re ipsa tum maxime ad ejus fidem confugiunt: quippe cujus summam et supremam voluntatem exprimant illæ ipsæ leges.

Itaque in harum Supplicum negotio, æque ac in Prometheo, pietatem suam Æschylus intemeratam et illæsam servavit. Neque minores partes Numini tribuit in re domestica atque in fortunis fœminarum, quam ante in civilibus curis et in studiis philosophorum tribuerat.

Quod si nobis non invidisset temporum lapsus ea-

[k] *Exod.* 32. 12; *Num.* 14. 13; *Josh.* 7. 9; *Rom.* 9. 3. [l] *Sup.* 175.
[m] Vid. ante, p. 431.

rum Tragœdiarum fructum, quibus credibile est Æschylum complevisse Trilogiam, quæ ad Danaidas pertinuit, expectarem sane splendida, sed et mœstissima documenta, quibus gradibus demittere se soleat, et ab optimis in atrocissima fato quodam converti, fœminarum indoles, postquam semel in pejora declinaverit. Porro nemo ut opinor negabit præcipue cum Æschylo congruere fabulosum horrorem, qui cumuli loco debuisset isti fabulæ imponi, cum ad Inferos ventum fuisset, et ad pervulgata illa supplicia:

> Notas
> Virginum pœnas, et inane lymphæ
> Dolium fundo pereuntis imo,
> Seraque fata,
> Quæ manent culpas etiam sub Orco.

Nec dubitem equidem, hic quoque fuisse appariturum eundem gravissimæ pietatis colorem, quo quasi lumine quodam Elysio perfundi vidimus omnia quæ supersunt Æschyli.

Jam cum tanta sui parte mancus ad nos devenerit Tragœdiæ Pater, licebit tamen gratulari nostro sæculo, quod vel ex tantulis ejus reliquiis tot habemus severæ religionis monumenta; quorum in numero prope primas Supplices tenere nostras, vel eo putaverim, quod hac fabula potissimum docemur, qui veterum Graiorum religiosissimus sit Poeta, eundem castitatis quoque partes summo studio servare ac tueri.

PRÆLECTIO VIGESIMA QUARTA.

Quinam potissimum Lyrici sint habendi. Duplici de causa difficilius eos in ordinem redigi. Quid sit, quod numeros plerumque adeo contortos et implexos adhibeant. Disputatur de Pindaricorum summa ratione: pertinere ea ad genus Heroicum, discrepare tamen ab Homericis et Æschyleis. Exemplis evincitur, Pindarum Athletas suos ludosque cum amore quodam prosequi.

JUDICET fortasse aliquis, non sine veri quadam similitudine, Lyricos Poetas facilius multo quam cæteros posse distingui in genera atque in ordinem quemque suum: ex ea videlicet formula, quam nos ab initio decrevimus ei rei fore adhibendam. Nempe Lyricorum id maxime proprium habetur, ut scribant nulla satis certa lege adstricti; tantum prout ad tempus sit cuique "votum, timor, ira, voluptas," justo carmine vel narrent vel certe significent. Expectes igitur, plena quasi luce extitura eorum qui talia scribunt studia et indolem. Quod contra tum apud Pindarum tum apud alios evenisse nemo negaverit, qui modo velit attentius paulo exquirere diversa eorum opera, neque ex uno tantum alteroque poemate de toto cujusque genere judicium ferre. Erit, ni fallor, in multis ejusmodi perdifficilis et per-

obscura quæstio, primo an satis recte collocentur in numero eorum Poetarum, quos suo jure primarios appellare soleo: deinde, quænam ponendæ sint, tanquam propriæ ac præcipuæ cujusque partes, quis apud quemque dominetur fatalis (ut ita dicam) Genius.

Cur autem in Lyrico potissimum genere regnet ea, quam querimur, obscuritas, non desunt idoneæ causæ; quarum hodie nonnullam partem, ut potero, exponam, priusquam ad Pindarica aggrediar: de quibus rite et ordine disputandum erat a nobis hoc maxime tempore, absolutis iis quæ ad Homerum quæque ad Æschylum pertinebant.

Ac primum omnium id vos admonitos velim; sub uno illo Lyricorum nomine a me comprehendi quotquot usquam Poetarum carmina ad tempus scripserunt, animi causa; nullo perpetuo tenore servato vel narrandi vel philosophandi. Lyricos, inquam, omnes compellare liceat, varientur licet infinite tum numeris tum affectibus, tum etiam spatiis ipsaque magnitudine poematum. Nam seu tranquillius sive vehementius, seu pressius sive liberius ampliusque disserant, id sane commune habent, quod abundantes æstuantium animorum sensus explicandos sibi sumunt verbis in numerum compositis, consilium sibi capientes e re nata, non, ut Epici, vel Tragici, vel ii qui dicuntur *διδακτικοὶ*, rationem carminis dudum prius initam ubique secum ferentes.

Jam quod ad vocabulum attinet; non male fortasse dicas, istiusmodi scriptorem e Lyra sua petere consilia pro re ac tempore; præsertim cum in hoc genere tantopere valeat numerorum et rhythmi ratio; ex qua sæpissime, (quod melius norunt experti) ipse cogitandi cursus ac tenor digerendus erit. Ex quo efficitur, eodem jure posse eos appellari Lyricos,

quo Dramatici appellantur ii, quorum omnis summa vertitur in actione quadam et fabula; sive διδακτικοὶ, qui in eo versantur, ut artis alicujus ac disciplinæ rudimenta doceant. Omnes Poetæ quodammodo sunt Lyrici: verum habent cæteri operis quisque sui leges quasdam, terminosque servandos; hos nihil vetat, quin libere abeant, quamcunque in partem ferat lyra, vocet indoles, rapiat vis ac solertia poetica.

Apud hos igitur, ut dicebam, Lyricos, duæ præsertim res obstant, quominus facile sit, vel iis qui acutius vident, discernere et dijudicare singulos scriptores, et noscere quo quisque ordine sit habendus. Quarum rerum altera sita est in communi omnium ferme hominum indole, altera in Poetarum propria.

Primo, quis nescit mutari in horas homines, illos præsertim qui vehementius affectu aliquo rapi videntur? Quo fit ut sæpius fallantur, quicunque ex uno aliquo et altero carmine judicium ferre de quovis scriptore audent. Videndum erat, ne isto tempore abreptus fortasse fuerit scriptor insolito quodam, ut fit, æstu, sive iræ sive mœroris, sive admirationis, sive etiam desiderii alicujus. Commoto videlicet pectore (quis nescit?) erumpunt identidem verba ac voces alienæ prorsus a stabili ac consueto tenore animorum. Quæ voces etsi ad tempus sint verissimæ, proximeque ad germanam Poesin pertineant, vereor tamen ut ab iis justo modulo metiri possit quispiam uniuscujusque propriam vim atque indolem.

Quid enim, si de die in diem vacillent, alioque migrent voluptates hominum? quid, siquis extiterit coloni illius Scotici similis, quo nemo ferme pastorales modos omni tempore felicius cecinit? Certe nil

fuit unquam magis sibi dispar quam ille vir. Conferas modo tot cantilenas nimia libertate diffluentes cum dulcissimo illo carmine[a], quo adumbravit patrem suum, "agricolam priscum, fortem, parvoque beatum," ferias agentem juxta proprios Lares, cum magna non modo pacis domesticæ, sed et gravissimæ pietatis significatione. Quis neget sonare ista non dicam suave aliquid, verum etiam religiosum, sanctumque? quis non doleat simul ac miretur, potuisse eundem tam cito migrare in turpes lusus et convicia? qua in provincia, siquis alius, versatus est idem strenue et alacriter.

Dicendum igitur de tali scriptore, personam ab eo geri non unius sed plurium Poetarum; cum alternis fere carminibus ferri videatur in partes maxime contrarias, pari affectu, minimeque illo ficto aut fallaci; pari etiam vi numerorum ac verborum contrarios istos affectus solari noverit. Quæri autem debet an in illa tanta inconstantia lateat quasi quædam perennis desiderii vena, qua in unam aliquam rem tendat animus alioquin sui dissimillimus. Ac videndum an tale aliquid apud eum de quo nunc agitur appareat, ex ea maxime parte, quæ spectat ad fluviorum ac sylvarum amorem, atque ad pulcherrimam hanc cæli ac terrarum faciem: videndum, inquam, an is amor vi quadam tacita vagas ejus viri cogitationes et curas continuerit atque informaverit.

Quod si tenue illud filum nequeam prorsus indagare, crediderim tamen nemini Poetarum, immo nemini mortalium deesse, quod fluctuantes adeo variasque conversiones animorum in unum quodammodo colligat et constringat. Illud interea pro certo ha-

[a] *The Cotter's Saturday Night.*

bendum, minime cuiquam denegari debere sancti hujus nominis honorem propter instabiles illos affectus, modo vera ac sincera ad tempus scribant. Mananto omnia pleno de pectore.

Sed oritur hic alia quæstio, permolesta illa quidem, de ipsa illa veritate. Quemadmodum enim vulgus mortalium varium semper erit et mutabile, sic ingeniosiores, maximam partem, mira quadam arte se in omnem prorsus affectum vertere noverunt. Quid potest esse tam fictum, (ut cum Cicerone loquar,) quam versus, quam scena, quam fabulæ? Cum autem in omni genere Poetarum plurimus sæpissime dubitandi locus sit, animine quispiam quid dixerit an artis causa, tum nemo cordatus, ut opinor, negabit dubitationem eam ad Lyricos proprie ac præcipue pertinere. Facilius ac probabilius multo brevi carmine simulantur commotæ mentes; contra vix fieri potest, ut cantet aliquis aliena quasi voce toto decursu vel Epicæ vel Tragicæ fabulæ. Ne multa: res ipsa docet, primum, Lyrico potissimum generi præsto fore, ut sese fingant pro tempore sui dissimiles: deinde, id minore fieri negotio in illis præsertim animorum motibus, qui acres magis quam diuturni solent evadere. Molles siquidem ac teneri affectus, qui semel concepti colore quodam suo reliquum vitæ colorem tingunt, vix et ne vix quidem a quopiam bene fingi possunt, neque in carminibus, neque in vivendi tenore. Quare elegiacæ quæ vocantur cantilenæ, simul et illæ quæ vigent inter Italos, quarum exemplaria dedit vel prima vel certe primaria magnus ille Petrarca, facilius quodammodo et certius docent, quæ sit germana scribentis indoles, quam illæ quæ incitatiore cursu feruntur, quas proprio nomine ᾠδὰς appellare mos est.

Venio jam ad alteram rem, quam in causa esse dicebam, cur de Lyricorum indole minus expeditum plerumque esset judicium: quæ ponitur in ipsius Poeseos natura. Nimirum, id quod vereor equidem ne jam ad fastidium usque repetiverim, magna Poeseos pars in eo vertitur, ut intra penetrale quoddam, velo interposito, profundæ et intimæ Poetarum mentes non lateant illæ quidem, apertam tamen plenamque lucem refugiant. Jam apud illos qui justæ fabulæ dant operam, Dramaticos dico et Epicos, videtis ipsius scribentis personam removere se ultro atque in umbram recedere. Proferuntur sententiæ, fiunt judicia, laudantur atque improbantur homines, non ex Homeri vel Æschyli, verum ex Achillis aut Promethei persona. Immo etiam hac via sibi exitum quodammodo inveniunt latentes animorum affectus, ac pæne sacrosancti, quales directo sermone explicare religiosum, si quid aliud, ac vetitum foret. Sin per alium sua quis dicat, simul et pudori parcitur, et laboranti plenoque pectori consulitur.

Non aliam fortasse ob causam evenit, ut plerique eorum qui carmina canunt funebria, nescio quas sibi quærant ambages, vocatis in lugentium partes fictis, si res ita tulerit, Pastorum personis. Ea ratio, cum a gravissimis auctoribus, Theocrito ac Virgilio, duxerit initium, cumque a Spensero nostro non semel fuerit adhibita, non omnino contemni debet: etsi minime negaverim, cepisse eam inepte ac prorsus male turbas recentiorum. Videtur autem eo potissimum spectare, ut permulta effundat aliquis, tectus Allegoriæ cujusdam quasi tenui velo, quæ nullo unquam tempore sustineat idem palam et aperte prædicare: ut Melibœus, verbi causa, libere ac secure queratur ereptos agros, militum licentiam, ipsius Cæ-

saris injuriosam potestatem; ut Thestylis ille Spenserianus querimonias et luctus Sidneiorum, generosissimæ domus, familiarius scribere audeat: tum quod maximum est, ut sit unde veniant in partem cujusque affectus illæ res quibus omnes ad unum Poetæ solent ac debent præcipue delectari; silvæ, montes, arbusta; verbo dicam, quæcunque ad rus et ad vitam agrestem pertinent. Videtisne qua vi maxime capiat animos Miltoni Lycidas? Nonne apud eum regnant umbrosæ valles, floriferi saltus, auræ in vesperem spirantes, omnia denique, quorum ope Natura maxime delenit homines? At his, ut arbitror, nullus dabatur locus, negata scriptori illa venia, ut fingeret sibi pastoralem quasi scenam, et speciem indueret mœsti coloni, gregem primo mane pastum agentis, atque inter agendum cantantis, cum magno sodalis mortui desiderio.

Jam autem universa Lyricorum natio (si modo nos recte Lyricos appellamus) caret ferme ista ratione oneris deponendi, cum agantur ibi omnia ex Poetæ ipsius persona. Porro, quod consilium negabat rei natura, ineundum id erat ex arte et studio scribentium. Videte vero, an in causa duæ potissimum res sint, cur apud Lyricos quoque suus servetur honos poeticæ verecundiæ, neque nimia luce extent et emineant arcani cujusque mores, studia, affectus. Crediderim id fieri, primum, vel instinctu vel judicio eorum qui scribunt, *deligentium sibi res paulo remotiores ab iis quorum amore tenentur.* Quo fit, ut si forte ipsas tetigerint, incurrisse potius in eas videantur, quam dedita opera petivisse. Maximam vero partem ludunt quodammodo, et veluti circumvolitant delicias suas. Talis ut plurimum Herberti nostratis est ratio, tegentis amorem, quo flagrabat, vere

divinum, nescio qua nube acutissimarum sententiolarum. Id quod plerisque legentibus videri solet ineptius, ne dicam frigidius. Excusant autem, candidi scilicet homines, istius duntaxat sæculi vim atque indolem. Ac valeat ea causa quantum voluerit aliquis, manebit tamen, Herbertum, qua erat modestia, sub istis argutiis pietatem suam velavisse.

Quod autem Herbertus, cum aliis non paucis, effecit rerum maxime delectu, id, ni fallor, tentarunt nonnulli, adhibito exquisito quodam numerorum artificio. Nempe in omni poetico genere, id quod nos initio docuimus, magnopere valet ad solatium cura versus concludendi, levicula illa quidem, sed assidua, quaque adeo, quasi quodam ictu continuo, leniter ac tacite fallantur æstuantes animi, velut pueruli nutricum næniis. In omni, inquam, Poesi permultum hoc interest; verum apud Lyricos proprium aliquid ac præcipuum videre mihi videor. Fuerunt videlicet nonnulli scriptores, adeo præclara facilitate, ut rem quamque nullo negotio versiculis pro tempore possent explicare, sicut cæteri mero sermone. Itaque ne Poesis eorum magna ex parte deesset officio suo, adhibebatur sponte ratio paulo implicatior; pluribus argutiis variabatur numerorum lex; addebantur aliæ super aliis clausulæ, sibi mutuo respondentes. Quid multa? miris modis effectum est, ut in remedium Naturæ laborantis veniret ars omnium exquisitissima: tum illud etiam, quo nihil vehementius pertinet ad laudatam illam verecundiam, quod ex ea ratione fruimur umbra quadam ac recessu, qualem unice amant ardentes affectus liberi ac pudici hominis. Scilicet *ἰδιώταις*, qui vocantur, plurimum operæ poni videtur in versiculis et circumscriptione verborum. Incurrit is labor in oculos legentium, remoto

paulisper in longinquum vago ac violento animorum turbine. En tibi ambages et anfractus, quorum latebris tueri se possit scriptor nimiæ lucis impatiens. Quare etiam apud Tragicos, ubi ad Chorica ventum est, cujus partis eadem est ratio, atque eorum ferme carminum, quæ cantat quisque ex re et ex tempore in communi hac vita; cum, inquam, ad ea ventum est, adhiberi statim videmus numerorum genus multo adstrictius et lege conclusum arctiore. Illud intelligo, quod ternis constat versuum quasi complexionibus, tam exquisito ordine digestis, non modo per versiculos verum per minutas quasque versiculorum partes, ut ne syllaba quidem ulla, sive longior seu brevior, possit irruere in alienum locum, sed initio semel in manus dato, teneat quivis universi carminis filum, quod attinet ad numeros variandos brevitate vel longitudine sonorum. Id unum summa religione servant, ut in unoquoque numerorum ambitu duæ partes sibi mutuo respondeant, Antistrophico, quem vocant, more; tertia pars, quæ ἔπῳδος dicitur, decurrat alio prorsus modulo: quod factum esse credo, ne fastidio essent delicatis illis Græcorum auribus ictus iidem toties repetiti.

Habetis rationem, uti spero, probabilem Choricorum apud Dramaticos carminum; quæ quomodo Pindaricis conveniat, dicam ut potero, postquam pauca prius addidero, quæ propria videntur esse hujus quæstionis. Nempe effloruit ævo recentiore, hodieque ut maxime viget ea formula poeseos, quæ severissime omnium scribentis ingenium coercet intra suos fines, angustos illos quidem; eam intelligo quam nos hic ante memoravimus, quam primus, ut arbitror, excoluit apud Italos Petrarca. Quæ cum spatiis utatur adeo exiguis, (nam ex lege quadam sacrosancta nun-

quam excurrit ultra quatuordecim versiculos); cumque præterea in se receperit conditionem illam minime facilem, sonorum non modo parium verum etiam similium, certis recurrentium intervallis, atque inter se jungendarum obliquo ac difficili nexu: mirere sane, quid adeo fuerit in causa, cur tot animi rapidi ac ferventes ultra sibi imposuerint istos terminos. Præter enim illum, quem modo nominavi, Petrarcam, dedit operam istiusmodi carminibus, quo nemo severius scripsit, nemo religiosius, Dantes Aligherus: dedit Michael Angelus ille Buonarotius, liberrimo ac prægrandi animo, qualem nulla facile constringeret lex, non unius dico artis, sed ne omnium quidem quotquot sunt artium: dedit etiam Spenserus noster, mollissimus simul et gravissimus Poetarum: ut alios taceam recentiores, non indignos sane qui istius gregis scribantur. Crediderim equidem tales viros non forte quadam sed occulto instinctu incidisse in eam formulam, quæ cum esset solito arctior, profundos animorum æstus et desideria posset simul et fovere et compescere, salvo pudore. Ita factum est, ut in majus promoveretur vivida illa vis animi, quæ consilii poetici expers, fuisset quodammodo ruitura, mole sua.

Redeo jam ad Lyricos, ac præsertim ad Pindarum; quem propter hodie in hunc sermonem incidimus. Neminem autem fugiet, opinor, qui vel modice sit imbutus ejus Poetæ lectione, jure quodam proprio convenire in eum omnia, quæ nos hoc tempore disputavimus de universo Lyricorum genere: difficillime videlicet apud eos inveniri quæ in unoquoque scribentium mens et indoles maxime dominetur. Nam et mirifica arte variantur atque implicantur Pindarici numeri, et e longinquo, si quis alius, solet

is fabulas, sententias, cæteram carminum supellectilem colligere. Utramque ob causam incertior fit conjectura, quo potissimum desiderio ictus cantaverit. Primo, vulgus eorum, qui legunt, avocatur, non auribus solum sed animis quoque, a re atque a scriptoris affectu in musicam quandam subtilitatem. Deinde sentiunt, rapida rerum mutatione ac decursu, præstringi quodammodo judicia sua, sicut lumina citissimo motu; ne penitus cernere possint quid agat scriptor singulis temporibus, quove potissimum desiderio teneatur.

Animadvertendum præterea, quod in omnibus quæ quidem extant Pindari carminibus, non sumit sibi materiem Poeta, sed in manus datam suscipit. Itaque præter communem illam quam nos tetigimus Lyricorum verecundiam, imponitur illi necessitas quædam fingendi ἐνδόσιμα, interdum longiora, quorum per tractum et seriem tandem aliquando possit accedere ad unum aliquem de fontibus suæ poeseos. Fontes autem Poeseos intelligo illas imagines, affectus, desideria, quibus occupatur intima cujusque mens.

Ac videor mihi forte quadam hic devenisse in eum locum, qui maxime aptus sit eximendo ei scrupulo, qui de Poetica disputantibus solet interdum esse molestior. Nempe mirantur, quo pacto fieri possit, ut pareat vivida illa Poetarum vis seu regum jussis, sive populorum clamoribus, seu tacitæ cujusque ætatis sententiæ et indoli: mirantur Virgilium nutu Cæsaris contulisse se ad Æneida scribendam; mirantur Spenserum nunc Epithalamiis nunc Threnodiis dedisse operam, prout cujusque patronorum res postulabant. Ac potuit fortasse nonnemini venire in mentem, ardores istos, quos jactant Poeseos

fautores, pro fictis et commentitiis esse habendos: quippe qui non solum obtemperent amicorum consiliis, verum etiam non raro, quod indignius, mercede conducantur. Sed meminerint velim isti calumniatores, eam esse legem sinceræ Poeseos,—illius certe quæ optimo jure vindicat sibi venerandum nomen,—ut quærat plerumque latebras, lucem effugiat, nemini facile committat arcana sua, nisi quem crediderit iisdem quasi tangi amoribus. Quare non recusat argumenta longius petita: immo sæpius affectare dixeris; modo detur via quædam occulta, qua tacite migrare possit in eas res, quas vere admirari solet, carasque habere. Nihil autem vetat, opinor, præberi aliquando per edicta principum tale argumentum, quod non inepte fingere possit vir ingeniosus ad animi pleni solatium.

Fortasse igitur et apud Pindarum pervenire possit aliquis paullo oculatior, per vias quasdam et rivulos, ad summa capita, et fontes, quos dixi, Poeseos. Etsi id fateor fore incommodum, quod ne uno quidem in carmine prodeat Scriptor sponte sua; ne semel quidem sibi curriculum delegerit. Extitit quidem, si fides veteribus, magna vis diversorum ejus carminum, Hymni, Dithyrambi, Scholia, Threni; quibus si hodie frueremur, promptius foret judicium de animo scribentis. Nam juxta carmen illud elegantissimum Horatii,

> Seu per audaces nova Dithyrambos
> Verba devolvit, numerisque fertur
> Lege solutis;
> Seu Deos regesve canit, Deorum
> Sanguinem;

videtis magna eum libertate usurum vel in numeris vel in argumento. Postea vero quam ventum erat

ad alterum illud genus, quod in proximo versu laudatur:—

> Flebili sponsæ juvenemve raptum
> Plorat, et vires animumque moresque
> Aureos educit in astra, nigroque
> Invidet Orco:—

debuit utique causa illa, tam diversa ab Epiniciis, in clariore luce scribentis ingenium atque indolem ponere. Cum vero fato quodam maxima pars ejus carminum interierit, quæ autem reliqua sint, pertineant ferme omnia ad gymnicas victorias, materiem tum per se jejuniorem, tum nulla admodum rerum varietate distinctam: superest ut qua poterimus subtilitate abditos ejus affectus odoremur; id quod ita fiet optime, si videbimus, quo quasi portu acquiescere soleat Poesis ejus, post tot ambages et *ἐνδόσιμα*; quæ potissimum quærat diverticula; quo maxime in argumento ludant atque exultent numeri.

Noverunt enim experti, mirifice consentire hinc aurium illinc animorum desiderium: liberiore itaque vena fluere carmina, et facilius in mentem venire suo tempore quæsitos pedes, syllabas, versiculorum clausulas, quoties ventum est ad ea, quæ maxime quisque adamaverit, quæque in deliciis habeat. Profecto felicius quodammodo et numerosius cadunt plerumque illi versus, quorum sive ardentia verba seu pleni ac profundi sensus docent scriptorem eo certe tempore loqui non ex formula sed ex intimo puroque pectore.

Expendatis modo velim judicio aurium carmen aliquod Pindaricum de celebrioribus. Fiat periculum vel in illo quod primum legenti occurrit[b]:

> *ἄριστον μὲν ὕδωρ· ὁ δὲ χρύσος, αἰθόμενον πῦρ*
> *ἅτε, διαπρέπει νυκτὶ, μεγάνορος ἔξοχα πλούτου.*

[b] *Ol.* I. I. ed. Dissen.

εἰ δ' ἄεθλα γάρυεν
ἔλδεαι, φίλον ἦτορ,
μήκεθ' ἁλίου σκοπεῖν
ἀλλὸ θαλπνότερον ἐν ἁμέρᾳ φαεννὸν ἄστρον ἐρήμας δι' αἰθέρος·
μήδ' Ὀλυμπίας ἀγῶνα φέρτερον αὐδάσομεν.

Videtisne, magnifico sonorum etiam atque rhythmi apparatu ornari mentionem splendoris illius unici? dignissimam sane rem quæ hæreat infixa pectore summi Poetæ. Mox vero ad ipsam carminis materiem aggressus, vocem edit, ni fallor, sermoni multo propiorem.

ὅθεν ὁ πολύφατος ὕμνος ἀμφιβάλλεται
σοφῶν μητίεσσι, κελαδεῖν
Κρόνου παῖδ', ἐς ἀφνέαν ἱκομένους
μάκαιραν Ἱέρωνος ἑστίαν·
θεμιστεῖον ὃς ἀμφέπει σκᾶπτον ἐν πολυμάλῳ
Σικελίᾳ, δρέπων μὲν κορύφας ἀρετᾶν ἄπο πασᾶν.

Iterum jam, ut equidem arbitror, ex hoc usque versu numeri in majora assurgunt; injecta videlicet lyræ ac melici certaminis mentione, quod argumentum cum magno amore nunquam non prosequi solet.

ἀγλαΐζεται δὲ καὶ
μουσικᾶς ἐν ἀώτῳ,
οἷα παίζομεν φιλὰν
ἄνδρες ἀμφὶ θάμα τραπέζαν.

Ex his et talibus fortasse intelligi poterit, multum in indole scriptoris indaganda numerorum quoque flexus et varietates valere: perinde sane atque gressus euntis in declarandis animi motibus.

Hujusmodi igitur indiciis usus, Academici, non dubitanter audeam hunc Nostrum ad eandem familiam referre, quam ante jam ornari diximus nobilissimo pari Poetarum, Homero et Æschylo: ex ea parte duntaxat, qua pertinent omnes ad mores et ad tempora (quæ vulgo vocant) heroica. Quanquam de Æschylo fortasse dubites, an is ullius rei causa, præ-

terquam temporis, illi sæculo apponi debeat: quippe deditus philosophiæ cuidam suæ, vel potius dicam pietati: et in res gestas regum ducumque et in tristia bella duntaxat ad id intentus, ut habeat unde monstrare possit Fortunæ lusus et inania vota hominum. Crediderim autem eum fabulis heroicis sese addixisse ob eam maxime causam, quod earum ope conjungi videbantur res divinæ cum humanis, de cælo in terras facilior aditus patebat. Accedit quod omnino quæri debuerint res paulo remotiores ab ipsa scribentis ætate: nihil autem adeo erat in promptu, quam annales et monumenta heroum, immistis etiam religionibus. De Homericorum ratione satis superque disputavimus suo loco: teneri nempe summum Poetam πόθῳ quodam temporis recens acti; itaque sibi remedium per splendida illa somnia quæsivisse.

Jam vero Pindari nostri causa, quantum equidem conjectura auguror, paullum ab utroque diversa erit. Non enim illi viro, ut Æschylo, sordent omnia quæ sensibus cerni possunt, præ cogitationibus arcanis et sacrosanctis: neque is, ut Homerus, vitæ functos amatoria quadam mœstitia prosequitur. Verum ita ferme sentio; contemplari Pindarum cum simplici voluptate reliquias et monumenta illius ævi; capi eum memoriæ splendoribus, stupere in titulis et imaginibus, delectari velut scena et umbris annorum præteritorum. Ne multa: perinde se habent Pindarica ad ætatem illam quam cecinit Homerus, atque ad Medii (quod appellant) Ævi miracula Poesis illa quæ viguit his regionibus, tertio quartove abhinc sæculo. Permagna videlicet eo tempore fuit opinio, non vulgi solum sed et multorum de prima-

riis, arctissime conjungi cum pristina illa nobilitate militares et equestres ludos, arma campestria, solennia regalis aulæ. Itaque tum apud Spenserum nostrum, tum apud eos quos ille proposuit sibi exemplo, Italos, videtis regnare commentitios illos splendores, vitæque sub dio trepidisque in rebus actæ non formam ipsam sed quandam similitudinem: ne forte mirabile cuiquam videatur, Pindarum, talem virum, commoveri potuisse athletarum palmis et laboribus, Olympico pulvere, luxu et epulis tyrannorum. Sensit utique super hæc omnia diffundi colorem nescio quem temporis antiqui; sensit revocari ad tempus heroum veterum, etsi non vim illam et spiritum plane divinum, at ornamenta quædam tamen; at eximii decoris signa; at pristinam oris, incessus, loquelæ majestatem.

His itaque captus, ut dicebam, Pindarus, ita veteribus immiscet recentia, ut non tam videatur acta laudare tempora, quam suscitare sopitam aliquam dulcedinem; læta plerumque ac festiva fluunt illi tempora; videas, Horatiano illi similem, "Tentantem majora, fere præsentibus æquum."

Exemplis, quid velim, declarare liceat: quanquam ejusmodi sit quæstio, quæ minime omnium patiens sit formularum ac justæ controversiæ. Non cuivis, ut opinor, Poetæ contigerit amore prosequi solido ac sincero varia ista certamina, ludicrosque labores. Pindaro non defuit ista mens, siquidem credibile est, amari a quolibet eas res, quas avide canit, arrepta occasione. Pindarum autem placere sibi novimus, narranda non summa modo cujusque victoriæ, sed rationibus causisque explicandis, et qua potissimum arte quisque valuerit. Verbi causa, Pancratium

vincenti gratulatus, acute tangit proprias Pancratii laudes: primo, quod tot devicerat ille athletas, ingruentes alium super alio: quod genus ἔφεδροι vocabantur[c]:

> *τῶν ἀπειράτων γὰρ ἄγνωστοι σιωπαί·*
> *ἔστιν δ' ἀφάνεια τύχας καὶ μαρναμένων,*
> *πρὶν τέλος ἄκρον ἱκέσθαι·*
> *τῶν τε γὰρ καὶ τῶν διδοῖ·*
> *καὶ κρέσσον' ἀνδρῶν χειρόνων*
> *ἔσφαλε τέχνα καταμάρψαισ'.*

Addit deinde illud post paulo, exquisitius dictum de eodem certamine:

> *τολμᾷ γὰρ εἰκὼς*
> *θυμον ἐριβρεμετᾶν θηρᾶ λεόντων*
> *ἐν πόνῳ· μῆτιν δ' ἀλώπηξ, αἰετοῦ ἅ τ' ἀναπιτναμένα ῥόμβον ἴσχει.*
> *χρὴ δὲ πᾶν ἔρδοντα μαυρῶσαι τὸν ἐχθρόν·*
> *οὐ γὰρ φύσιν 'Ωαριωνείαν ἔλαχεν,*
> *ἀλλ' ὀνοτὸς μὲν ἰδέσθαι,*
> *συμπεσεῖν δ' ἀκμᾷ βαρύς.*

Videtis, acute vereque tangi motus palæstræ et flexiones artuum, puerorum, ut fit, ludentium similiores; ita tamen ut parum de lyrici carminis severitate deminuatur. Sexcenta alia proferre possim, quæ aliud agendo scriptorem declarant ludorum omnium quos celebrabat neque negligentem neque imperitum. Velut ubi laudat Hieronem cursu victorem, quod[d]

> *ἀγαναῖσιν ἐν χερσὶ ποικιλανίους ἐδάμασσε πώλους.*

Etiam ubi patrono commendat aurigam[e]:

> *οὐκ ἐμέμφθη*
> *ῥυσίδιφρον χεῖρα πλαξίπποιο φῶτος,*
> *τὰν Νικόμαχος κατὰ καῖρον νωμ' ἁπάσαις ἁνίαις.*

Non sine curiosa quadam felicitate docuit habenas non tam flecti quam tacite ac sensim fluere quodammodo, leni dextræ obtemperantes.

[c] *Isthm.* 3. 51. [d] *Pyth.* 2. 14. [e] *Isthm.* 2. 31.

Innumeræ porro apud eum passim extant similitudines, eductæ ex gymnasiis et arena Olympica: ut facile noscas animum imbutum et intentum ejusmodi studiis. Exempli gratia [f],

> *εἴην, inquit, εὑρησιεπὴς ἀναγεῖσθαι*
> *πρόσφορος ἐν Μοισᾶν δίφρῳ·*
> *τολμὰ δὲ καὶ ἀμφιλαφὴς δύναμις*
> *ἕσποιτο.*

Intelligas hic nullo negotio, obversari animo scriptoris speciem aurigæ non frustra tendentis retinacula, sed magna tum conscientia virium tum prosperæ fortunæ fiducia.

Neque vero illud non elegantissimum, quod ingressurus in fabulam quandam aperit sibi viam eo clamore, quo solent uti quadrigarum rectores, quando progrediuntur in apricum campum [g].

> *ὦ Φίντις, ἀλλὰ ζεῦξον ἤδη μοι σθένος ἡμιόνων,*
> *ᾇ τάχος, ὄφρα κελεύθῳ τ' ἐν καθαρᾷ*
> *βάσομεν ὄκχον, ἵκωμαί τε πρὸς ἀνδρῶν*
> *καὶ γένος.*

Est ubi, aurigarum more, profitetur ac præ se fert singularem aliquam sollicitudinem, ne forte non integro curru pervenerit ad metam victor:

> *ἀκηράτοις ἁνίαις*
> *ποδαρκέων δώδεκ' ἂν δρόμων τέμενος.*
> *κατέκλασε γὰρ ἐντέων σθένος οὐδέν, ἀλλὰ κρέμαται,*
> *ὅποσα χεριαρᾶν*
> *τεκτόνων δαιδάλματ' ἄγων*
> *Κρισαῖον λόφον*
> *ἄμειψεν ἐν κοιλόπεδον νάπος*
> *θεοῦ.*

Nimirum, qua cura vidimus angi Homerum de armis telisque et omni bellantium apparatu, eadem

[f] *Ol.* 9. 120. [g] *Ibid.* 6. 37.

haud immerito Pindarum occupat circa rotas et temonem et instrumentum gymnasii.

Veniamus ad alia certamina: quorum duo non indocte tetigit Scriptor uno illo versiculo [h],

> *πλαγᾶν δρόμον εὐθυπορῆσαι.*

Apte conjungit ictus pugilum cum cursu eorum qui stadio certant: cum utraque res in eo magnopere versetur, ut tendat aliquis directe, quo ferri velit. Pergit deinde laudare pugilem victorem,

> *χερσὶ δέξιον, νόῳ ἀντίπαλον.*

Quasi dicat, animo eum semper adesse; etiam ubi vehementissime pugnetur, plurima ferme consilio agi.

Alio in carmine prodit idem luctæ quoque non ignarus [i].

> *οἷον αἰνέων κε Μειλησίαν ἐρίδα στρέφοι.*
> *ῥήματα πλέκων, ἀπάλαιστος ἐν λόγῳ ἕλκει,*
> *ἄγαθα μὲν φρονέων ἐσλοῖς,*
> *τράχος δὲ παλιγκότοις ἔφεδρος.*

Quid? quas sibi formulas excogitat Pindarus, more omnium qui carmina fingunt longiora, quarum ope vel incitare se vel incitatum revocare solet; nonne eas sæpissime legimus efferri verbis e re gymnastica petitis? Ut ad Hieronem laudandum aggrediens [k],

> *ἄνδρα δ' ἐγὼ κεῖνον*, inquit,
> *αἰνῆσαι μενοινῶν ἔλπομαι*
> *μὴ χαλκοπάραον ἄκονθ' ὥσει τ' ἄγωνος βαλεῖν ἔξω παλαμᾷ*
> *δονέων,*
> *μακρὰ δὲ ῥίψαις ἀμεύσεσθ' ἀντίους.*

Petitur interdum e Discobolis translatio: ne cuiquam certaminum denegetur iste honos [l].

> *μακρὰ δισκήσαις ἀκοντίσσαιμι τοσοῦθ', ὅσον ὀργὰν*
> *Ξεινοκράτης ὑπὲρ ἄνθρωπον γλυκεῖαν*
> *ἔσχεν.*

[h] *Isthm.* iv. 76. [i] *Nem.* 4. 150. [k] *Pyth.* 1. 81. [l] *Isthm.* 2. 51.

Neque vero eorum est oblitus, qui arcu et sagitta certant: etsi vereor ut iste ludus unquam sibi locum in gymnasiis, Hellenicis quidem certe, meruerit. Sed tamen ejusmodi est, ut sæpius injecta ejus mentio significationem habeat animi minime a gymnasticis alieni. Videte igitur an hæc quoque cadant in hodiernam disputationem [m]:

> πολλά μοι ὑπ' ἀγκῶνος ὠκέα βέλη
> ἔνδον ἐντὶ φαρέτρας . . . .
> ἔπεχε νῦν σκόπῳ τόξον, ἄγε θῦμε, τίνα βάλλομεν
> ἐκ μαλθακᾶς αὖτε φρενὸς εὐκλέας ὀϊστοὺς ἵεντες; ἐπί τοι
> 'Ακράγαντι τανύσαις, αὐδάσομαι.

Ejusdem loci sunt, quibus alioqui se cohibet, ne forte diversæ et irritæ laudationes ejus abeant [n],

> ἐμὲ δ' εὐθὺν ἀκόντων
> ἱέντα ῥόμβον παρὰ σκοπὸν οὐ χρὴ
> τὰ πολλὰ βέλεα καρτύνειν χεροῖν.

Sed de his satis superque. Sequitur ut proferam pauca quædam, quorum ea vis erit, ut Pindarum demonstrent mirum in modum cum athletis ferme sentire. Primo, quod ad ipsum laborem attinet; gratulatur cuidam aliquo in loco, quoniam [o]

> ἐξέπεμψεν παλαισμάτων αὔχενα καὶ σθένος ἀδίαντον,
> αἴθωνι πρὶν ἁλίῳ γυῖον ἐμπεσεῖν.

Ponit ante oculos fugam eorum qui repulsam passi sunt; qua ignominia, quoque pudore, abdant se quisque in suum angulum [p].

> τοῖς οὔτε νόστος ὁμῶς
> ἔπαλπνος ἐν Πυθιάδι κρίθη,
> οὐδὲ μολόντων πὰρ ματέρ' ἀμφὶ γέλως γλυκὺς
> ὦρσεν χάριν· κατὰ λαύρας δ' ἐχθρῶν ἀπάοροι
> πτώσσοντι, συμφορᾷ δεδαιγμένοι.

[m] *Ol.* 2. 150. [n] *Ibid.* 13. 132. [o] *Nem.* 7. 106.
[p] *Pyth.* 8. 119.

Quid contra victor egregius? num caret is omni solicitudine? num totus in deliciis versatur, gloriæ securus? Immo vero habet sibi curam, et anxiam quidem; etsi conjunctam cum summa victoriæ dulcedine. Audite vero:

ὁ δὲ καλόν τι νεὸν λαχὼν,
ἁβρότατος ἔπι, μεγάλας
ἐξ ἐλπίδος πέταται
ὑποπτέροις ἀνορέαις, ἔχων
κρεσσόνα πλούτου μέριμναν.

Neque aliud ferme sonant ea quæ sequuntur, obscurius licet dicta sint[q].

ἑτέροις ἑτέρων ἔρως ὑπέκνισε φρενάς· τῶν δ' ἕκαστος ὁρούει
τυχὼν κεν, ἁρπαλέαν σχέθοι φροντίδα τὰν πὰρ ποδος·
τὰ δ' εἰς ἐνιαυτὸν, ἀτέκμαρτον προνοῆσαι.

Quænam, obsecro, est ea *μερίμνα*, quæ *φροντίς*, quæve spes inquieta et importuna, quæ non sinit esse beatum, ne iterata quidem victoria? Nempe, qui vicerat minora certamina, semper fere spectabat Olympiam; qui Olympicum, ne is quidem poterat esse penitus liber a molestæ ambitionis stimulo, semper ad ulteriora gradientis. Utrumque suo more solatur Pindarus; nam et illorum gratia miris effert laudibus Olympicam coronam, et quod his remedio sit, multus est in loco toties ab omnibus decantato, tum philosophis tum poetis, restingui debere cupidinem illam infinitam, postquam semel ad metam laborum perveneris. Pauca ad exemplum in utroque genere proponemus.

Primum, Isthmico victori, Olympiam cogitanti, elegantissime blanditur, carmine de epulis translato[r].

θάλλοντος ἀνδρῶν ὡς ὅτε συμποσίου
δεύτερον κρατῆρα Μοισαίων μελέων
κίρναμεν Λάμπωνος εὐάθλου γενεᾶς ὕπερ· ἐν Νεμέᾳ μὲν
πρῶτον, ὦ Ζεῦ,

q *Pyth.* 10. 95.

r *Isthm.* 6. 1.

τίν γ' ἄωτον δεξαμένοι στεφάνων·
νῦν αὖτις Ἰσθμοῦ δεσπότᾳ
Νηρεΐδεσσι τε πεντήκοντα παίδων ὁπλοτάτου
Φυλακίδα νικῶντος· εἴη δὲ τρίτον
σωτῆρι πορσύνοντας Ὀλυμπίῳ Αἴγιναν κάτα
σπένδειν μελιφθόγγοις ἀοιδαῖς.

Jam illud animadverti potest, uti eum in hac re non semel ambagibus et tecto sermone; qui mos fere est amantium, et eorum omnium, qui majus aliquod meditantur, quam quod apertis verbis in vulgus hominum efferre audeant. Tulitne aliquis primas apud Nemeam? vaticinatur de eo Pindarus hoc tenore [s].

ὀφείλει δ' ἔτι, πατρίαν εἴπερ καθ' ὁδὸν νιν εὐθύπομπος
αἰὼν ταῖς μεγάλαις ἔδωκε κόσμον Ἀθάναις,
θάμα μὲν Ἰσθμιάδων δρεπέσθαι κάλλιστον ἄωτον, ἐν Πυ-
  θίοισί τε νικᾶν
Τιμονόου παῖδ'· ἔστι δ' ἐοικὸς
Ὀρειᾶν γε Πελειάδων
μὴ τηλόθεν Ὠαρίωνα νεῖσθαι.

Videtis cum religione quadam reticeri nomen Olympiæ, re satis perspecta. Ne illa quidem prætereunda, gravissima sane, neque indigna quæ adhibeantur ad justam orandi formulam [t].

ἐκράτησε δὲ καὶ ποθ' Ἕλλανα στρατὸν Πυθῶνι, τυχᾷ τε μόλων
καὶ τὸν Ἰσθμοῖ καὶ Νεμέᾳ στέφανον, Μοισαῖσι τ' ἔδωκ' ἄροσαι,
τρὶς μὲν ἐν πόντοιο πυλαῖσι λαχών,
τρὶς δὲ καὶ σεμνοῖς δαπέδοις, ἐν Ἀδραστείῳ νόμῳ·
Ζεῦ πατέρ, τῶν μὰν ἐράται φρενὶ σιγᾷ οἱ στόμα· πᾶν δὲ τέλος
ἐν τὶν ἔργων· οὐδ' ἀμόχθῳ καρδίᾳ προσφέρων τόλμαν παραιτεῖται
  χάριν·
γνῶτα Θειαίῳ τε καὶ ὅστις ἁμιλλᾶται περὶ
ἐσχάτων ἀέθλων κορυφαῖς· ὕπατον δ' ἔσχεν Πίσα
Ἡρακλέος τεθμόν.

Altera, ut diximus, causa erat eorum, qui satiari non poterant ne Olympica quidem palma: quorum

s *Nem.* 2. 9.   t *Ibid.* 10. 46.

ille laudibus admiscere solet gravissimas illas admonitiones [u].

> *ὑγίεντα δ' εἴ τις ὄλβον ἄρδει*
> *ἐξαρκέων κτεάτεσσι καὶ εὐλογίαν προστιθεὶς, μὴ ματεύσῃ θεὸς γενέσθαι.*

Et alio loco [x],

> *δυὸ δέ τοι ζωᾶς ἄωτον μοῦνα ποιμαίνοντι τὸν ἄλπνιστον εὐανθεῖ σὺν ὄλβῳ,*
> *εἴ τις εὖ πάσχων λόγον ἐσλὸν ἀκούσῃ·*
> *μὴ μάτευε Ζεὺς γενέσθαι· πάντ' ἔχεις,*
> *εἴ σε τούτων μοῖρ' ἐφίκοιτο καλῶν·*
> *θνατὰ θνατοῖσι πρέπει.*

Hinc ille campus splendidiorum carminum, nunc de columnis Herculis [y]:

> *εἰ δ' ἐὼν καλὸς, ἔρδων τ' ἐοικότα μορφᾷ*
> *ἀνορέαις ὑπερτάταις ἐνέβα παῖς 'Αριστοφάνευς· οὐκετι πρόσω*
> *ἀβάταν ἅλα κιόνων ὑπὲρ 'Ηρακλέος περᾶν εὐμαρές· ἥρως θεὸς ἃς ἔθηκε ναυτιλίας ἐσχάτας*
> *μάρτυρας κλυτάς.*

Iterum de Hyperborea gente [z]:

> *ὁ χάλκεος οὔρανος οὔ ποτ' ἄμβατος αὐτῷ·*
> *ὅσαις δὲ βρότεον ἔθνος ἀγλαΐαις ἀπτόμεσθα, περαίνει πρὸς ἔσχατον*
> *πλέον· ναυσὶ δ' οὔτε πεζὸς ἰὼν ἂν εὕροις*
> *ἐς 'Υπερβορέων ἀγῶνα θαυμάσταν ὁδόν.*

Aliquando etiam in partes adhibet cælum ipsum, stultitia petitum [a]:

> *τὰ μακρὰ δ' εἴ τις*
> *παπταίνει, βραχὺς ἐξικέσθαι χαλκόπεδον θεῶν ἑδράν· ὅτι πτεροεὶς ἔρριψε Πάγασος*
> *δεσπόταν ἐθέλοντ' ἐς οὐρανοῦ σταθμοὺς ἐλθεῖν μεθ' ὁμάγυριν Βελλεροφόνταν*
> *Ζηνός.*

His omnibus vim eam inesse arbitror, ut doceant, Pindarum nostrum cum athletis suis communes quodammodo sensus et studia habuisse. Restant aliqua

[u] *Ol.* 5. 55. [x] *Isthm.* 5. 14. [y] *Nem.* 3. 31.
[z] *Pyth.* 10. 41. [a] *Isthm.* 6. 60.

eodem pertinentia, et plura quidem, quam quæ commode possint hodierno sermone comprehendi. Differam igitur, si placet, in alium diem. Unum modo vos præmoneri velim, ne forte genus hoc omne contemnendum esse putet aliquis, tanquam leve prorsus et ludicrum. Quod contra versari potuisse in eo non indigne divinum Poetam, partim jam ante monstravi, partim probabili certe ratione, cum tempus venerit, pro viribus obtinebo.

PRÆLECTIO VICESIMA QUINTA.

Probatur, campum satis amplum præbuisse Pindaro Ludos Gymnasticos. Apponuntur plurima exempla, ad indolem ejus pertinentia: ea præsertim, quæ aut præmia victoris describunt, aut ad indolem quandam gymnasticam sunt composita.

SI quis forte vestrum, Academici, concludi putet a nobis Pindarum vel termino nimis angusto vel etiam inepta ac puerili materie; quoniam videlicet referendam decrevimus Pindaricam Poesin ad rem gymnasticam tanquam ad proprium ejus fontem; cogitet is velim, primo, id quod omnibus erit in promptu; pertinuisse quam proxime ad summam rei Hellenicæ, prout erant tunc civitates, gymnasii artes et athletarum studia. Bella gerebant eo tempore perpetua; paucissimis utebantur militibus, eaque armatura, cujus fortuna præcipue penderet a viribus atque ab agilitate singulorum virorum: ex quo effectum est, momenta præliorum verti ut plurimum in uno atque altero τῶν προμάχων.

Cum istis præterea ludis arctissime conjungi videbatur communis universæ Græciæ salus, graviter periclitantis, omni ætate Pindari, propter immi-

nentes Persarum vires. Solennes videlicet cærimoniæ et sacrificia, festi dies in honorem Deorum acti, veterum heroum nomina, laudis et religionis causa juxta tumulos ipsorum nominata, coronata busta, cantatæ næniæ:—ecquid, putatis, aliud agebant, nisi ut altius penetraret in animos Graiorum patria et avita pietas; flagraret odio gens universa in direptores templorum, statuarum eversores? Quid quod iisdem diebus revocari sentiebant in præsentissimam memoriam, immo tantum non coram adesse, priscos bellatores, patriæ decus, quorum major meliorque pars, Herculis videlicet comites et Agamemnonis, cum iisdem illis Asiaticis fortissime pugnaverant?

Verum, ut id quod res est fatear, vix crediderim Pindaro nostro venisse in mentem publica ista commoda, quorum ope sua sibi probaret, tanquam haud prorsus indigna serio ac divino carmine. Alia longe, ni fallor, fuit plerumque ratio eorum, qui variis temporibus functi sunt magnorum Poetarum officio. Hos, maximam partem, ita educavit sive natura sive ea quæ dicitur fortuna, ut pueriles ferme lusus ac deliciæ essent cuique pro quadam palæstra, ubi se tentare possent atque in majora paullatim assurgere. Itaque felici potius augurio, quam ullo judicio suarum mentium, eo deferuntur quo quemque suus trahit Genius. Quid vetuit et Pindarum, Thebarum alumnum, quæ urbs et ipsa suis gaudebat ludis, et propius aberat a Delphis et Pythico certamine; quæ præterea, (quod sæpius docemur a Pindaro) Æginæ jungebatur eximia quadam consuetudine;—quid Pindarum, inquam, vetuit a tenero ungue, quod aiunt, volitare in gymnasio, versari cum athletis, oculis animoque fortunas certantium prosequi?

Jam si cui jejunum videatur et exile argumen-

tum, repetat is velim memoria magni cujusque operis initia, quantum quidem ea divinando assequi liceat. Inveniet hac lege teneri non eos solum qui scribunt carmina, verum etiam omnes qui aliquo modo velint ingenii fructus edere, ut multo facilius meliusque res procedat, exordium ducentibus a minuta quadam parte, quam universum quasi rerum orbem complectentibus. Memini equidem me sæpius audivisse, cum dicerent ingeniosi viri, commodissime informari posse juniorum stylum, si res ad disputandum propositæ jejuniores quam laxiores esse videantur: quippe rectius et expeditius deduci posse rem quamque de singularibus, quæ vocant logici, ad universa, quam de universis ad singularia. Ac nescio sane an ea lex vehementius quoque pertineat ad Poesin, quo latius apud eam dominetur oculorum etiam non animi solius judicium: quorum omnis provincia singulis rebus continetur.

Neque vero amplissimam Poetis denegamus libertatem, qua se, quoquo velint, effundant. Quis enim nescit alacrem illam, indefessam, infinitam vim memoriæ, qua solent inter se colligari miris modis omnia illa, quæ vel locis vel temporibus iisdem facta, dicta, conspecta, excogitata fuerint? Verbi gratia: coronam oleaginam ecquis ullo tempore conspexit veterum Graiorum, non revocata statim Herculis et Olympiæ memoria? qui modo semel audiverit fabulam illam, quam narravit alicubi Pindarus, de arbore illa primo illata in Græciam, ne desit novo certamini proprius ac perennis honos. Intelligitis, opinor, nullo negotio, vix quidquam fore in rerum natura, quod non similiter pertinebit ad aliquam sive fabulam de veteribus, seu similitudinem de elegantioribus.

Scilicet infinita quadam sed obscura serie necti

videntur inter se omnia, quæ cuiquam nostrum aliquo tempore seu venerint seu ventura sint in mentem. Nihil est, quod in ea serie careat prorsus sua vi ac loco. Eam qui lucide ac potenter, quasi filo in manibus dato, deducunt, variantque;—quæ semper habita est quasi quædam prerogativa magni ac divinioris ingenii;—hos nihil quod sciam vetat, quin minimis initiis nobilissimos adjungant exitus: nedum licuerit principi Lyricorum augusta omnia et sacrosancta cum palæstra et stadio conjungere. Plane sicut aiunt Philosophi, minime quidem illi vulgares, esse quoddam commune vinculum, quo inter se nectuntur non modo omnes artes quæ ad humanitatem pertinent, omnesque gravioris scientiæ partes, verum etiam omnia penitus, quæ in unoquoque genere recte possit affirmare aliquis:—ex quo efficitur, id quod docuit vir divino acumine, Butlerus[a], "Neminem scire, an quicquid vere dicatur respiciat quodammodo omnia, quæ vere dici possint, obscuris plerumque ambagibus, ita tamen, ut uno negato corruant plane omnia:"—sic norunt Poeseos alumni, facillime in rem suam converti quæcunque in mentem vel in manum veniant, modo ferveat quis animo, totumque se operi addicat.

Quæ cum ita sint, nolite putare, Academici, campo non satis amplo donari a nobis Pindarum, cum dicimus, ex amore rei gymnasticæ, velut e regula, totam ejus carminum rationem explicari posse. Quem locum nos eo jam usque, si meministis, antea tractavimus, ut doceremus, adhibita exemplorum copia, Pindarum cum athletis mirandum in modum sensisse, positis videlicet in ipso certaminis articulo.

[a] *Anal.* p. 1. c. 7. p. 173. Ed. Oxon. 1807.

Veniamus hodie ad præmia victoriæ; præconium, serta, epulas, Κῶμον, hymnum qui vocabatur Ἐπινίκιος: quod genus omne, uti par erat, Pindarus apprime habet in deliciis. In promptu erit exemplorum seges, uberior fortasse quam antea: quibus ne desit ordo quidem suus, adhibeantur primo quæ communia sunt universæ athletarum nationi; deinde ea quibus minime negamus immisceri præcipuum aliquod ac proprium Pindari.

Jam victoribus nihil neque prius neque ut puto gratius occurrebat, quam ut pleno Graiorum cœtu publici præconis voce renunciarentur victores, adjecto tum patris tum etiam patriæ nomine. Mirum itaque ni *βοὰ κάρυκος ἐσλοῦ* suis aliquando fruatur laudibus apud Scriptores, quos vocant, Agonisticos: præsertim cum isti officio tribuerit semper antiquitas Hellenica sanctum aliquod ac religiosum. Sic Ætneæ Coloniæ gratulatur Poeta, quod eam non Syracusas suas nominari voluerit Hiero *πυθιονίκης*, edita pro more formula[b].

κλεινὸς οἰκιστὴρ ἐκύδανεν πόλιν
γείτονα, Πυθιάδος δ' ἐν δρόμῳ κάρυξ ἀνέειπέ νιν, ἀγγέλλων
Ἱέρωνος ὑπὲρ καλλινίκου
ἅρμασι.

Quo in loco mentionem quoque, licet obscuriorem, fieri crediderim solennis cantilenæ[c],

τήνελλα·
ὦ καλλίνικε· χαῖρ' ἄναξ Ἡράκλεες
αὐτός τε χὠ Ἰόλαος, αἰχμάτα δυό.
τήνελλα.

Carmine hoc cum suis numeris—numeros intelligo quales habent musici—utebantur ferme in Panegyricis, si cui athletarum defuit proprius laudator.

[b] *Pyth.* I. 59. [c] *Schol. in Pind. Ol.* 9. I.

Quidni eo alluserit Pindarus, tum hic, tum ubi celebrat Arcesilam[d],

> ἔχοντα Πυθῶνοθεν
> τὸ καλλίνικον λυτήριον δαπανᾶν
> μέλος χαρίεν,

tum alioqui non semel? Decuit videlicet eum scriptorem, cui præ cæteris fuit in deliciis res omnis Olympica, cum voluptate quadam meminisse cantus etiam, qui ad eum locum pertinebat. Verum, quod ad præconem attinet, audite nunc elegantissimos versus[e]:

> εἰ δ' ἐτύμως ὑπὸ Κυλλάνας ὄροις
> Ἀγησία μάτρωες ἄνδρες
> ναιετάοντες, ἐδώρησαν θεῶν κάρυκα λιταῖς θυσίαις,
> πολλὰ δὴ πολλοῖσιν, Ἑρμᾶν, εὐσεβέως·—

(Pulchre, ut erat talium rerum peritissimus, tangit ejus viri prosapiam, domi, suos intra montes, fruentem ruris honoribus et avita religione. Porro autem, nominato Mercurio, meminit statim Poeta illius præconis, qui voce Agesiam non ita pridem celebraverat; ejusque partes, felici quadam versutia, transfert ad Deorum præconem;)—

> ὃς ἀγῶνας ἔχει, μοῖράν τ' ἀέθλων
> Ἀρκαδίαν τ' εὐάνορα τιμᾷ· κεῖνος, ὦ παῖ Σωστράτου,
> σὺν βαρυγδούπῳ Πατρὶ, κραίνει σέθεν εὐτυχίαν.

Est ubi præconis officium sibi etiam vindicat[f].

> Θεανδρίδαισι δ' ἀεξιγυίων ἀέθλων
> κάρυξ ἑτοῖμος ἔβαν,
> Ὀλυμπίᾳ τε καὶ Ἰσθμοῖ Νεμέᾳ τε συνθέμενος.

Atque etiam huic generi fortasse non male deputet aliquis *jurisjurandi* suscepti mentionem, a Pindaro non semel injectam. Etenim Olympiæ, illo tempore, frequentissimus erat jurisjurandi usus: jurati non modo judices judicabant, verum etiam can-

[d] *Pyth.* 5. 141. [e] *Ol.* vi. 130. [f] *Nem.* 4. 119.

didati accedebant ad sua quisque certamina: quæ res nescio equidem an lucem aliquam afferat his Pindaricis [g],

> *οὔτε δύσηρις ἐὼν, οὔτ᾽ ὢν φιλόνεικος ἄγαν,*
> *καὶ μέγαν ὅρκον ὀμόσσαις, τοῦτο γέ οἱ σαφέως*
> *μαρτυρήσω· μελίφθογγοι δ᾽ ἐπιτρέψοντι Μοῖσαι.*

Quin in quodam loco sciens volensque sacro se devincit Poeta. Nempe amicum solatur, quoniam [h]

> *ἐλπίδες ὀκνηρότεραι γονέων παιδὸς βίαν*
> *ἔσχον ἐν Πυθῶνι πειρᾶσθαι καὶ Ὀλυμπίᾳ ἄθλων·*
> *ναὶ μὰ γὰρ Ὅρκον, ἐμὰν δόξαν, παρὰ Κασταλίᾳ*
> *καὶ παρ᾽ εὐδένδρῳ μολὼν ὄχθῳ Κρόνου,*
> *κάλλιον ἂν δηριώντων ἐνόστησ᾽ ἀντιπάλων.*

Sed redeo ad victoris præmia. Proxime a præconis formula venit sertum capiti imponendum [i],

> *ᾧ τινι, κραίνων ἐφετμὰς Ἡρακλέος προτέρας,*
> *ἀτρεκὴς Ἑλλανοδίκας γλεφάρων Αἰτωλὸς ἀνὴρ ὑψόθεν*
> *ἀμφὶ κόμαισι βάλῃ γλαυκόχροα κόσμον ἐλαίας:*

Id quanti fecerit Pindarus, vel inde conjiciat aliquis, quod is Musarum quoque labores minime veretur comparare cum iis qui coronam curiosius plectunt [k].

> *εἴρειν στεφάνους ἐλαφρόν· ἀναβάλεο. Μοῖσά τοι*
> *κολλᾷ χρυσὸν ἔν τε λευκὸν ἐλέφανθ᾽ ἁμᾶ*
> *καὶ λείριον ἄνθεμον ποντίας ὑφελοῖσ᾽ ἐέρσας.*

Immo etiam integro carmine, eoque pulcherrimo, ornari voluit inventionem olivæ [l],

> *τάν ποτε*
> *Ἴστρου ἀπὸ σκιαρᾶν παγᾶν ἔνεικεν Ἀμφιτρυωνιάδας,*
> *μνᾶμα τῶν Ὀλυμπίᾳ κάλλιστον ἄθλων·*
> *δᾶμον Ὑπερβορέων πείσας, Ἀπόλλωνος θεράποντα, λόγῳ,*
> *πιστὰ φρονέων, Διὸς αἴτει πανδόκῳ*
> *ἄλσει, σκιαρόν τε φύτευμα, ξυνὸν ἀνθρώποις στέφανόν τ᾽ ἀρετᾶν.*

Ac nescio sane an huc pertineant exquisita illa

[g] *Ol.* 6. 31. [h] *Nem.* xi. 27. [i] *Ol.* 3. 20. [k] *Nem.* 7. 112.
[l] *Ol.* 3. 22.

quæ adhibet Pindarus, ubi dedita opera locum illum exsequitur, recentioribus solennem, apud Græcos certe veteres rariorem, de purpurei veris honoribus[m]:

> ἐν Ἀργείᾳ Νεμέᾳ μάντιν οὐ λανθάνει
> φοίνικος ἔρνος, ὁπότ' οἰχθέντος Ὡρᾶν θαλάμου,
> εὔοδμον ἐπαΐωσιν ἔαρ φυτὰ νεκτάρεα.
> τότε βάλλεται, τότ' ἐπ' ἀμβρόταν χέρσον, ἔραται
> ἴων φόβαι, ῥόδα τε κόμαισι μίγνυται·
> ἀχεῖται τ' ὀμφαὶ μελέων σὺν αὔλοῖς,
> ἀχεῖται Σεμέλαν ἑλικάμπυκα χοροί.

Videtisne notari tempora non siderum lapsu, non (qui Virgilii mos est) agricolarum operibus, sed eo indicio quod nemini in mentem venisset, nisi qui totus versaretur in re gymnastica atque in ludis Hellenicis? Nempe in sacrosancta palma, cujus virgula dabatur in manus athletæ victori apud Nemeam, videt ejus cærimoniæ antistes extare jam teneras gemmas, certissimos utique veris comites. Ecquem hic lateat mens Poetæ, mirifice intenta ludorum præmiis?

Sed locum hunc, qui est de coronis, rarius paulo tangit scriptor; materiem quippe omnium simplicissimam, quæque non admodum variari possit. Uberior multo locus est de epulis, deque eo qui Κῶμος vocatur: quo genere vehementer delectari solet Pindarus, splendido scilicet ac festivo, et in quo liberrime spatiari possit lætum atque fervidum ingenium. Velut ubi confert Poeseos munus cum poculo solennius propinato[n].

> φιάλαν ὡς εἴ τις ἀφνειᾶς ἀπὸ χειρὸς ἑλὼν
> ἔνδον ἀμπέλου καχλάζοισαν δρόσῳ
> δωρήσεται
> νεανίᾳ γαμβρῷ προπίνων οἴκοθεν οἴκαδε, πάγχρυσον, κορυφὰν κτεάνων,

[m] *Fragm. Dithyr.* 3. 12. p. 225.

[n] *Ol.* 7. 1.

συμποσίου τε χαρὶν κᾶδός τε τιμάσαις ἔον, ἐν δὲ φίλων
παρεόντων θῆκέ μιν ζαλωτὸν ὁμόφρονος εὐνᾶς·
καὶ ἔγω νέκταρ χυτὸν, Μοισᾶν δόσιν, ἀθλοφόροις
ἀνδράσιν πέμπων γλυκὺν καρπὸν φρένος,
ἱλάσκομαι Οὐλυμπίᾳ Πυθοῖ τε νικώντεσσιν.

Neminem, ut opinor, non moveat dulcissima illa domesticæ lætitiæ quasi tabula, quam hic depinxit uno alteroque versiculo, tanquam aliud agens, suavissimus omnium artifex. Videtis vero, scribentis animum quærere ultro similitudines ab iis potissimum rebus, quæ cum victoria ludicra conjungi soleant. Eadem ferme imagine in quinto Isthmicorum est usus, ita tamen ut poneret ante oculos non tam florentis familiæ quam sanctæ religionis specimen[o].

θάλλοντος ἀνδρῶν ὡς ὅτε συμποσίου
δεύτερον κρατῆρα Μοισαίων μελέων
κίρναμεν Λάμπωνος εὐάθλου γενεᾶς ὕπερ, ἐν Νεμέᾳ μὲν πρῶτον, ὦ
  Ζεῦ,
τίν γ' ἄωτον δεξάμενοι στεφάνων·
νῦν αὖτις Ἰσθμοῦ δεσπότᾳ
Νηρεΐδεσσί τε πεντήκοντα, παίδων ὁπλοτάτου
Φυλακίδα νικῶντος· εἴη δὲ τρίτον
σωτῆρι πορσαίνοντας Ὀλυμπίῳ Αἴγιναν κάτα
σπένδειν μελιφθόγγοις ἀοιδαῖς.

Pertinuit fortasse ea varietas ad aliquam eorum, quorum laudes canebantur, dissimilitudinem. Phylacidam certe, cui celebrando adhibuit Poeta illam quasi libandi formulam, scimus eo tempore ad certamen Olympicum arrectum et intentum fuisse. Cui rei non male congruebat illa votivi poculi mentio. De Diagora nil tale legimus: memorantur modo plures victoriæ, quibus ille Rhodum suam cohonestaverat. Veruntamen siquis forte velit conjicere, nuperrime convenisse in manus ejus fœminam quan-

[o] *Isthm.* 5. 1.

dam de splendidioribus, a verisimili, me quidem judice, non multum abhorrebit ejus conjectura. Jam non figurato sed proprio sermone laudat alioqui Pindarus epularum delicias [p].

> ἁσυχίαν δὲ φιλεῖ μὲν συμπόσιον· νεοθαλὴς δ' αὔξεται
> μαλθακᾷ νικαφόρια σὺν ἀοιδᾷ· θαρσαλέα δὲ παρὰ κρητῆρα φωνὰ
> γίγνεται·
> ἐγκιρνάτω τίς μιν, γλυκὺν κώμου προφάταν,
> ἀργυρέαισι δὲ νωμάτω φιάλαισι βιάταν
> ἀμπέλου παῖδ', ἅς ποθ' ἵπποι κτησάμενοι Χρομίῳ
> πέμψαν θεμιπλέκτοις ἅμα
> Λατοΐδα στεφάνοις ἐκ τᾶς ἱερᾶς Σικυῶνος.

Dextre, ut assolet, in triumphale convivium crateras infert, priorum certaminum præmia.

Neque vero illud prætereundum arbitror, quod justo carmine dignatus est commendare balneum, palæstræ solatium, epularum comitem [q].

> οὐδὲ θερμὸν ὕδωρ τόσον γε μαλθακὰ τέγγει
> γυῖα, τόσσον εὐλογία φόρμιγγι συνάορος.

Atque hoc quidem semel: chorea vero festiva, et pompa comissantium, qua excipi victorem mos erat domi a suis, iterum iterumque celebratur ejus carminibus, cum eximia quadam significatione gratulantis animi. Atque, quo penitius intelligatur egregium Pindari ex hac parte consilium, consideremus quænam fuerit potissimum istiusmodi κωμῶν ratio. Nempe post delatam coronam, solenni ordine sodales et amici victoris, cum ipso, ad templum alicujus Deorum incedebant. Deinde, votis rite peractis, deducebatur idem fausto clamore ac cantu. Poterat autem ea pompa fieri vel ibidem, quo pertinebant ludi, vel domi juxta triumphantis athletæ reditum; ea modo lege servata, ut magna ejus pompæ pars esset ἐπινικίον, quod appellabant, carmen.

[p] *Nem.* 9. 115. [q] *Ibid.* 4. 7.

Jam, quod ad rem hodiernam attinet, invenies, ni fallor, in singulis fere carminibus præsto esse Poetæ Chorum *domesticum*, non illum, qui Olympiæ vel Delphis, ipso certaminis articulo, adfuerat. Vestigiis equidem minime dubiis videor mihi deprehendisse, Pindari quotquot extant Panegyrica, si excipias tria fortasse vel quatuor de Olympicorum numero, primo fuisse cantata vel in patria vel certe apud domicilium eorum, qui laude ista beabantur. Ex quo efficitur, mirifica quadam varietate distingui potuisse præ cæteris ejus carmina, pro varia vel locorum indole vel fabularum recordatione, quæ cum singulis locis forte quadam fuerint conjunctæ.

Ac nostis, opinor, quantum intersit ad venustatem ejusmodi scriptionum, ut ne nimium vagentur cogitationes atque motus animorum, sed locentur, si fieri possit, in certa quadam regione et vicinia. Cujus rei tanta est vis, ut sæpius Homerus, Virgilius, alii, immiscuerint dedita opera narrationibus suis nomina villarum, urbium, fluminum, etiam ignotorum, vel nuda vel ἐπιθέτῳ simplice ornata; ne deesset quod veritatis specie, tenui quidem illa, commoveret et caperet animos. Nam nescio quomodo, nominatis modo nominibus, solent sibi homines ultro regionum ac locorum faciem depingere. Verbi gratia:

> [r] Ereti manus omnis, oliviferæque Mutuscæ:
> Qui Nomentum urbem, qui Rosea rura Velini,
> Qui Tetricæ horrentes rupes, montemque Severum,
> Casperiamque colunt, Forulosque et flumen Himellæ;
> Qui Tiberim Fabarimque bibunt; quos frigida misit
> Nursia, et Hortinæ classes, populique Latini.

Sin Homerica malis, habes in Catalogo sexcenta.

> [s] οἵ θ' Ὑρίην ἐνέμοντο καὶ Αὐλίδα πετρηέσσαν,
> Σχοῖνόν τε, Σκῶλόν τε, πολύκνημόν τ' Ἐτεωνόν,

[r] *Æneid.* 7. 711. [s] *Il.* 2. 496.

> Θεσπείαν, Γραῖάν τε, καὶ εὐρύχορον Μυκάλησσον,
> Οἵ τ' ἀμφ' Ἅρμ' ἐνέμοντο καὶ Εἰλέσιον καὶ Ἐρύθρας·

cum multis aliis.

Ac fateor equidem libens, Graiorum auribus ideo maxime placuisse ejusmodi nomina, quod erant ipsi locorum bene periti, immo suas aliquando vel patrias vel domos agnoscebant. Sed tamen hac etiam ætate, et apud nos, regione adeo remotos, arbitror istiusmodi formulas minime carere sua dulcedine. Nedum frigeant exordia illa, præclare a Pindaro comparata[t].

> ὦ πότνια Μοῖσα, μᾶτερ ἁμετέρα, λίσσομαι
> τὰν πολύξεναν ἐν ἱερομηνίᾳ Νεμεάδι
> ἵκεο Δωρίδα νᾶσον Αἴγιναν· ὕδατι γὰρ μένοντ' ἐπ' Ἀσωπίῳ μελιγαρύων τέκτονες
> κώμων νεανίαι, σέθεν ὄπα μαιόμενοι.

Videtis hæc simplicius enarrari: chorus videlicet Thebanorum juvenum patitur moras in via, Æginam versus, usque eo dum adveniat Musa, dux et carminis et itineris; res autem vel oculis subjicitur, mentione facta riparum Asopi.

Interdum mari quoque vehitur, musicis tamen modis obtemperans, Chorea: velut ad Rhodum, celebratura Diagoræ palmam[u].

> ἄλλοτε δ' ἄλλον ἐποπτεύει χάρις ζωθάλμιος, ἁδυμελεῖ
> θάμα μὲν φόρμιγγι, παμφώνοισί τ' ἐν ἔντεσιν αὐλῶν.
> καὶ νῦν ὑπ' ἀμφοτέρων σὺν Διαγόρᾳ κατέβαν, τὰν πόντιον
> ὑμνέων, παῖδ' Ἀφροδίτας, Ἀελίοιό τε νύμφαν, Ῥόδον.

Illud, *κατέβαν*, ponit nobis pompam e navigio modo egressam, ipsaque in arena notissimi portus spatiantem.

Splendide sane: sed multo sunt graviora quæ habet alioqui, ad Syracusas accedens, post Pythicam Hieronis victoriam. Nempe Hiero tunc temporis

[t] *Nem.* 3. 1.

[u] *Ol.* 7. 20.

adversa valetudine laborabat: eam itaque occasionem nactus Poeta, narrationem instituit elegantissimam illam, de Æsculapii ortu, doctrina, interitu: quo in carmine multa habet ex intima et sanctissima religione deprompta. Advertite autem, quam molli flexu deveniat tandem Scriptor ad ipsum Hieronem, ad eamque pompam, quæ jam tum Syracusas ingrediebatur [x]:

εἰ δὲ σώφρων ἄντρον ἔναι' ἔτι Χείρων, καί τί οἱ
φίλτρον ἐν θυμῷ μελιγάρυες ὕμνοι
ἀμέτεροι τίθεν· ἰατῆρα τοί κέν νιν πίθον
καὶ νῦν ἐσλοῖσι παρασχεῖν ἀνδράσιν θερμᾶν νόσων
ἤ τινα Λατοΐδα κεκλήμενον ἢ πατέρος·
καί κεν ἐν ναῦσιν μόλον Ἰονίαν τέμνων θάλασσαν,
Ἀρέθουσαν ἐπὶ κράναν παρ' Αἰτναῖον ξένον,
ὃς Συρακόσσαισι νέμει βασιλεὺς
πραῢς ἀστοῖς, οὐ φθονέων ἀγαθοῖς, ξείνοις δὲ θαυμαστὸς πατήρ.
τῷ μὲν, διδύμας χάριτας,
εἰ κατέβαν ὑγίειαν ἄγων χρυσέαν, κῶμόν τ' ἀέθλων Πυθίων αἴ-
γλαν στεφάνοις,
τοὺς ἀριστεύων Φερένικος ἕλ' ἐν Κίρρᾳ ποτε,
ἀστέρος οὐρανίου, φαμὶ, τηλαυγέστερον κείνῳ φάος
ἐξικόμαν κε, βαθὺν πόντον περάσαις.

Videtis adesse Deam ipsam Hygeiam, cum suo antistite, choro triumphali comitem. Tum quale illud, quod appingitur quodammodo luculenta quasi pictura fausti sideris, procul in Oriente super altum mare surgentis: *ἀστέρος οὐρανίου, κ. τ. λ.* Ejus profecto venæ sunt, quæ visa subinde, natum non factum Poetam optime declaret.

Etiam in quodam exordio magnifice prædicat, Horas ipsas, seu fatalia tempora, versari in festa eorum caterva, qui nuntiatum victoriam veniunt [y].

ἐλάτηρ ὑπέρτατε βροντᾶς ἀκαμαντοπόδος Ζεῦ· τεαὶ γὰρ ὧραι
ὑπὸ ποικιλοφόρμιγγος ἀοιδᾶς ἑλισσόμεναί μ' ἔπεμψαν

[x] *Pyth.* 3. 111. [y] *Ol.* 4. 1.

ὑψηλοτάτων μαρτύρ᾽ ἀέθλων·....
Οὐλυμπιονίκαν δέκευ
χαρίτων ἕκατι τόνδε κῶμον.

Hæc ita descripsit Cowleius noster, ut non in Pindarica modo assurgeret, verum etiam, quod in illo viro mirere, multis punctis magistrum superaret. Audite vero: quanquam vereor equidem, ut ulla ex parte Latinis possim reddere profundos simul et vehementes versus [z].

Carmen dic age: fervidam
Annis perpetuis O! ferias lyram.
Anni perpetui viden'
Ut longo veniant compositi choro?
Ut junctæ manibus manus
Æquatoque pedes impete pareant
(Mirum!) carminibus meis?
Illo dum dabitur ferre pedem choro,
Nostrum non aberit melos,
Donec summa dies terribili tuba
Mundi concinet exitum,
Non latura dies mollia carmina.

Quod si in his profundior Cowleius et grandior, vi non tam sua, quam vaticinationis divinæ, at alibi tamen ingeniosior multo Noster: ita vero ut frigore isto subtilitatis ambitiosæ nunquam se tangi sinat. Quam vellem, Cowleio eadem foret prudentia! Exemplo sint, quibus alloquitur Pindarus Coryphæum Agesiæ: qui Agesias cum origine Arcas, patria fuerit Siciliensis, fingit Poeta pompam ab eo deduci a Stymphalo ad Syracusas. Ea res paullo erat insolentior: admonetur igitur Æneas, pompæ præfectus, quo maxime modo satis sit muneri faciendum. Primum, egredientes urbe Arcadica, jubentur valedicere Patronæ illius oppidi [a]:—

ὄτρυνον νῦν ἑταίρους
Αἴνεα, πρῶτον μὲν Ἥραν παρθενίαν κελαδῆσαι·—

[z] *Cowley on the Resurrection; Works,* p. 83. fol. 1700. [a] *O.* 6. 149.

deinde ipso in itinere, vel melius dicam navigatione, strenue curare pensum, Pindarica videlicet tam verba quam numeros. Qua in materia ludit scriptor liberius, ut erat mos ejus, mentione proverbii, quo vulgo lacessebatur crassum Bœotorum vel cælum vel ingenium:

> *γνῶναί τ' ἔπειτ'*, inquit, *ἀρχαῖον ὄνειδος ἀλαθέσιν*
> *λόγοις εἰ φεύγομεν, βοιωτίαν ὗν.*

Deinceps, velut familiari sermone, Coryphæum laudans ait:

> *ἐσσὶ γὰρ ἄγγελος ὄρθος,*
> *ἠϋκόμων σκυτάλα Μοισᾶν, γλυκὺς κρήτηρ ἀγαφθέγκτων ἀοιδᾶν.*

Erat profecto curiosa felicitas, qua *σκυτάλην* appellavit cantorem primarium, velut qui interpretis vice fungeretur, solusque posset explicare literarum quas ipse portaret ambages. Ex quo intelligitur, Pindari judicio, arctissime conjungi musicos modos cum stylo et indole poetarum; quique illos bene calleat, teneri ab eo quasi filum, quo sæpius in arcanam quoque scriptoris mentem perveniri possit. Quod autem appellatur ab eo idem Coryphæus

> *γλύκυς κρήτηρ ἀγαφθέγκτων ἀοιδᾶν,*

quidni judicemus ea voce demonstrari felicissimam illam vim exquisiti cantus, qua solent excitari, nescio quomodo, alius post alium, cognati animorum motus; adeo ut ab una sæpius numerorum flexione fiant quasi quædam divortia, vario itinere, novorum carminum? Jure igitur cantandi ille artifex vocatur *κρήτηρ ἀοιδᾶν*, poculum videlicet, unde libare possit aliquis non uno sed pluribus quasi Poeseos rivulis. Pergit deinde cum suis comissantibus trans Ionium mare Poeta; Coryphæum jubet Syracusarum memi-

nisse, ut qui propius jam abesse ab illo portu incipiat: tum facili satis junctura devenit ad solitas Hieronis sui laudes.

> εἶπον δὲ μεμνᾶσθαι Συρακοσσᾶν τε καὶ Ὀρτυγίας,
> τὰν Ἱέρων καθαρῷ σκάπτῳ διέπων,
> ἄρτια μηδόμενος, φοινικόπεζαν ἀμφέπει Δάματρα, λευκίππου
> τε θυγατρὸς ἑορτάν,
> καὶ Ζηνὸς Αἰτναίου κράτος.

Nempe Hiero, ut videtur, illo tempore festos celebrabat Cereri et Proserpinæ dies. Postremo exiturus redit in principium suum, clauditque simul et melos et pompam votivam.

> μὴ θραύσαι χρόνος ὄλβον ἐφέρπων.
> σὺν δὲ φιλοφροσύναις εὐηράτοις Ἀγησία δέξαιτο κῶμον
> ματέρ' εὐμήλοιο λείποντ' Ἀρκαδίας· ἀγαθαὶ δὲ πέλοντ' ἐν χει-
> μερίᾳ
> νυκτὶ θοᾶς ἐκ ναὸς ἀπεσκίμφθαι δύ' ἄγκυραι· θεὸς
> τῶνδε κείνων τε κλυτὰν αἶσαν παρέχοι φιλέων·
> δέσποτα ποντόμεδον, εὐθὺν δὲ πλόον καμάτων
> ἐκτὸς ἔοντα δίδοι, χρυσαλακάτοιο πόσις
> Ἀμφιτρίτας· ἐμῶν δ' ὕμνων ἄεξ' εὐτερπὲς ἄνθος.

Qua in clausula versari eum cum navigantibus significat tectius proverbium illud de re nautica sumptum, apertius autem preces oblatæ Neptuno.

Hæc fusius exponere decreveram, propterea quod non mediocriter torsit is hymnus ingenia doctorum virorum: quem si exigas ad eam formulam, quæ *κώμῳ* trans mare ducendo potuerit inservire, commodior multo et venustior, ut mihi quidam videtur, erit ejus partium nexus.

Sed religio esset de Choreis triumphalibus agenti, ni pauca de multis adferrem, quibus ille locus mirifice solet illustrari: seu Dii Deæve, oppidorum Patroni, ordinibus exultantium adscribantur; sive oculis cerni videantur regiones ipsæ, portus, urbes, flumina.

Dearum, verbi causa, insigne habetis sodalitium, evocatis propter Orchomenium victorem Gratiis[b].

> ὦ πότνι᾽ Ἀγλαΐα
> φιλησίμολπέ τ᾽ Εὐφροσύνα, θεῶν κρατίστου
> παῖδες, ἐπάκοος γένευ, Θαλία τε
> ἐρασίμολπε, ἰδοῖσα τόνδε κῶμον ἐπ᾽ εὐμενεῖ τύχᾳ
> κοῦφα βιβῶντα· Λυδίῳ δ᾽ Ἀσώπιχον ἐν τρόπῳ
> ἔν τε μελέταις ἀείδων ἔμολον,
> οὕνεκ᾽ Ὀλυμπιόνικος ἁ Μινυεία
> σεῦ ἕκατι.

Rursus athletam Thebanum comitatur Nympharum Indigenarum cœtus[c];

> Κάδμου κόραι, Σεμέλα μὲν Ὀλυμπιάδων ἀγυιᾶτις,
> Ἰνὼ τε Λευκοθέα ποντιᾶν ὁμοθάλαμε Νηρηΐδων,
> ἴτε σὺν Ἡρακλέος ἀριστογόνῳ
> ματρὶ πὰρ Μελίαν χρυσέων ἐς ἄδυτον τριπόδων
> θησαυρόν, ὃν περίαλλ᾽ ἐτίμασε Λοξίας,
> Ἰσμήνιον δ᾽ ὀνύμαξεν, ἀλαθέα μαντίων θῶκον,
> ὦ παῖδες Ἁρμονίας, ἔνθα καὶ νῦν ἐπίνομον ἡρωΐδων
> στράτον ὁμαγυρέα καλεῖ συνίμεν,
> ὄφρα Θέμιν ἱέραν Πυθῶνά τε καὶ ὀρθοδίκαν
> γᾶς ὀμφαλὸν κελαδήσετ᾽ ἄκρα σὺν ἑσπέρᾳ,
> ἑπταπύλοισι Θήβαις
> χάριν ἀγῶνί τε Κίρρας.

Transeamus ad ea quæ adumbrant exquisitius locos ipsos quo pompæ ducebantur. Quo in genere vel uno verbo sæpius ponitur integra pictura. Syracusas utique appellat *μεγαλοπόλιας, βαθυπολέμου τέμενος Ἄρέος*[d], quippe quæ urbs, regnante Hierone, tum magnitudine tum nitore quodam castrensi vehementer perstrinxerit, credo, advenarum oculos. Laudatur Cyrene tanquam[e]

> εὐάρματος πόλις ἐν ἀργάεντι μαστῷ.

Batti quoque, juxta id oppidum, regia monumenta

[b] *Ol.* 12. 19. [c] *Pyth.* 11. 1. [d] *Pyth.* 2. 1. [e] *Ibid.* 4. 14.

recensentur, ea sedulitate, quæ testem potissimum oculatum deceat[e].

> κτίσεν δ' ἄλσεα μείζονα θεῶν,
> εὐθύτομόν τε κατέθηκεν Ἀπολλωνίαις
> ἀλεξιμβρότοις πεδιάδα πομπαῖς
> ἔμμεν ἱππόκροτον
> σκυρωτὰν ὁδὸν, ἔνθα πρυμνοῖς ἀγορᾶς ἔπι δίχα κεῖται θανών.

Camarinæ, coloniæ recens instauratæ, cum mirifica ἐναργείᾳ monstrantur tum situs, tum surgentia mœnia[f]:

> ἵκων δ' Οἰνομάου καὶ Πέλοπος παρ' εὐηράτων
> σταθμῶν, ὦ πολιάοχε Πάλλας, ἀειδει μὲν ἄλσος ἁγνὸν
> τὸ τεόν, ποταμόν τε Ὤανιν, ἐγχωρίαν τε λίμναν,
> καὶ σεμνοὺς ὀχετούς, Ἵππαρις οἷσιν ἄρδει στρατόν,
> κολλᾷ τε σταδίων θαλάμων ταχέως ὑψίγυιον ἄλσος,
> ἀπ' ἀμαχανίας ἄγων ἐς φάος τόνδε δᾶμον ἀστῶν.

Denique apud suas Thebas fingit Poeta victorem deduci, tempore ipso quo sacra fiebant Herculi: describuntur itaque ritus ejus numinis nocturni, faces, altaria, thurei vapores; ne dubites rem eam coram agi, redeunte ab Isthmo festa caterva, et sub vespere Thebarum portas ingressa[g].

> τῷ μὲν Ἀλεκτρᾶν ὕπερθεν δαῖτα πορσύνοντες, ἀστοὶ,
> καὶ νεόδματα στεφανώματα βωμῶν, αὔξομεν
> ἔμπυρα χαλκοαρᾶν ὀκτὼ θανόντων,
> τοὺς Μεγάρα τέκε οἱ Κρειόντις υἱούς·
> τοῖσιν ἐν δυσμαῖσιν αὐγᾶν φλὸξ ἀνατελλομένα συνεχὲς παννυχίζει,
> αἰθέρα κνισσᾶντι λακτίζοισα καπνῷ.

Hæc pauca, ut dixi, de multis proferenda judicavi, quæ essent argumento, quanti fuerint cœtus isti solennes et sancti, tum Pindari ipsius sententia, tum eorum, quorum ille gesta cantabat. Quid, quibus solet is efferre præconiis carmina ipsa, vimque divinam Poetarum? "Fuit scilicet jactantior paullo,

[e] *Pyth.* 5. 120. [f] *Ol.* 5. 20. [g] *Isthm.* 4. 124.

suique artificii nimius, ut fit, laudator." At enim totus hic locus ita convenit ut nihil magis cum athletarum moribus atque ingenio. Nimirum Marti Martiisque ludis propria semper fuit merces, "favor," ut ait quidam, "et lingua potentium vatum." Ac ne in materiem abeamus puerili quoque sermone tritam, de voce Musarum nullis circumscripta regionibus, nullo tempore abolenda; commune quoddam habere mihi videtur bellicosa illa et gymnastica indoles cum genere lyrico et præsertim Pindarico. Fortes videlicet fortia juvant verba: amant milites temere quodammodo loquentem; delectantur libertate illa, ne dicam audacia, qua solent uti præ cæteris id genus Poetæ; ut qui nihil aliud præ se ferre videantur, nisi ut animi motus pro tempore utcunque efferant. Quare ne festiva quidem usus arrogantia displicuit, credo, Pindarus noster Theronibus et Chromiis suis, judicibus videlicet de studio et palæstra delectis.

Ac nescio equidem an nulla ex parte magis eminere dixerim subtile ejus judicium, quam quod optime novit ita commendare munus suum, ut omnia tamen cedant in eorum gloriam, quorum forte celebranda sint gesta. Velut ubi de Nemea deducit Chromium Ætnæum cum palma sua: quæ cantilena proxime abesse videtur ab istius Poeseos tenore, qua viguit recentior illa, post Romanos, heroum ætas [h].

πολλῶν ἐπέβαν καιρὸν οὐ ψεύδει βαλών·
ἔσταν δ' ἐπ' αὐλείαις θύραις
ἀνδρὸς φιλοξείνου καλὰ μελπόμενος,
ἔνθα μοι ἁρμόδιον
δεῖπνον κεκόσμηται, θαμὰ δ' ἀλλοδαπῶν

[h] *Nem.* I. 26.

οὐκ ἀπείρατοι δόμοι
ἐντί· λέλογχε δὲ μεμφομένοις ἐσλοὺς ὕδωρ καπνῷ φέρειν
ἀντίον· τεχναὶ δ' ἑτέρων ἕτεραι· χρὴ δ' ἐν εὐθείαις ὁδοῖς στεί-
χοντα μάρνασθαι φυᾷ.
πράσσει γὰρ ἔργῳ μὲν σθένος,
βουλαῖσι δὲ φρήν, ἐσσόμενον προϊδεῖν,
συγγενὲς οἷς ἕπεται.

Tangit ea clausula, ni fallor, sententiam illam sibi perquam familiarem, Virtutem innasci debere, non addisci [i].

τὸ δὲ φυᾷ, κράτιστον ἅπαν· πολλοὶ δὲ διδακταῖς
ἀνθρώπων ἀρεταῖς κλέος
ὤρουσαν ἑλέσθαι.

Hæc eadem docuit non semel per notissimam similitudinem [k]:

σοφὸς ὁ πολλὰ εἰδὼς φυᾷ· μαθόντες δὲ λάβροι παγγλωσσίᾳ,
κόρακες ὥς, ἄκραντα γαρύετον
Διὸς πρὸς ὄρνιχα θεῖον.

Plenius vero illud atque ad Naturam expressius [l]:

ἔστι δ' αἰετὸς ὠκὺς ἐν ποτανοῖς,
ὃς ἔλαβεν αἶψα, τηλόθε μεταμαιόμενος, δαφοινὸν ἄγραν ποσίν·
κραγέται δὲ κολοιοὶ ταπεινὰ νέμονται.

Atque totius hujus generis ea ferme ratio est, ut non solum gloriari videatur Poeta, sed in suæ famæ partem vocare etiam victorem athletam. Quid, quo Pytheam laudat exordio? qui Pytheas fertur aliquando dubitasse de pretio ejus carminum, causatus videlicet eadem pecunia statuam auream collocari sibi posse. At Pindarus [m],

οὐκ, inquit, *ἀνδριαντοποιός εἰμ', ὥς τ' ἐλινύσοντά μ' ἐργάζεσθαι*
ἀγάλματ' ἐπ' αὐτᾶς βαθμίδος
ἑσταότ'· ἀλλ' ἐπὶ πάσας ὁλκάδος ἐν τ' ἀκάτῳ, γλυκεῖ' ἀοιδά,
στεῖχ' ἀπ' Αἰγίνας, διαγγέλλοισ' ὅτι
Λάμπωνος υἱὸς, Πυθέας εὐρυσθενὴς,
νίκη Νεμείοις παγκρατίου στέφανον.

[i] *Ol.* 9. 151. [k] *Ibid.* 2. 155. [l] *Nem.* 3. 140.
[m] *Ibid.* 5. 1.

Ut hic regionum, temporum alias omnium communia fore confirmat sua carmina [n].

> ῥῆμα δ' ἐργμάτων χρονιώτερον βιοτεύει,
> ὅτι κε σὺν χαρίτων τύχᾳ
> γλῶσσα φρενὸς ἐξέλοι βαθείας.

Tribus verbis egregie adumbravit pensum eorum qui carmini pangendo dant operam. Principio,

> σὺν χαρίτων τύχᾳ,

id est, forte quadam, non sine numine, veniunt subito in animos eorum verba, voces, ingeniosæ ad tempus clausulæ. Deinde nescio quo mirabili nexu, vocem unam semel inventam sequitur non raro copia non modo verborum verum etiam sententiarum uberrima, pectore ex intimo deprompta:

> ὅτι κε γλῶσσα φρενὸς ἐξέλοι βαθείας.

Profecto rem acu tetigit Pindarus, quando in illam formulam incidit.

Extant præterea, quibus breviter sed acute docet, rem sibi esse cum iis hominibus, qui carum præ cæteris habeant eum honorem qui venit a Poetis. Videtisne, Phalarin qua feriat pœna, velut omnium acerbissima [o]?

> οὐ φθίνει Κροίσου φιλόφρων ἀρετά·
> τὸν δὲ ταύρῳ χαλκέῳ καυτῆρα, νηλέα νόον,
> ἐχθρὰ Φάλαριν κατέχει παντᾶ φατις·
> οὐδέ μιν φόρμιγγες ὑπωρόφιαι κοινωνίαν
> μαλθακὰν παίδων ὀάροισι δέκονται.

Illud, ὑπωρόφιαι, tantum non oculis depingit aulam victoris, solennes epulas, citharœdorum ordinem de loco superiore cantantium.

Quid, quo ornat præconio Pythicos hymnos in

[n] *Nem.* 4. 11. [o] *Pyth.* 1. 184.

honorem Thrasybuli confectos? Nempe urbi ejus ac domo servari ait in ipso Apollinis adyto copiam carminum nulla calamitate delendam [p].

> Πυθιόνικος ἔνθ' ὀλβίοισιν Ἐμμενίδαις
> ποταμίᾳ τ' Ἀκράγαντι καὶ μὰν Ξενοκράτει
> ἕτοιμος ὕμνων
> θησαυρὸς ἐν πολυχρύσῳ
> Ἀπολλωνίᾳ τετείχισται νάπᾳ·
> τὰν οὔτε χειμέριος ὄμβρος ἐπακτὸς ἐλθών,
> ἐριβρόμου νεφέλας
> στρατὸς ἀμείλιχος, οὔτ' ἄνεμοι ἐς μυχοὺς
> ἁλὸς ἄξοισι παμφόρῳ χεράδι
> τυπτόμενοι.

Qui versus, modo sit auguranti venia, videntur mihi respicere jacturam aliquam, quam illo tempore fecerint Agrigentini principes, vi ventorum vel aquarum: qualia complura narrantur de litore Sicelico. Conjicimus certe Pindarum, non semel, obscurius (quæ erat ejus prudentia) tetigisse res prope se vel etiam coram se gestas: præsertim si quid invidiosius fuerit vel acerbius, quam quod sine molestia posset apertis declarari verbis. Exempli gratia, Cleandro gratulans victoriam tempore luctus partam,

> ἐκ μεγάλων, inquit [q], πενθέων λυθέντες, μήτ' ἐν ὀρφανίᾳ πέσωμεν στεφάνων,
> μήτε κάδεα θεράπευε.

Ὀρφανίαν appellavit, "carere palma:" quæ vox habet utique memoriam, licet occultiorem, parentis amissi. Sed ad rem redeamus.

Diximus tum de epulis gymnasticis, tum de poetarum prædicatione. Satis autem in utraque materie convenire visa est indoles Pindarica cum athletarum studiis et indole. Addat fortasse aliquis non

[p] *Pyth.* 6. 5. [q] *Isthm.* 7. 11.

inepte mentionem sæpius injectam pulchritudinis eorum, quorum celebrabantur victoriæ [r].

> ἐὼν καλὸς ἔρδων τ' ἐοικότα μορφᾷ
> ἀνορέαις ὑπερτάταις ἐπέβα παῖς 'Αριστοφάνευς.

Exquisitius depingit Arcesilam, non simpliciter formosum, sed ea forma præditum, quæ maxime conveniat ingenioso ac regio juveni [s].

> τὸ μὲν, ὅτι βασιλεὺς
> ἐσσὶ μεγαλᾶν πολίων,
> ἔχει συγγενὴς
> ὀφθαλμὸς αἰδοιότατον γέρας
> τεᾷ τοῦτο μιγνυμένον φρενί.

Plane ita laudat, ut assolent castrenses ac militares viri. Mirum autem, ni hanc laudem cumulet interdum puellarum intuentium favore [t].

> ἔλπομαι δ', 'Εφυραίων
> ὄπ' ἀμφὶ Πηνεϊὸν γλυκεῖαν προχεόντων ἐμὰν,
> τὸν 'Ιπποκλέαν ἔτι καὶ μᾶλλον σὺν ἀοιδαῖς
> ἕκατι στεφάνων θαητὸν ἐν ἅλιξι θήσεμεν ἐν καὶ παλαιτέροις,
> νέαισίν τε παρθένοισι μέλημα.

Hoc simplicius: alio carmine rem eandem plenius expressit, non sine dulcissima ἐναργείᾳ [u].

> πλεῖστα νικάσαντά σε καὶ τελεταῖς
> ὡρίαις ἐν Παλλάδος εἶδον, ἄφωνοι θ' ὡς ἑκάστα φίλτατον
> παρθενικαὶ πόσιν ἢ
> υἱὸν εὔχοντ', ὦ Τελεσικρατὲς, ἔμμεν.

Est etiam illud alterum, quod proxime pertinet ad athletarum ἦθος: nam poni solet in parte laudis non minima liberalitas ultra modum effusa, et largitati propior. Hieronem utique confidentius videtur admonere [x];

> πολλῶν ταμίας ἐστί· πολλοὶ μάρτυρες ἀμφοτέροις πιστοί·
> εὐανθεῖ δ' ἐν ὀργᾷ παρμένων,

[r] *Nem.* 3. 31. [s] *Pyth.* 5. 19. [t] *Ibid.* 10. 85.
[u] *Ibid.* 9. 171. [x] *Ibid.* 1. 173.

εἴπερ τι φιλεῖς ἀκοὰν ἁδεῖαν ἀεὶ κλύειν, μὴ κάμνε λίαν δαπά-
ναις·
ἐξίει δ' ὥσπερ κυβερνάτας ἀνὴρ
ἱστίον ἀνεμόεν.

Meminit videlicet his versibus, sicut etiam universo illo carmine, maritimarum rerum, earumque imaginum, quæ solent præsto esse navigantibus: non inepte, vel propter Syracusanos, gentem ad mare propensissimam; vel quia, quod antea docuimus, *κῶμος* ille trans Ionium accessurus erat ad limina victoris.

Præterea, decantatæ isti largitati assignatur quasi præcipua ac propria laus, patens hospitio domus, neminique negata. Quemadmodum de Xenocrate dicitur [y],

οὐδέ ποτε ξενίαν
οὖρος ἐμπνεύσαις ὑπέστειλ' ἱστίον ἀμφὶ τραπέζαν·
ἀλλ' ἐπέρα ποτὶ μὲν Φᾶσιν θερείαις,
ἐν δὲ χειμῶνι πλέων Νείλου πρὸς ἀκτάς.

Addam pauca cumuli loco, quæ licet minime comparari videantur, dedita scriptoris opera, ad honorem rei gymnasticæ, monstrent tamen eam indolem, quam diu multumque delectaverint artes istiusmodi. Huc fortasse trahat aliquis commendationem illam Corinthiacæ civitatis, mire compositam ex Olympicis honoribus, atque ex iis studiis, quæ maxime pertinent non modo ad vitam excolendam verum etiam ad ipsam salutem [z].

ὔμμιν δὲ, παῖδες Ἀλάτα, πολλὰ μὲν νικάφορον ἀγλαΐαν
ὤπασάν γ' ἄκραις ἀρεταῖς ὑπερελθόντων ἱεροῖς ἐν ἀέλθοισιν,
πολλὰ δ' ἐν καρδίαις ἀνδρῶν ἔβαλον
Ὧραι πολυάνθεμοι ἀρχαῖα σοφίσμαθ'. ἅπαν δ' εὕροντος ἔργον.

Quasi vero tanti sit victoria, semel atque iterum lucta vel cæstu parta, ut annumeretur maximis Corinthi, tantæ civitatis, ornamentis.

[y] *Isthm.* 2. 56.

[z] *Olymp.* 13. 17.

Præterea videndum, an *καῖρος* ille qui dicitur, de quo tot tam gravia habet undequaque præcepta Pindarus, non aliam ob causam venerit ei toties in mentem, quam quod ex eo neglecto vel arrepto pendeat universa fere fortuna certantium. Id siquis animo teneat, æquius fortasse ferat sententias illas, decies apud eum repetitas[a]:

> καῖρον εἰ φθέγξαιο, πολλῶν
> πείρατα ξυντανύσαις ἐν βραχεῖ,
> μείων ἕπεται μῶμος ἀνθρώπων.

Tum illa[b],

> ἀρεταὶ δ' αἰεὶ μεγαλαὶ πολύμυθοι·
> βαῖα δ' ἐν μακροῖσι ποικίλλειν, ἀκοὰ σοφοῖς· ὁ δὲ καῖρος ὁμοίως
> παντὸς ἔχει κορυφάν.

Sed quid ego plura de re satis perspecta atque cognita? Liceat modo concludenti hunc locum, proferre illud suavissimum de patre victoris ab inferis excitato, ne recenti palmæ deesset testis omnium exoptatissimus[c].

> μελαντειχέα νῦν δόμον Φερσεφόνας ἴθι, 'Αχοῖ,
> πατρὶ κλυτὰν φέροισ' ἀγγελίαν, Κλεόδαμον ὄφρα ἴδοισ' υἱὸν εἴ-
> πῃς, ὅτι οἱ νεὰν
> ἐστεφάνωσε κυδίμων ἀέθλων πτεροῖσι χαίταν.

Equidem vel unico illo fretus exemplo confirmare audeam, non inepte conjungi posse omnes omnium caritates cum uno illo loco de athletarum gestis; neque adeo indignum eum esse, qui fons et caput universæ Pindaricæ Poeseos habeatur. Verum de ea re certius erit judicium, postquam absolvero eam partem operis, de qua proxime dicendum erit, quæ

[a] *Pyth.* I. 156. [b] *Ibid.* 9. 56. [c] *Ol.* xiv. 28.

Lyrici Poetæ, et Pindari præsertim, munus et officium explicabit, quoties illa partim ægris mortalibus omnia in lætius vertere solet, partim regibus vel amicis dat consilium, seu reipublicæ ergo, sive sacrosanctæ religionis.

PRÆLECTIO VIGESIMA SEXTA.

Expenduntur plurimæ apud Pindarum hilaris ac læti ingenii significationes: talis præsertim, quod et Thebas suas, et omnem pueritiæ memoriam cum voluptate prosequatur.

PERVAGATUM est colloquium Zenonis, ut opinor, Stoicorum antistitis, cum nescio quo Philosopho; qui cum negaret esse motum, legimus Zenonem de ea quæstione ne verbum quidem fecisse, modo porticum, ubi forte erant, semel atque iterum deambulasse. Itaque ambulando, non disceptando, evicit plane, esse motum. Quid si doceam, ratione haud multum diversa, fieri potuisse ut vena illa Pindarica, qua certe nulla unquam erat uberior, manaret omnino a ludis et gymnasio? id quod nuperrime, si meministis, multis disputabam conjecturis: nunc cumuli loco accedat velim exemplum, nobilissimum hac memoria, Gualterus, cognomine et patria Scotus, quem semper honoris causa nomino. Cujus quoniam omnis jam vita patet quasi votiva, ut ait ille, tabula, quod in illo genere rarissimum, ne dicam unicum: non potui non sedulo quærere, num aliquid apud eum reperire pos-

sem, quod sententiam nostram de summa rei poeticæ vel minueret vel augeret. Video autem tum alia pleraque, tum illud præsertim cum nostris optime consentire, quod ex initiis, ut ita dicam, ludicris originem nactus est præclarus ille orbis Poeseos[a]. Nam ut primum puer, affecta valetudine, missus est in rura atque in colles avitos, vitamque sub dio incepit agere, statim intus apud eum foveri mira nescio quæ cura ac desiderium decantati illius sæculi, quo viguerant majores sui; fervere omnia veterum virorum memoria, bellicosæ sane atque indomitæ gentis. Porro non alia magis re crediderim revocari posse in animum ejus temporis umbram et imaginem, quam ludo campestri, varioque venandi genere: qualia omnia scimus ei viro summopere fuisse in deliciis. Ne multa: quod officium præstitere Pindaro Pythicæ et Olympicæ turbæ; quod Spensero et ejus æqualibus ludi militares et equestres, quorum ope vigebat adhuc superstes fama Ævi, quod vocant, Medii; idem ferme Gualtero nostro sylvestres curæ, canes, equi, "vox assensu nemorum ingeminata." Id autem commune omnium, quod rebus in medio positis quasi quadam effigie veterum rerum, heroumque jam vita functorum utebantur. Hoc illud erat, quod aiebam, fore ut in judicio ferendo de fonte Pindaricæ Poeseos vix minus valeant ejus viri, quem modo nominavi, annales, quam in quæstione de motu Zeno ambulans.

Quare confirmatior ad illud caput accedo, de quo hodie disputandum erit: nempe ut ostendam, amorem illum, quo vehementissimo flagrabat Pindarus, rei athleticæ et gymnasticæ, cum cæteris viri stu-

[a] Lockhart, *Life of Sir Walter Scott*, i. p. 18.

diis mire temperari: ne cui incredibile videatur, ex his pæne puerilibus fieri posse gradum quendam aditumque ad excelsa ac sacrosancta. Non quo negaverim, regnare plerumque apud eum lætitiam quandam alacrem atque liberam. Nemo unquam, quod sciam, laudatus Poeta minus bene respondisse videtur celebratæ isti Aristotelis sententiæ, "Omnes ingeniosos natura melancholicos esse." Quoties videlicet ad eos defertur locos, qui solent communes haberi omnium hominum, nedum Poetarum, de vita brevi et caduca, de misera et ægra mortalium conditione, de dubiis hominum officiis, curisque inanibus; cohibere protinus ac coerceri flebiles cantus, velut vocis ad lugendum ineptæ; quæri statim aliquod, quod ad solatium pertineat[b].

> ἐν δ' ὀλίγῳ βροτῶν
> τὸ τερπνὸν αὔξεται· οὕτω δὲ καὶ πιτνεῖ χαμαί
> ἀποτρόπῳ γνώμᾳ σεσεισμένον.
> ἐπάμεροι· τί δέ τις; τί δ' οὔ τις; σκιᾶς ὄναρ
> ἄνθρωπος.

Habetis næniam Æschylo ferme dignam; vel si quis alius tristiore chorda dura vitæ mala cecinit. Videte vero, qualem adhibeat clausulam:

> ἀλλ' ὅταν αἴγλα διόσδοτος ἔλθῃ,
> λαμπρὸν φέγγος ἔπεστιν ἀνδρῶν καὶ μείλιχος αἰών.

Non, ut Æschylus, obscure et dubie loquitur; nominato modo nomine divino acquiescit, spe bona certaque meliorum.

Quam spem, alio carmine, ne morte quidem aboleri docet. Nempe queruntur miselli homines, semel facta nullo tempore fieri posse infecta atque irrita[c]:

> τῶν δὲ πεπραγμένων
> ἐν δίκᾳ τε καὶ παρὰ δίκαν ἀποίητον οὐδ' ἂν
> χρόνος ὁ πάντων πατὴρ δύναιτο θέμεν ἔργων τέλος.

[b] *Pyth.* 8. 131. [c] *Ol.* 2. 29.

At enim, respondet Pindarus,

> λάθα δὲ πότμῳ σὺν εὐδαίμονι γένοιτ' ἄν,
> ἐσλῶν γὰρ ὑπὸ χαρμάτων πῆμα θνάσκει
> παλίγκοτον δαμασθέν,
> ὅταν θεοῦ μοῖρα πέμπῃ
> ἄνεκας ὄλβον ὑψηλόν.

Pergit deinde προνοίαν eam confirmare, secundo Nympharum exitu, Cadmo prognatarum: quarum tamen omnis felicitas posthuma apud Elysium erat.

Nescio autem an huic exemplorum ordini recte illud etiam ascribam, quod ubi narratur infelix Neoptolemi exitus, apud aram Delphici Apollinis trucidati, properat mitigare quodammodo infaustam rem, Deosque, ut ita dicam, purgare. Excusat utique fatale edictum [c]:

> ἀλλὰ τὸ μόρσιμον ἀπέδωκεν· ἐχρὴν δέ τιν' ἔνδον ἄλσει παλαιτάτῳ
> Αἰακιδᾶν κρεόντων τὸ λοιπὸν ἔμμεναι
> θεοῦ παρ' εὐτειχέα δόμον, ἡρωΐαις δὲ πομπαῖς
> θεμίσκοπον οἰκεῖν ἔοντα πολυθύτοις
> εὐώνυμον ἐς δίκαν· τρία ἔπεα διαρκέσει·
> οὐ ψεῦδις ὁ μάρτυς ἔργμασιν ἐπιστατεῖ.

Poterat, fateor, ea narratio comparari ad Æginetas placandos, ne forte invidiosius aliquid dixisse videretur de Neoptolemo Scriptor: sed tamen admirari soleo, quo tandem pacto venerit cuiquam in mentem ista quasi excusatio, nisi qui ultro solitus sit excipere omnia in meliorem partem; ne afflictissimis quidem rebus de gradu, quod aiunt, dejici.

Videndum etiam, an passim apud Pindarum emicent quasi scintillæ hilaris atque læti ingenii: vel quia sub initio carminum ludit interdum, volitatque circa plurimas res,

> Apis Matinæ
> More modoque;

c *Nem.* 7. 65.

velut incertus, ubi tandem sit consistendum:—verbi gratia [d]:

> *νῦν ψᾶφον ἑλισσόμενον*
> *ὅπα κῦμα κατακλύσσει ῥέον;*
> *ὅπα τε κοινὸν λόγον*
> *φίλαν τίσομεν ἐς χάριν;—*

vel quia subito gradum revocare amat, rapidaque clausula sæpius absolvit rem prolixius forte inchoatam [e]:

> *τὰ μακρὰ δ' ἐξενέπειν ἐρύκει με τεθμὸς*
> *ὧραι τ' ἐπειγομέναι·*
> *ἴϋγγι δ' ἕλκομαι ἦτορ νουμηνίᾳ θιγέμεν·*
> *ἔμπα, καίπερ ἔχει βαθεῖα ποντίας ἅλμα*
> *μέσσον, ἀντίτειν' ἐπιβουλίᾳ· σφόδρα δόξομεν*
> *δαΐων ὑπέρτεροι ἐν φάει καταβαίνειν.*

Sunt plura ejusmodi: quæ si cui sonant jactantiora, meminerit is velim, arrogantiam quandam juvenilem propius abesse ab erecto, quem dicimus, animo. Verum ejus rei jam ante attulimus exempla: quippe ad eum locum pertinentis, qui erat de consensu Pindari cum *παρρησίᾳ* militari et athletica. Illud modo hic addam, quod ultro in oculos incurrit; nullam Pindaro religionem fuisse, ne ista uteretur licentia, ne in carmine quidem præclaro, quod olim "Argonautica" appellabant: quo nihil apud eum ad epicæ narrationis formam propius accedit. Verum ejus quoque filum inopinato rumpere non dubitat; tantum excusat, longius id fore, quam quod commode deduci possit eo tempore [f].

> *μακρά μοι νεῖσθαι κατ' ἀμάξιτον· ὥρα γὰρ συνάπτει· καί τινα*
> *οἶμον ἴσαμι βραχύν· πολλοῖσι δ' ἁγήμαι σοφίας ἑτέροις.*

Ecce *παρρησίαν* animosam et ferme castrensem. Quis autem ferat talia peccantem in omnia Criticorum edicta, ni et Lyricus sit, et ejusmodi Lyricus, qui proterva quadam hilarique libertate gaudens deferri se sinat, quocunque ferat animus?

[d] *Ol.* 10. 14. [e] *Nem.* 4. 54. [f] *Pyth.* 4. 440.

Neque vero is sum, qui inficias eam, tum hic, tum sæpius apud Pindarum subesse aliquid gravioris causæ, sive ad rempublicam ea pertineat, sive ad ejus, qui prædicabatur, fortunas. Jam enim docuerunt idonei judices, mirandum in modum ab eo servari arcanam suscepti operis rationem, etiam ubi liberrime spatiari videatur, nulla satis certa vel lege vel consilio. Manebit tamen, in omni carminum apparatu, velut in vultu alicujus atque gestu, germanam scribentis indolem cerni posse.

Quid quod in procemiis aliquando facete ac suaviter adhibet rerum quæ sub oculis forte gerebantur mentionem [g]?

ὦ Φίντις,

(appellat enim nomine aurigam, ne quid picturæ desit de medio sumptæ)

ὦ Φίντις, ἀλλὰ ζεῦξον ἤδη μοι σθένος ἡμιόνων,
ᾇ τάχος, ὄφρα κελεύθῳ τ' ἐν καθαρᾷ
βάσομεν ὄκχον, ἵκωμαί τε πρὸς ἀνδρῶν
καὶ γένος· κεῖναι γὰρ ἐξ ἀλλᾶν ὁδὸν ἁγεμονεῦσαι
ταυτὰν ἐπίστανται, στεφανοὺς ἐν Ὀλυμπίᾳ
ἐπεὶ δέξαντο· χρὴ τοίνυν πύλας ὕμνων ἀναπίτναμεν αὐταῖς·
πρὸς Πιτάναν δὲ παρ' Εὐρώτα πόρον δεῖ σάμερόν μ' ἐλθεῖν ἐν ὥρᾳ.

Habetis allegoriam elegantem sane, et puerili quadam hilaritate conditam. Alia, sed pari lepore, est ratio eorum, quibus Arcesilai quoque Cyrenensis aurigam hero commendat, domum cum palma redeuntem [h].

φίλει δὲ Κάρρωτον ἔξοχ' ἑταίρων·
ὃς οὐ τὰν Ἐπιμαθέος ἄγων
ὀψινόου θυγατέρα Πρόφασιν Βαττιδᾶν
ἀφίκετο δόμους θεμισκρεόντων,
ἀλλ' ἀρισθάρματον,
ὕδατι Κασταλίας ξενωθεὶς, γέρας ἀμφέβαλε τεαῖσιν κόμαις.

[g] *Ol.* 6. 37. [h] *Pyth.* 5. 34.

Videtur intulisse festivam quandam *εἰρωνείαν*, cum Nympharum ordinibus Πρόφασιν illam adscriberet.

Quale demum illud, quod familiarius agit aliquando cum ipsa Musa, filiam nominando, quam modo matrem appellaverat[i]!

> *ἄρχε δ' οὐρανοῦ πολυνεφέλα κρέοντι, θύγατερ,*
> *δόκιμον ὕμνον.*

Interpretes, fateor, in alia omnia abierunt: verum quidni decuerit Pindarum, jam seniorem, cum Dea quoque ludere audacius, cujus consuetudine multis jam annis erat usus?

Denique (dicam enim, etsi forte levicula res nonnemini videatur) fuerunt qui ita de Pindaro sentirent, ut quoties de genere ejus carminum disputabant, et (qui mos est Poeseos amantium) quærebant quasdam similitudines, cum Alauda potissimum comparari vellent Pindarica: quippe quæ avicula præ cæteris referat quodammodo Lyricæ Poeseos tenorem, libero, læto, perenni cantu. Deinde quod Alauda ne nudis quidem et arentibus silet campis, sed e qualicunque nido cum gaudio et cantionibus evolat: plane sicut Pindarus ex initiis angustissimis, et (si res ita tulerit) obscurissimis, in excelsa, præclaraque omnia assurgere amat. Postremo quod ea sola ex avibus inter volandum canere solet: qua re optime videtur exprimere peculiare id ac proprium Pindari, quod ipsum illud, Cantare, in deliciis habet, de argumento non adeo sollicitus. Itaque, quod primum ei cunque venerit in manus, id sibi sumit initium; miris modo flexionibus variatum, et exquisitissime temperatum pro re ac tempore.

[i] *Nem.* 3. 16.

Sed de ea similitudine viderint, quibus istiusmodi lusus placuerit: eximie certe cum ea convenire dixerim plurimas Pindaricæ indolis significationes, quibus, ut assolet, conditur aliquando materia illa gymnastica ac palæstrica. Primum, quod in verni temporis laudes (id quod exemplo jam docuimus) libenter excurrit, seque adeo florum amatorem ex animo sæpius profitetur. Nempe ubi celebranda sunt arva beata, Fortunatorum insulæ, nihil prius ei in mentem venit, quam humus floribus consita, ramique versicoloribus quodammodo distincti sertis[k].

ἄνθεμα δὲ χρυσοῦ φλέγει
τὰ μὲν χερσόθεν ἀπ' ἀγλάων δενδρέων, ὕδωρ δ' ἄλλα φέρβει·
ὅρμοισι τῶν χέρας ἀναπλέκοντι καὶ κεφαλάς.

Fieri potest, ut forte quadam audierit Pindarus, cum dicerent peregrini homines de mira splendidissimorum florum varietate, qua novimus ornari tractus meridianos, quippe soli multo propiores: præsertim cum ejus tempore vigere cœperint jam iterum post sæcula heroica longæ illæ navigationes, magno cum periculo laudis ergo susceptæ: quarum quantam ille rationem habuerit, testantur tum laudes sæpius repetitæ Herculis et columnarum ejus, tum Argonautica illa, splendidissime comparata in honorem eorum, qui maritimæ gloriæ dant operam. Ut alia complura omittam, eo spectantia.

Rursus de floribus, præsertim vernis, magna cum voluptate cogitantem habemus, dulcissima illa historiola de ortu Iami: quem narrat a matre in sylvis relictum latuisse regis speculatores[l].

ἀλλ' ἐν
κέκρυπτο γὰρ σχοίνῳ, βατίᾳ τ' ἐν ἀπειράτῳ

[k] *Ol.* 2. 130. [l] *Ibid.* 6. 89.

ἴων ξανθαῖσι καὶ παμπορφύροις ἀκτῖσι βεβρεγμένος ἁβρὸν σῶμα· τὸ καὶ κατεφάμιξεν καλεῖσθαι μὶν χρόνῳ σύμπαντι ματὴρ τοῦτ' ὄνυμ' ἀθάνατον.

Nihil vidi suavius, excipias modo Spenseri carmen de mortuo Sidneio consolatorium[m]: cujus animam negat posse mori, quia

Vivit æterno pia, vivit, ævo
Umbra, securis fruitur beata
Manium campis: ibi delicati
More modoque
Dormit infantis, modo qui diei
Candidum carpsit jubar. O! quiescas
Molliter, cui strata jacent odoro
Lilia lecto,
Cui rosæ circum, teneræque velant
Membra, jucundum! violæ; neque ullo
Tempore æstivæ caret aura noctis,
Lux caret alma,
Alitum cantu, Superum choreis.
En melos, vocesque novæ, sed ipsi
Rite vocales, licet ille somno
Dormiat alto.

Vellem equidem fas esset mihi verba ipsa Spenseri proferre, dignissima sane, quæ cum Pindaro conferret aliquis, ea mente, ut exemplo demonstraret officium pæne sacrosanctum germanæ Poeseos: siquidem dicendum est ad eam artem nihil vehementius pertinere, quam ut in altius quodammodo evehantur quotquot sunt animorum motus, immo in partem divinioris philosophiæ veniant.

Nolite enim putare, forte quadam factum, ut tanto Poetarum consensu adhiberentur quasi in tutelam puerorum dormientium flores ac folia, verni temporis honores. Nam præter utrumque eorum quos modo nominabam, scimus eandem plebi quoque pla-

[m] Spenser, *Astrophel.*

cuisse sententiam, non unius neque gentis neque sæculi. Hinc ea quæ Horatius de se narrat:

> [n] Ludo fatigatumque somno,
> Fronde nova puerum palumbes
> Texere: mirum quod foret omnibus,....
> Ut tuto ab atris corpore viperis
> Dormirem et ursis; ut premerer sacra
> Lauroque, collataque myrto,
> Non sine Dîs animosus infans.

Hinc ea quæ vulgo apud nos perhibentur de puero quodam et puella, quibus in silva, fame et errore confectis, copia frondium ultima solverunt aves. Sic autem intelligo; subesse istiusmodi sive somniis sive historiolis significationem aliquam non adeo obscuram supernæ Illius Benignitatis, quæ quasi tesseram quandam sui dederit omnibus omni in loco hominibus, florum præsertim genus et suavium herbarum: id quod elegantissime docuerunt veteres, istarum, quas dixi, fabellarum ope; quippe quarum ea sit summa, ut nemini misero accusandus sit Deus, tanquam iniquus et aversus, cui vel unica præsto sit in arbore vel gramine virente gemma.

Jam autem video, dum hæc persequor, imprudentem me incidisse in alterum illum Pindaricæ Poeseos fontem, quod is in deliciis habere solet, siqua forte injicitur mentio puerorum lusus, omniumque ferme, quæ ad eam ætatem pertinent. Quod ipsum etiam mire convenit cum simplice viri bonitate, cumque animo semper ad lætiora propenso. Jam de puero Iamo quid attinet ut plura dicamus? cum ne mater quidem ipsa quidquam ullo tempore potuerit effundere aut tenerius aut exquisitius, quam illud, βε-

[n] *Carm.* iii. iv. 11.

βρεγμένος ἁβρὸν σῶμα. Cujus rei tanta est suavitas, ut nihil in terris aptius adumbrare videatur solicitudinem illam plusquam maternam, qua pias animas, morte obita, servat fovetque Numen benignum. Id quod Spenserum etiam res ipsa, uti vidimus, edocuit.

Est et illud præcipue Pindaricum, quod elisos ab Hercule recens nato et in cunis vagiente angues ita depingit, ut mirifice conjungat divinum robur cum audacia quadam puerili [o].

> τοὶ μὲν, οἰχθεισᾶν πυλᾶν,
> ἐς θαλάμου μύχον εὐρὺν ἔβαν, τέκνοισιν ὠκείας γνάθους
> ἀμφελίξασθαι μεμάωτες· ὁ δ' ὄρθον μὲν ἄντεινεν κάρα, πειρᾶτο
> δὲ πρῶτον μάχας,
> δισσαῖσι δοίους αὐχένων
> μάρψαις ἀφύκτοις χερσὶν ἑαῖς ὄφιας.
> ἀγχομένοις δὲ χρόνος
> ψυχὰς ἀπέπνευσεν μελέων ἀφάτων.

Nihil, credo, ne cogitari quidem potuit, quod magis esset dispar infantiæ Iami, tenerrimæ illi et delicatissimæ: attamen et ista nescio quomodo vel puerum sapiunt vel doctum cum pueris ludere.

Denique ne careat ulla ætas exemplo suo, videte an satis acute tetigerit mores et affectus eorum qui paullo sunt annis provectiores; quo carmine videlicet exsequitur Achillis pueritiam, Chirone magistro in sylvis actam, venationibus et ludo campestri [p].

> ξάνθος δ' Ἀχιλεὺς, τὰ μὲν, μένων Φιλύρας ἐν δόμοις,
> παῖς ἐὼν ἄθυρεν μεγάλα ἔργα, χερσὶ θαμινὰ
> βραχυσίδαρον ἄκοντα πάλλων, ἶσα τ' ἀνέμοις
> μάχᾳ λεόντεσσιν ἀγροτέροις ἔπρασσεν φόνον,
> κάπρους τ' ἔναιρε, σώματα δὲ παρὰ Κρονίδαν
> Κένταυρον ἀσθμαίνοντα κόμιζεν,
> ἑξέτης τοπρῶτον, ὅλον δ' ἔπειτ' αν χρόνον·
> τὸν ἐθάμβεεν Ἄρτεμίς τε καὶ θρασεῖ' Ἀθάνα,
> κτείνοντ' ἐλάφους ἄνευ κυνῶν δολίων θ' ἑρκέων,
> ποσσὶ γὰρ κράτεσκε.

[o] *Nem.* I. 61. [p] *Ibid.* 3. 75.

Num recte dicimus, Pindaro bene perspecta fuisse imberborum quoque puerorum studia, sub dio lubentissime agentium, et quærentium sibi undique imagines quasdam et umbras venatoriæ rei?

Atque hoc in genere permultum interest inter Pindarica et Æschylea, vel eam ob causam, quod Æschylum plerumque, Pythagoræ discipulum, non modo pecorum miseret rei divinæ adhibendarum, verum etiam generis omnis ferini, et siqua animalia sectari solemus seu victus sive animi causa; (quam rem ut potui pluribus jam ante explicavi): Pindaro nihil tale unquam, quod sciam, venit in mentem. Quod et ipsum indicio sit, numerari debere eum inter eos Poetas, qui communi quodam sensu, quem vocant, utuntur etiam in orbe illo Poetico; qui omnia festive magis, quam graviter, contemplari amant; denique qui Homeri similiores se præstant, quam Virgilii: nam ex illo magnorum virorum pari poterit, ni fallor, de omnibus in utroque censu ferri judicium, quale id cunque fuerit.

Venio nunc ad ea quæ eundem sive Thebarum suarum studiosum seu totius rei Hellenicæ declarant: qui locus etsi minime sit proprius Pindaricæ illius, quam hodie tractamus, familiæ, Poetarum videlicet hilariorum et ad res gerendas aptiorum; (nam omnium omnino, non modo Poetarum sed hominum, communis est patriæ amor, morumque et legum avitarum reverentia;) tamen ex hac quoque parte, ut equidem arbitror, specimen sui dedit Pindaricum tum ἦθος tum ingenium. Nempe Thebarum eo tempore civitas non modica laborabat invidia, propter opem vexatæ Græciæ negatam, immo etiam Persis præstitam. Pindarus autem totus ex parte stetit Hel-

lenica: quod primum doceo disertis ipsius verbis [q].

> *παυσαμένοι δ' ἀπρήκτων κακῶν*
> *γλυκύ τι δαμωσόμεθα καὶ μετὰ πόνον·*
> *ἐπείδη τὸν ὑπὲρ κεφαλᾶς*
> *γε Ταντάλου παρά τις ἔτραψεν ἄμμι θεός,*
> *ἄτολματον Ἑλλάδι μόχθον· ἀλλά*
> *μοι δεῖμα παροιχόμενον*
> *καρτέραν ἔπαυσε μέριμναν· τὸ δὲ πρὸ ποδὸς ἄρειον ἀεὶ σκοπεῖν*
> *χρῆμα πᾶν· δόλιος γὰρ αἰὼν ἐπ' ἀνδράσι κρέμαται*
> *ἑλίσσων βίου πόρον· ἰατὰ δ' ἔστι βροτοῖς σύν γ' ἐλευθερίᾳ*
> *καὶ τά· χρὴ δ' ἀγαθὰν ἐλπίδ' ἀνδρὶ μέλειν.*

Habent hæc significationem minime obscuram consilii Scriptoris in ea, quæ tum erat, republica. Nimirum tam impense gratulatur patriæ victoriam, ut ad ejus memoriam confugiat animus, tanquam ad certissimum adverso tempore solatium. Immo profitetur, si recte intelligo, non tantum fore se præsentis lætitiæ participem, verum etiam mansurum in ea sententia, ut credat neminem salva libertate funditus unquam perire posse.

Quid quod laudes Hieronis etiam sui, quem maxime semper ornare gestit, conjunxit cum laudibus Athenarum ac Lacedæmonis, nulla argumenti necessitate adductus [r]?

> *λίσσομαι, νεῦσον, Κρονίων, ἅμερον*
> *ὄφρα κατ' οἶκον ὁ Φοίνιξ ὁ Τυρσανῶν τ' ἀλαλατὸς ἔχῃ, ναυσίστονον ὕβριν ἰδὼν τὰν πρὸ Κύμας·*
> *οἷα Συρακοσίων ἀρχῷ δαμασθέντες πάθον,*
> *ὠκυπόρων ἀπὸ ναῶν ὅς σφιν ἐν πόντῳ βάλεθ' ἁλικίαν,*
> *Ἑλλάδ' ἐξέλκων βαρείας δουλίας· ἀρέομαι*
> *πὰρ μὲν Σαλαμῖνος Ἀθαναίων χάριν*
> *μισθόν, ἐν Σπάρτᾳ δ' ἐρέω τὰν πρὸ Κιθαιρῶνος μάχαν,*
> *ταῖσι Μήδειοι κάμον ἀγκυλότοξοι,*
> *παρὰ δὲ τὰν εὔυδρον ἄκταν Ἱμέρᾳ, παίδεσσιν ὕμνον Δεινομένευς τελέσαις,*
> *τὸν ἐδέξαντ' ἀμφ' ἀρετᾷ, πολεμίων ἀνδρῶν καμόντων.*

[q] *Isthm.* 8. 17.

[r] *Pyth.* 1. 136.

Salamin scilicet ac Platæas non æquis intuebatur oculis, qui rem quamque magnam ac splendidam ex earum pugnarum modulo dijudicandam putaret?

At enim neque istos unquam canit triumphos, quos tali tempore expectes ab eo scriptore, cui magnopere sit cordi communis Græciæ salus; neque porro, id quod magis mirere, erumpit aliquando in acerbos questus, tanquam indigna res sit ac misera, Thebarum causam a Græciæ causa sejungi, suosque populares cum tyrannis et Barbaris sentire. Non apud eum, quod legimus de Alcæo,

> Pugnas et exactos tyrannos
> Densum humeris bibit aure vulgus.

Esto: verum ista nequaquam (mihi credite) cum nostris pugnant. Pertinebit quippe ad Pindari ἦθος, hilare illud ac festivum, ut nulla unquam re magnopere se cruciet, ne patriæ quidem damno et ignominia: plane ut ille, cujus modo carmina cum Pindaricis conferri posse dicebamus, cum indies ferme labare ac minui videret eas in republica partes, quarum ipse amantissimus erat, nunquam tamen eam rem prosecutus est vel irato vel mœsto carmine: modo, quod unicum tali viro perfugium patebat, recepit se in veterum memoriam, atque in heroum annales, velut in portum quendam, ex turbine et fluctu hujus quæ nunc est civitatis. Quidni credamus, Pindaro quoque ita displicuisse urbis suæ consilia, ut in deliciis tamen haberet urbem ipsam, viciniam, religiones, priscorum virorum monumenta?

Atque in hac re primas facile tenebit dulcissima nænia, profligata juxta Œnophyta Thebanorum acie: de qua dicendum, quod sæpius in Pindaricis, maximam ejus laudem poni in filo ipso et genere carminis, optime comparati ad solatium, non tam civium

quam sui ipsius. Cavete autem putetis præclari hujus consilii vim et venustatem recte a quoquam æstimari posse ex una atque altera particula; perlegant necesse est, qui recte velint judicare. Verum etiam ista sub lege, incommoda sane, minime latet hominis erga patriam pia, benigna, officiosa mens: qui primum ab iis quæ quotidie imminebant, tacite revocat animos in gloriam et in dignitatem præteriti temporis[s]:

> τίνι τῶν πάρος, ὦ μάκαιρα Θήβα,
> καλῶν ἐπιχωρίων μάλιστα θυμὸν τεὸν
> εὔφρανας;

Deinde percellit quodammodo oculos longo claroque heroum ordine, quos alium super alio genuerat urbs egregia; consulto autem concludit eam seriem præcipua quadam mentione illius societatis quam olim cum Peloponnesiis inierant Thebæ:

> Δωρίδ' ἀποικίαν ἅνικ' ὀρθῷ
> ἔστασας ἐπὶ σφυρῷ
> Λακεδαιμονίων, ἕλον δ' Ἀμύκλας
> Αἰγεῖδαι σέθεν ἔκγονοι, μαντεύμασι Πυθίοις.

Ex quo voluit, opinor, intelligi, quicquid in simili re nuperrime egerint æquales sui, id omne actum fuisse consensu majorum, immo, ut ita dicam, Manium. Num potuit majus aliquod afferri solatium, quassatis ægrisque animis recenti clade? Tum eo consilio, quo decuit amicum bonum, conjungit laudes luctumque patriæ cum laudibus luctuque victoris[t].

> φλέγεται,

inquit, Strepsiades noster,

> ἰοβοστρύχοισι Μοίσαις,
> μάτρωΐ θ' ὁμωνύμῳ δέδωκε κοινὸν θάλος,
> χάλκασπις ᾧ πότμον μὲν Ἄρης ἔμιξεν,
> τιμὰ δ' ἀγαθοῖσιν ἀντίκειται.

[s] *Isthm.* vi. 1. [t] *Ibid.* 31.

Mox, Homeri Tyrtæive plane similis, animos in Martia bella exacuit.

ἴστω γὰρ σαφὲς, ὅστις ἐν ταύτᾳ νεφέλᾳ χάλαζαν αἵματος πρὸ
φίλας πάτρας ἀμύνεται,
λοῖγον ἄντα φέρων ἐναντίῳ στρατῷ,
ἀστῶν γενεᾷ μέγιστον κλέος αὔξων,
ζώων τ' ἀπὸ καὶ θανών.
τὺ δὲ, Διοδότοιο παῖ, μαχατὰν
αἴνεων Μελέαγρον, αἴνεων δὲ καὶ Ἕκτορα
Ἀμφίαρηόν τε,
εὐάνθε' ἀπεπνεύσας ἁλικίαν
προμάχων ἀν' ὅμιλον, ἔνθ' ἄριστοι
ἔσχον πολέμοιο νεῖκος ἐσχάταις ἐλπίσιν.

Postremo (atque hoc illud erat, propter quod in hoc potissimum carmine diutius paullo commorandum decreveram,) diserte docet, suam rem agi, vel amici vel reipublicæ damno; subesse tamen spem bonam certamque, se forti adhuc et æquo fore animo [u]:

ἔτλαν δὲ πένθος οὐ φατόν· ἀλλὰ νῦν μοι
Γαιάοχος εὐδίαν ὄπασσεν
ἐκ χειμῶνος· ἀείσομαι χαίταν στεφάνοισιν ἁρμόσαις· ὁ δ' ἀθα-
νάτων μὴ θρασσέτω φθόνος
ὅ τι τερπνὸν ἐφάμερον διώκων
ἕκαλος ἔπειμι, γῆρας ἔς τε τὸν μόρσιμον
αἰῶνα. θνάσκομεν γὰρ ὁμῶς ἅπαντες·
δαίμων δ' ἄϊσος· τὰ μακρὰ δ' εἴ τις
παπταίνει, βραχὺς ἐξίκεσθαι χαλκόπεδον θεῶν ἕδραν.

Ad summam, injecta Bellerophontis mentione, rem tribus verbis revocat ad amicum victorem, quem eo tempore celebrabat [x].

ἄμμι δ', ὦ χρυσέᾳ κόμᾳ θάλλων, πόρε, Λοξία, τεαῖσιν ἁμίλλαισιν
εὐανθέα καὶ Πυθόϊ στέφανον.

Agnoscas, ut cum Cicerone loquar, "mitem atque comptum senem," qui cum tranquillo animo, quod ad se attinet, contemplari soleat ludum Fortunæ; nihil elatum, nihil sublime cogitet; oculis non

[u] *Isthm.* vi. 51.

[x] *Ibid.* 70.

iniquis adolescentium quoque curas et studia respiciat.

In his fortasse nimius sum: verum e re fore putabam, si docere possem illustri exemplo, publica apud Pindarum seu gaudia sive luctus temperari ut plurimum leni ac placido hominis præsertim senescentis ingenio.

Jam alia videamus, quæ declarant carissimas eum habuisse Thebas suas. Nonne cum eximia quadam voluptate ducit choros aliquando triumphales indigenarum Nympharum, prope fluvios præcipue Bœotos [y]?

> Κάδμου κόραι, Σεμέλα μὲν Ὀλυμπιάδων ἀγυιᾶτις,
> Ἰνώ τε Λευκοθέα ποντιᾶν ὁμοθάλαμε Νηρηΐδων,
> ἴτε σὺν Ἡρακλέος ἀριστογόνῳ
> ματρὶ, πὰρ Μελίαν, χρυσέων ἐς ἄδυτον τριπόδων
> θησαυρὸν, ὃν περίαλλ' ἐτίμασε Λοξίας,
> Ἰσμήνιόν τ' ὀνύμαξεν, ἀλαθέα μαντίων θῶκον,
> ὦ παῖδες Ἁρμονίας, ἔνθα καὶ νῦν ἐπίνομον ἡρωΐδων
> στρατὸν ὁμαγυρέα καλεῖ συνίμεν,
> ὄφρα Θέμιν ἱερὰν Πυθῶνά τε καὶ ὀρθοδίκαν
> γᾶς ὀμφαλὸν κελαδήσετ' ἄκρᾳ σὺν ἑσπέρα,
> ἑπταπύλοισι Θήβαις
> χάριν ἀγῶνί τε Κίρρας.

Nonne vel nomine solo Dircæi fontis, quasi quodam magico sed felici carmine, beari homines a se laudatos significat [z]?

> πίσω σφε Δίρκας ἁγνὸν ὕδωρ, τὸ βαθύζωνοι κόραι
> χρυσοπέπλου Μναμοσύνας ἀνέτειλαν παρ' εὐτειχέσιν Κάδμου πύλαις.

Alio carmine efferuntur hæc audacius [a].

> κωφὸς ἄνηρ τις, ὃς Ἡρακλεῖ στόμα μὴ παραβάλλει,
> μηδὲ Διρκαίων ὑδάτων ἀὲ μέμναται, τά μιν θρέψαντο καὶ Ἰφικλέα,
> τοῖσι τέλειον ἐπ' εὐχᾷ κωμάσομαί τι παθὼν ἐσλόν. Χαρίτων κελαδεννῶν
> μή με λίποι καθαρὸν φέγγος.

[y] *Pyth.* II. I. [z] *Isthm.* 5. 107. [a] *Pyth.* 9. 151.

Hæc ita videtis enuntiari, tanquam Pindaro persuasum sit domesticos et familiares cujusque fontes fore cuique, ut ita dicam, fontes Poeseos; quæ sententia, ut mihi quidem videtur, multas in se partes atque numeros veritatis habet. Quid, enim, quæso, verisimilius, quam informari nescio quo pacto animos puerorum vel locis ipsis, montibus, fluviis, litorum valliumque anfractibus, qui primi cunque nascentium oculis occurrerint; ut ad illa tanquam capita referri possit instrumentum cujusque poeticum? Pindarus, credo, noster tale aliquid vel cogitavit vel certe sensit, cum se relinqui putaret a luce Musarum, ni omni tempore Dircæi fontis meminerit.

Jam in cærimoniis etiam et in religionibus, occasione oblata, patriam libentissime recordatur. Deligit utique de omni Deorum numero Magnam Matrem, cui præ cæteris Hieronem ægrotum multa prece commendet: non aliam opinor ob causam, quam quod suas ante fores votivum ejus Numinis sacellum extabat [b].

> ἀλλ' ἐπεύξασθαι μὲν ἐγὼν ἐθέλω
> Ματρὶ, τὰν κοῦραι παρ' ἐμὸν πρόθυρον σὺν Πανὶ μέλπονται
> θαμὰ
> σεμνὰν θεὸν ἐννυχίαι.

Quærendum etiam, an Pythici Apollinis sacra celebrare videatur magis aliquanto ex animi sui sententia, quam cæterorum, quorum in honore præclara certamina vigebant. Neminem excipio, ne Jovem quidem Olympicum. Exemplo sint gravissimi versus, quibus Æacidis atque Æginæ gratulatur, Neoptolemum sepultum esse Delphis ipso in adyto [c].

> ἀλλὰ κοινὸν γὰρ ἔρχεται
> κῦμ' Ἀΐδα, πέσε δ' ἀδόκητον ἐν καὶ δοκέοντα· τιμὰ δὲ γίγνεται

[b] *Pyth.* 3. 137.

[c] *Nem.* 7. 43.

ὧν θεὸς ἁβρὸν αὔξει λόγον τεθνακότων
βοαθόων, τοὶ παρὰ μέγαν ὀμφαλὸν εὐρυκόλπου
μόλον χθονός· ἐν Πυθίοισι δὲ δαπέδοις
κεῖται, Πριάμου πόλιν Νεοπτόλεμος ἐπεὶ πράθεν·
τᾷ καὶ Δαναοὶ πόνησαν.

Atque hæc ex carmine quodam Nemeæo excerpsi: quo minus mirere, ipsis in Pythiis passim laudari ὀμφαλὸν illum ἐριβρόμου χθονός. Eum quanti Æschylus fecerit, ante jam exposui: Pindarus, pari sed dissimili affectu, veneratur non modo divinam loci majestatem, verum etiam juventutis suæ memoriam, et siqua miranda et arcana de adyto ac tripode, puer cum esset, audierat.

Jam illud etiam optime convenire videtur cum eximio illo Thebarum suarum amore, quod multam aliquando navare solet operam in eorum stirpe deducenda, quicunque, si fides veterum fabulis, prosapia Thebas tangebant, etsi plurimum remota: ejusmodi ferme usus diligentia, qua Scoticus ille Pindarus, quem sæpius modo memoravi; qui satiari delectatione non potest, quoties numerandi sunt avorum avi apud domum aliquam de splendidioribus, quæ sive nascendo sive nubendo ad suam domum pertinere videatur. Pindarus utique Stymphalum, Arcadicam urbem, curæ sibi fore significat, maxime quoniam ex ea regione perhibebant esse ortam Thebam nescio quam, cujus in tutela erant Thebæ[d].

ματρομάτωρ ἐμὰ Στυμφάλις, εὐάνθης Μετώπα,
Πλάξιππον ἃ Θήβαν ἔτικτεν, τᾶς ἐρατεινὸν ὕδωρ
πίομαι, ἀνδράσιν αἰχματαῖσι πλέκων
ποίκιλον ὕμνον.

Habetis rationem satis longe arcessitam, ni foret Poetæ præcipua quædam talium rerum cura ac studium. Cyrenas alioqui celebrare gestit, filo reperto,

[d] *Ol.* 6. 142.

quo deducere possit ejus quoque civitatis originem ad Thebas, atque adeo ad suam tribum [d].

τὸ δ' ἐμὸν γαρύοντ' ἀπὸ Σπάρτας ἐπήρατον κλέος·
ὅθεν γεγενναμένοι
ἵκοντο Θήρανδε φῶτες Αἰγεΐδαι,
ἐμοὶ πατέρες, οὐ θεῶν ἄτερ.

Hæc dici ex persona ipsius Pindari, non chorici cantoris, vel ideo docuit vir ejus argumenti peritissimus [e], quoniam pertineret ad Lyricæ Poeseos indolem, ut se suaque Scriptor, nulla religione, in partem carminis admitteret. Quod contra fit sæpius apud Tragœdos et Epicos. Eo liberius indulgere sibi potuit Pindarus, si qua vel per locorum admonitum vel per historiæ seriem dabatur ansa mentionis injiciendæ earum rerum, quibus ipse diu multumque assueverat.

Sed in hoc universo genere nihil præclarius quam Æginæ laudes toties repetitæ, cumque laude et gloria Thebarum diligentissime conjunctæ; siquidem audiendus erit ipse Pindarus, vehementis ejus studii non aliam afferens causam, quam quod perhibebant fabularum studiosi, extitisse Thebis pervetustam quandam cum Ægina cognationem [f].

χρὴ δ' ἐν ἑπταπύλοισι Θήβαις τραφέντα
Αἰγίνᾳ χαρίτων ἄωτον προνέμειν,
πατρὸς οὕνεκα δίδυμαι γένοντο θύγατρες, 'Ασωπίδων
ὁπλόταται.

Jam norunt omnes, quicunque Pindarica vel primis modo labris attigerunt, solere eum plus solito commoveri, cum magna significatione pii ac germani amoris, quoties de Ægina dicendum. Nempe arctissima non modo societate verum etiam hospitio jungebantur inter se duæ civitates. Quare Pindarus, ut erat hospitum juris observantissimus, tota

[d] *Pyth.* 5. 96. [e] Dissen. *in loc.* [f] *Isthm.* 7. 35.

mente præ cæteris gratulatur Æginetæ victori in Thebano quodam certamine[g]:

οὕνεκ' Ἀμφιτρύωνος ἀγλαὸν παρὰ τύμβον
Καδμεῖοί νιν οὐκ ἀέκοντες ἄνθεσι μίγνυον
Αἰγίνας ἕκατι· φίλοισι γὰρ φίλος ἐλθὼν
ξένιον ἄστυ κατέδραμεν
Ἡρακλέος ὀλβίαν πρὸς αὐλάν.

Deprehendat his fortasse aliquis vestigia nonnulla privati quoque hospitii, quod intercedebat inter Pindarum et primarios quosdam Æginetas; præcipue si ea conferantur, quæ alio carmine scripsit idem de domo victoris Æginetæ, quem Herculi commendat velut vicinum, habitantem nempe inter duo Dei illius in urbe Æginensi sacella[h].

ἐπεὶ, τετραόροισιν ὥθ' ἁρμάτων ζυγοῖς,
ἐν τεμένεσσι δόμον ἔχει τεοῖς, ἀμφότερας ἰὼν χειρός.

Habetis locorum gnarum; quippe hospitio, ut equidem auguror, non semel exceptum ibidem. Quo minus mirere, quid causæ fuerit, quod Æginetis adeo faveret Pindarus, ut maximam quandoque tribueret iis partem nobilissimæ apud Salamina pugnæ: ita tamen, ut sedulo amoveret suspicionem laudis nimis invidiosæ[i].

καὶ νῦν ἐν Ἀρεὶ μαρτυρῆσαι κεν πόλις Αἰάντος ὀρθωθεῖσα ναύ-
 ταις ἐν πολυφθόρῳ, Σάλαμις, Διὸς ὄμβρῳ,
ἀναρίθμων ἀνδρῶν χαλαζάεντι φόνῳ·
ἀλλ' ὅμως καύχημα κατάβρεχε σιγᾷ·
Ζεὺς τά τε καὶ τὰ νέμει,
Ζεὺς ὁ πάντων κύριος.

Immo disertis ait verbis, solere suam Musam, relicto argumento, ultro excurrere in laudes Æacidarum generis, præ cæteris quotquot unquam erant Heroes[k]:

τὸ δ' ἐμὸν οὐκ ἄτερ Αἰακιδᾶν κέαρ ὕμνων γεύεται.

Id autem optimo ipsius fato factum fuisse nemo ne-

[g] *Nem.* 4. 31. [h] *Ibid.* 7. 136. [i] *Isthm.* 4. 60. [k] *Ibid.* 4. 24.

gabit, ratione habita tot eximiorum carminum, quibus vel Æacum celebravit, cum Diis laborantem circa Trojæ mœnia; vel filios, nepotes, ceteram ejus stirpem; Telamonem ab Hercule in partem gloriæ evocatum, Pelei castissimam juventutem, nuptias cœlestes, Achillis pueritiam, Neoptolemi sacratissimum funus. Præterea videndum an Æginæ potissimum, apud amicos suos et hospites, didicerit Poeta nauticas res canere, cum ortu plane ἠπειρώτης esset. Quis adeo docuit eum in profunda maris intueri, cum divina quadam voluptate, mista formidine? quis vagas navigantium curas, incerta studia, spem infinitam, tabella quasi votiva depingere? In utroque genere præ omnibus eminent ea quæ vocantur Argonautica[1]:

τὸν δὲ παμπειθῆ γλυκὺν ἡμιθέοισιν πόθον πρόσδαιεν Ἥρα
ναὸς Ἀργοῦς, μή τινα λειπόμενον
τὰν ἀκίνδυνον παρὰ ματρὶ μένειν αἰῶνα πέσσοντ', ἀλλ' ἐπὶ καὶ θανάτῳ
φάρμακον κάλλιστον ἑᾶς ἀρετᾶς ἅλιξιν εὑρέσθαι σὺν ἄλλοις.

Vere et apte, si quis alius, tetigit mirificum illud maris etiam nondum visi desiderium, quo novimus aliquando juvenes puerosque, velut fato quodam ictos, flagrare. Explicat deinde, qua mente soleant iidem navem primo conscendere: quo carmine nihil splendidius.

ἐπεὶ δ' ἐμβόλου
κρέμασαν ἀγκύρας ὕπερθεν,
χρυσέαν χείρεσσι λαβὼν φιάλαν
ἀρχὸς ἐν πρύμνᾳ πατέρ' Οὐρανιδᾶν ἐγχεικέραυνον Ζῆνα, καὶ ὠκυπόρους
κυμάτων ῥιπὰς ἀνέμων τ' ἐκάλει, νύκτας τε καὶ πόντου κελεύθους,
ἄματά τ' εὔφρονα καὶ φιλίαν νόστοιο μοῖραν·
ἐκ νεφέων δὲ οἱ ἀντᾶυσε βροντᾶς αἴσιον
φθέγμα· λαμπραὶ δ' ἦλθον ἀκτῖνες στεροπᾶς ἀπορηγνυμέναι·

[1] *Pyth.* 4. 327.

ἀμπνοὰν δ' ἥρωες ἔστασαν θεοῦ σάμασιν
πιθόμενοι· κάρυξε δ' αὐτοῖς
ἐμβαλεῖν κώπαισι τερασκόπος, ἀδείας ἐνίπτων ἐλπίδας·
εἰρεσία δ' ὑπεχώρησεν ταχειᾶν ἐκ παλαμᾶν ἄκορος.

Illud, ὑπεχώρησεν, advertatis velim; quippe quod eum declaret scriptorem, qui oculis potius quam manibus remigium noverit; quod contra vidimus plerumque apud Æschylum res maritimas ita narrari, ut scias virum non modo navigasse, sed etiam brachiis suis, ut ita dicam, pepulisse remum.

Diximus de favore, quo prosequitur Pindarus Æginam, quippe tum Thebarum suarum quodammodo cognatam, tum hospitio, si recte conjicimus, sibi conjunctam. Proximum ab his erat, ut pauca adjicerem cumuli loco de summa ejus sententiæ, quod ad rempublicam optime gerendam attinet. Fuit videlicet, ut decuit Thebanum, in optimatium partes propensior; ita tamen, ut nulla religione optimatium quoque errores sæpius redarguerit. Verum exemplis hoc tempore supersedeo, rectius fortasse reservandis ad extremum caput Pindaricæ hujus causæ. Video enim ex iis quæ suscepimus illud jam unum superesse, ut doceamus, Pindarus quo more soleat uti libertate illa, quam vatibus, Lyricis pariter ac Scenicis, concedebant plerumque prisci homines; libertatem eam dico et licentiam, ut cives primarios ipsosque adeo Tyrannos sive de rebus actis reprehenderent, sive de agendis monerent. Quo in argumento satis apparebit, etiam in iis quæ ad rempublicam pertinent, ad extremam usque senectutem viguisse pueriles Pindari nostri sensus, patriæque amorem sponte non arte accensum.

Denique ut uno verbo expediam, quo summa hodierni sermonis tendere videatur; magna laus est, mihi credite, Academici, magna, inquam, ac prope

divina, siquis Poetarum omni vitæ tempore vestigia impressa pueritiæ retinere videatur: duntaxat ad hoc, ut qui bene perspectum habeat teneræ illius ætatis cursum, is filum quodammodo manu teneat, cujus ope perveniri possit ad intimam ejus viri Poeticam. Atque haud scio an in hanc partem satis recte afferamus Tullianum illud, quod ita soleo equidem exaudire, tanquam id ex adyto quodam sacrosancto, voce plusquam humana, dicatur; "[m] Ut adolescentem in quo senile aliquid, sic senem, in quo est adolescentis aliquid, probo." Similiter, volo sapiant cujusque carmina memoriam quandam primorum ipsius annorum: principio, propter nativam illam, nullaque arte comparandam suavitatem, "quam nequo monstrare, et sentio tantum;" deinde, quod ita certissime et optime accedimus ad ipsos fontes Poeseos, non rivulos solum consectamur. Immo etiam, (dicam enim audacius, sed vero propius) quoties tali fruimur lectione, non tam hujus aut illius Poetæ, quam Naturæ ipsius contemplamur opera, vel potius Ejus, qui Naturam condidit.

[m] *De Senectute,* c. II.

PRÆLECTIO VIGESIMA SEPTIMA.

Pindarum, idoneis de causis, optimatibus se addixisse: ita tamen ut omni uteretur παρρησίᾳ, primo ob fortem hilaremque ipsius indolem; deinde quod ita tulit ejus temporis ratio; maxime vere ob religiones, cum et Manes esse crederet, et hic quoque agi coram animis Beatorum.

VENIO nunc ad extremam partem, eamque gravissimam, eorum quæ ad Pindarum pertinent. Nam ex lege suscepti operis video mihi disputandum esse hodie de Lyrica illa libertate ac παρρησίᾳ, quam ille quasi quodam more majorum plerisque carminibus tuetur. De qua re altius cogitanti id primum occurrere solet, satisne cuiquam credibile esse videatur, qui jam senex animo fuerit tam erecto et intento in memoriam earum rerum quas puer adamavisset, ejusdem fore severissima consilia, dubiis magnisque negotiis, nullo regum metu, nedum amicorum suorum: quibus etiam non raro quasi cumulum imponit sanctissimas Deorum religiones, seu Manium sive Superorum. Poterit aliquis admirari, ecqua tandem arte cohæreant atque inter se mutuo conspirent hinc gravitas illa plusquam censoria, illinc hilaris indoles et paullo securior.

Atqui hoc illud erat (sic enim respondendum arbitror hujusmodi scrupulum injicientibus) quod putaram fieri consilio plusquam humano, siquis Poetarum, ut Pindarus noster, servaverit in simili severitate simplex illud et nativum, atque (ut id quod res est dicam) puerile. Certe qui isto fuerit animo, is necesse est longo intervallo despiciat vulgus hominum, passimque videat,

> Errare atque viam palantes quærere vitæ,
> Certare ingenio, contendere nobilitate,
> Noctes atque dies niti præstante labore
> Ad summas emergere opes, rerumque potiri.

Ne multa; scimus omnes, extitisse viros forti magnoque animo, qui tam vita quam morte festivitatem quandam præ se tulerint, ineuntis ætatis ferme propriam: quorum exempla cum intueor et contemplor, non possum quin judicem, hilaritatem istam cum ipsa illa præclara fortitudine proxime conjungi.

Atque haud scio an huc fortasse respexerit, aliqua saltem ex parte, divinus ille sermo, qui nos edocuit egregiam infantium quoque puerorum dignitatem et decus: nempe "ad tales, jure quodam, summam divinarum omnium et cælestium rerum pertinere [a]."

Sed redeamus ad Pindarica: quorum rationem qui velit accuratius expedire, is censeo probe teneat vim senectutis tranquillæ ac paullo hilarioris: quæ cum nullis jamdiu stimulis sit obnoxia nec cupidinis neque ægritudinis, nondum tamen suavem jucundamque pueritiæ memoriam a se prorsus dimiserit. Nonne paratissimus ad minas omnes atque ad ad-

[a] S. Marc. x. 14.

versam fortunam accedet qui vere poterit ista canere [a]:

κελεύθοις
ἁπλόαις ζωᾶς ἐφαπτοίμαν, θανὼν ὡς παισὶ κλέος
μὴ τὸ δύσφαμον προσάψω· χρυσὸν εὔχονται, πεδίον δ' ἕτεροι
ἀπέραντον· ἐγὼ δ' ἀστοῖς ἁδὼν καὶ χθονὶ γυῖα καλύψαιμ',
αἰνέων αἰνητὰ, μομφὰν δ' ἐπισπείρων ἀλιτροῖς.

Quod si nimius interdum esse videatur in laudandis divitiis, at ita tamen laudat, ut neque sperni eas neque adamari ab illo dixeris [b].

εἰ δὲ νόῳ τις ἔχει θνατῶν ἀλαθείας ὁδὸν, χρὴ πρὸς μακάρων
τυγχάνοντ' εὖ πάσχεμεν· ἄλλοτε δ' ἀλλοῖαι πνοαὶ
ὑψιπετᾶν ἀνέμων· ὄλβος οὐκ ἐς μακρὸν ἀνδρῶν ἔρχεται
ὃς πολὺς εὖτ' ἂν ἐπιβρίσαις ἕπηται.
σμικρὸς ἐν σμικροῖς, μέγας ἐν μεγάλοις
ἔσσομαι· τὸν ἀμφέποντ' αἰεὶ φρασὶν
δαίμον' ἀσκήσω κατ' ἐμὰν θεραπεύων μαχανάν.
εἰ δέ μοι πλοῦτον θεὸς ἁβρὸν ὀρέξαι,
ἐλπίδ' ἔχω κλέος εὑρέσθαι κεν ὑψηλὸν πρόσω.

En virum "optime contra fortunam paratum!" cui, tanquam strenuo puero, animos addit festiva ac læta indoles.

Jam videamus, qualem se idem præstaverit, si qui in republica ejus admonitu egebant. Primum, id luce clarius, majorem in modum favisse eum illi sententiæ, quæ mavult summam rerum arbitrio paucorum de primoribus administrari, quam ad universam aliquando plebem redire. Nimirum, qua fuerat imbutus sententia puer apud Bœotos suos, in eadem constanti jam ætate permansit, ut decuit fidum suæ pueritiæ amatorem. Adest exemplorum uberrima varietas. Est ubi regendarum urbium tres quasi formulas enunciat, eo tenore verborum, ut ne cui sit dubium, τοῖς ἀριστοκρατικοῖς impense eum studuisse [c]:

ἐν πάντα δὲ νόμον εὐθύγλωσσος ἀνὴρ προφέρει·
παρὰ τυραννίδι, χὠπόταν ὁ λάβρος στρατός,
χ' ὤταν πόλιν οἱ σοφοὶ τηρέωντι.

[a] *Nem.* 8. 60. [b] *Pyth.* 3. 182. [c] *Ibid.* 2. 157.

Habent hæc libertatem minime contemnendam: tyrannum enim Hieronem alloquitur.

Quid, qua granditate verborum, qua numerorum plenitudine Corinthum celebrat, arcem quodammodo et castellum eorum, quicunque per universam Græciam partibus optimatium se addixerant[d]?

> ἐν τᾷ γὰρ Εὐνομία ναίει, κασίγνηταί τε, βάθρον πολίων ἀσφαλές,
> Δίκα καὶ ὁμότροπος Εἰράνα, ταμίαι ἀνδράσι πλούτου,
> χρύσεοι παῖδες εὐβούλου Θέμιτος·
> ἐθέλοντι δ' ἀλέξειν
> ὕβριν, κόρου ματέρα θρασύμυθον.

Quod autem laudibus efferre solet eam solam urbis gubernandæ rationem, cui a teneris ipse assueverat; nolite, quæso, putare id fieri juvenili tantum et velut amatorio judicio. Quippe non desunt idoneæ causæ, cur in eam potissimum partem ultro inclinarint animi eorum, qui tunc temporis Olympiæ vel Delphis cantabant. Etenim prisci illi Heroes, qui Lyricis eo tempore materiem carminum uberrimam, ne dicam universam, præbebant, si cum cæteris hominibus conferantur, nonne in loco quorundam quasi optimatium sunt habendi? qui cum solenni nomine διοτρεφεῖς audirent, tum, ut vulgo perhibebatur, ipsis corporibus notam aliquam inviolatæ et sanctæ naturæ præ se ferebat: ex quo fortasse illud Pindaricum[e],

> ἄτρωτοί γε μὰν παῖδες θεῶν.

Igitur qui assidue cogitando diu versabatur in ista quasi familia, vix fieri potuit quin is ea foret imbutus sententia, ut crederet homines ab hominibus magno satis intervallo separari, non lege, non opinione, sed discrimine quodam innato, nulloque tem-

[d] *Ol.* 13. 6.

[e] *Isth.* 3. 30.

pore delendo; deinde, excellentiam istam per liberos cujusque ac nepotes, fortasse in perpetuum, diu quidem certe, propagari. Accedit quod in eorum progenie sæpius numerabantur ipsi illi Pindari æquales, principes totius Græciæ homines, quorum is identidem præclara certamina canebat, plerisque etiam familiaritate conjunctus erat: sic enim ferebat eorum temporum ratio; Poetam egregium, maximam suæ laudis partem, magni faciebant egregii quique victores. Id Pindaro præcipue carum ac jucundum fuisse fatetur ipse notissimo carmine [f]:

ἐπ' ἄλλοισι δ' ἀλλοὶ μεγάλοι· τὸ δ' ἔσχατον κορυφοῦται βασιλεῦσι· μηκέτι πάπταινε πόρσιον.
εἴη σέ τε τοῦτον ὑψοῦ χρόνον πατεῖν, ἐμέ τε τοσσάδε νικαφόροις
ὁμιλεῖν, πρόφαντον σοφίᾳ καθ' Ἕλλανας ἐόντα παντᾷ.

Immo per omnia ejus scripta primariorum virorum sodalem facile agnoscas, lautioribus assuetum mensis, interdum etiam auro libantem. Nostis autem, ejus quasi contactus nullo in genere majorem vim existere, quam apud eos quibus contingit, juxta Horatium, "adire Corinthum," id est, amicitia nobilium frui.

Deinde optimates non plebeios homines proprie decebant ea studia, quæ Pindaro potissimum erant in deliciis, ludi videlicet militares ac palæstrici, quorum præsertim ope revocare is poterat in animum gloriosas illas seu fabulas sive annales. Pertinebat id genus omne ad homines otiosos, non ad eos, qui victum de die in diem quærebant. Tetigit hoc ipse Pindarus; eleganter, ut assolet [g]:

κοῦφα δόσις ἀνδρὶ σοφῷ
ἀντὶ μόχθων παντοδαπῶν ἔπος εἴποντ' ἀγαθὸν ξυνὸν ὀρθῶσαι καλόν.

[f] *Ol.* I. 181. [g] *Isthm.* I. 62.

μισθὸς γὰρ ἄλλοις ἄλλος ἐφ' ἔργμασιν ἀνθρώποις γλυκύς,
μηλοβότᾳ τ' ἀρότᾳ τ' ὀρνιχολόχῳ τε καὶ ὃν πόντος τρέφει·
γαστρὶ δὲ πᾶς τις ἀμύνων λίμον αἰανῆ τέταται·
ὃς δ' ἀμφ' ἀέθλοις ἢ πολεμίζων ἄρηται κῦδις ἁβρόν,
εὐαγορηθεὶς κῦδος ὕψιστον δέκεται, πολιατᾶν καὶ ξένων γλώσσας ἄωτον.

Postremo, quod instar omnium est, habent patriciorum in republica partes id quod unice capere solet excelsos, ingenuosque animos. Isti videlicet causæ qui ex animo favebunt, rapientur interdum nescio quomodo ultra communes hos sensus, atque in præterita longe longeque avolabunt; in obscuros rerum fontes ultro se recipient, pristinæque et ignotæ ætatis oculati prope testes fient. Audite vero: nam nequeo mihi temperare quin exscribam splendidissimos versus; quorum numeri vel ipso sono, tanto, tam dulci, declarant Poetam libenter in eo campo spatiari [h].

ἀλλ' ἁμέρᾳ γὰρ ἐν μίᾳ
τραχεῖα νιφὰς πολέμοιο τεσσάρων ἀνδρῶν ἐρήμωσεν μάκαιραν ἑστίαν·
νῦν δ' αὖ μετὰ χειμερίον ποικίλων μηνῶν ζόφον χθὼν ἅτε φοινικίοισιν ἄνθησεν ῥόδοις
δαιμόνων βούλαις· ὁ κινητὴρ δὲ γᾶς Ὀγχηστὸν οἰκέων
καὶ γέφυραν ποντιάδα πρὸ Κορίνθου τειχέων,
τόνδε πόρων γενεᾷ θαυμαστὸν ὕμνον
ἐκ λεχέων ἀνάγει φάμαν παλαιὰν
εὐκλέων ἔργων· ἐν ὕπνῳ γὰρ πέσεν· ἀλλ' ἀνεγειρομένα χρῶτα λάμπει,
Ἀωσφόρος θαητὸς ὣς ἄστροις ἐν ἄλλοις.

Hisce consentaneum prorsus, quod in insulis quoque beatorum magnam fore confirmat felicitatis partem, esse cum veteri regum et heroum choro [i].

Πηλεύς τε καὶ Κάδμος ἐν τοῖσιν ἀλέγονται·
Ἀχιλλέα τ' ἔνεικ', ἐπεὶ Ζηνὸς ἦτορ
λιταῖς ἔπεισε, ματήρ.

Denique nobilitatis ita fautor est Pindarus, ut regum tamen imperium facillime ferat. Quin ty-

[h] *Isthm.* 3. 25. [i] *Ol.* 2. 141.

rannos, Hieronem, Theronem, Arcesilam, vel ipso flore carminum suorum prosequitur. De plebe gubernante quid sentiat, uno verbo docet, ubi *λάβρον στράτον* appellat.

Quapropter optime conspirasse judicamus avitam Pindari de republica sententiam cum universa ipsius indole: ne non et vir esset et Poeta paucorum, ut ita dicam, hominum.

Idem tamen minime veretur gravissimis adire monitis, si res ita tulerit, principes viros, et potentes amicos, nunc tectius nunc apertius. Nam quod apud Athenas Scenici coram arroganti ac vesana multitudine, idem, ni fallor, præstiterunt Lyrici laudatores coram tyrannis et optimatibus. Parum fortasse abhorrebit a munere et officio eorum Horatianum illud de Chori Tragici partibus;

> Ille bonis faveatque et consilietur amicis,
> Et regat iratos, et amet peccare timentes.

"Regit iratum" Pindarus Arcesilam: Hieroni favet et tanquam amico consiliatur: Theronem, "peccare," ut videtur, "timentem, amat" et solatio prosequitur.

Consideremus paulisper quid habeant singula carmina, quod aut laudantis commendet prudentiam, aut religionem istius sæculi circa Poetarum velut oraculorum *παρρησίαν*. Arcesilam prius conciliat, tum propter alia, tum quia non unam modo laudibus ejus ut cæterorum cantilenam dicaverat, sed eruperat in laudata illa Argonautica, carmen epica fere magnitudine. Deinde similitudinem adhibet ænigmati propiorem, quo partim velare possit consilium suum, quod et tutius sit ad cives, et verecundius in ipsum regem: partim etiam accedat quam proxime ad divini nuncii formulam, qualem illam novere

Græci, vel propter responsa vaticinantium vel propter Deorum ex adyto voces[k].

> *γνῶθι νῦν τᾶν Οἰδιπόδα σοφίαν· εἰ γάρ τις ὄζους ὀξυτόμῳ πελέκει*
> *ἐξερείψαι κεν μεγάλας δρυὸς, αἰσχύνοι δὲ οἱ θαητὸν εἶδος,*
> *καὶ φθινόκαρπος ἐοῖσα διδοῖ ψᾶφον περ' αὐτᾶς*
> *εἴ ποτε χειμέριον πῦρ ἐξίκηται λοίσθιον·*
> *ἢ σὺν ὀρθαῖς κιόνεσσιν δεσποσύναισιν ἐρειδομένα*
> *μόχθον ἄλλοις ἀμφέπει δύστανον ἐν τείχεσιν,*
> *ἑὸν ἐρημώσαισα χῶρον.*

Equidem illud, *χειμέριον πῦρ*, accipio, non ut omnes quos legerim quidem interpretes, de robore secto atque in ignem adhibito. Id vereor ne sit hic ineptius: (quod bona pace doctorum virorum dixerim.) Verum sic intelligere soleo: stipitem vel nudatæ quercus, ubi de cælo tangatur, dare tamen specimen sui minime dubium, fisso cortice, lignisque, ut fit, cavatis. Sin de loco movebitur eadem, fietque in ædibus alicujus seu trabs sive columna, suum tamen illud servabit, ut præ cætera omni materie firma et fixa maneat in statu suo. Quod autem *δύστανον* appellat *μόχθον* vel arentis ligni in solo alieno navatam, videtis ab eo præripi quodammodo similitudinis ejus quam vocant *ἀπόδοσιν*. Nam vere miser erat exul Damophilus, non arbor ista. Damophilus, inquam, quem Pindarus his occulte laudat ac tradit Arcesilao; videlicet extorrem tunc temporis ipsius edicto. Sequuntur monita gravissima, immo quibus continetur summa ferme totius rationis eorum, qui vocantur optimates.

> *χρὴ μαλάκαν χέρα προσβάλλοντα τρώμαν ἕλκεος ἀμφιπολεῖν· ῥάδιον μὲν γὰρ πόλιν σεῖσαι καὶ ἀφαυροτέροις,*
> *ἀλλ' ἐπὶ χώρας αὖθις ἕσσαι δυσπαλὲς δὴ γίγνεται, ἐξαπίνας*
> *εἰ μὴ θεὸς ἁγεμόνεσσι κυβερνατὴρ γένηται.*

[k] *Pyth.* 4. 467.

Post paullo, Damophili nomen scriptor palam et aperte nominat; multis et præclaris locis, quales solent esse deprecantium, in ejus viri gratiam adhibitis[l].

φαντὶ δ' ἔμμεν
τοῦτ' ἀνιαροτάτον, καλὰ γιγνώσκοντ' ἀνάγκᾳ
ἐκτὸς ἔχειν πόδα· καὶ μὰν κεῖνος Ἄτλας οὐρανῷ
προσπαλαίει νῦν γε πατρώας ἀπὸ γᾶς ἀπό τε κτεάνων·
λῦσε δὲ Ζεὺς ἄφθιτος Τιτᾶνας· ἐν δὲ χρόνῳ
μεταβολαὶ, ληξάντος οὔρου,
ἱστίων.

Illud profecto eximie Pindaricum, quod in tot tantisque negotiis, tantoque veluti pelago fabulosæ antiquitatis, significat se nihil tam vehementer curasse, quam ne causa caderet amicus suus, Θήβᾳ ξενωθείς. Sic enim legitur, ipso fine laudatissimi carminis.

Jam Hieronem, augustiorem forte regem, sed amicitia sibi conjunctiorem, familiarius paullo alloquitur, et ea voce quæ soluti sermonis propior esse videatur[m].

χαῖρε· τόδε μὲν κατὰ Φοίνισσαν ἐμπολὰν
μέλος ὑπὲρ πολιᾶς ἁλὸς πέμπεται·
. . . . γένοι' οἷος ἐσσὶ μαθών· καλός τοι πίθων παρὰ παισὶν, αἴει
κάλος· ὁ δὲ Ῥαδάμανθυς εὖ πέπραγεν, ὅτι φρενῶν
ἔλαχε κάρπον ἀμώμητον, οὐδ' ἀπάταισι θυμὸν τέρπεται ἔνδοθεν·
οἷα ψιθύρων παλάμαις ἕπετ' αἰεὶ βροτῷ·
ἄμαχον κακὸν ἀμφοτέροις διαβολιᾶν ὑποφάτιες.

Præterea cum Hierone non ut cum Arcesila causam quandam agit poeta pro re ac tempore, sed tanquam unus ejus æqualis de omni ratione vivendi regem admonet[n].

ἀστῶν δ' ἀκοὰ κρύφιον θυμὸν βαρύνει μάλιστ' ἐσλοῖσιν ἐπ' ἀλλοτρίοις.
ἀλλ' ὅμως, κρέσσων γὰρ οἰκτιρμοῦ φθόνος,

[l] *Pyth.* 4. 510. [m] *Ibid.* 2. 125. [n] *Ibid.* 1. 162.

μὴ παρίει καλά· νώμα δικαίῳ πηδαλίῳ στρατόν· ἀψευδεῖ δὲ πρὸς ἄκμονι χάλκευε γλῶσσαν·
εἴ τι καὶ φλαῦρον παραιθύσσει, μέγα τοι φέρεται
πὰρ σέθεν· πολλῶν ταμίας ἐσσί· πολλοὶ μαρτύρες ἀμφοτέροις πιστοί.

Deinceps, quod præcipue mirere, perstringit quasi sumptui parcentem, nec tecte illud quidem.

εὐανθεῖ δ' ἐν ὀργᾷ παρμένων,
εἴπερ τι φιλεῖς ἀστῶν ἀκοὰν ἁδεῖαν ἀεὶ κλύειν, μὴ κάμνε λίαν δαπάναις,
ἐξίει δ' ὥσπερ κυβερνάτας ἀνὴρ
ἱστίον ἀνεμόεν· μὴ δολωθῇς, ὦ φίλος, εὐτραπέλοις κέρδεσσ'·
ὀπιθόμβροτον αὔχημα δόξας
οἶον ἀποιχομένων ἀνδρῶν δίαιταν μανύει
καὶ λογίοις καὶ ἀοιδοῖς·
οὐ φθίνει Κροίσου φιλόφρων ἀρετά.

Dicat aliquis, lusisse plerumque Lyricos, nulla religione, in ejusmodi largitate celebranda: nempe morem illum esse omnibus omni tempore cantoribus. Fateor: at libertate tamen frui dixerim non mediocri, qui regem suarum rerum columen non metuat istis aggredi.

Hactenus de apertis et minime ambiguis: sed multo sunt plura (si credendum doctissimis hominibus,) quæ tegunt *παρρησίαν* illam quasi velis quibusdam et involucris; selectis videlicet ex omni annalium memoria, ut quæque videbantur ad argumentum carminis cujusque proxime accedere. Verbi gratia, Telesicratem laudans, Cyrenæum juvenem, ut videtur, de protervioribus, totus in Epithalamiis versatur, amores celebrans primo Cyrenes et Apollinis, deinde Alexidami cujusdam, qui et ipse cursor fuerat, pedumque pernicitate paraverat sibi conditionem honestissimam, Nomadum regis filiam[o].

οὕτω δ' ἐδίδου Λίβυς ἁρμόζων κόρᾳ
νυμφίον ἄνδρα· ποτὶ γραμμᾷ μὲν αὐτὰν στᾶσε κοσμήσαις, τέλος ἔμμεν ἄκρον,

[o] *Pyth.* 9. 206.

εἶπε δ' ἐν μέσσοις ἀπάγεσθαι, ὃς ἂν πρῶτος θορὼν
ἀμφί οἱ ψαύσειε πέπλοις·
ἔνθ' Ἀλεξίδαμος, ἐπεὶ φύγε λαιψηρὸν δρόμον,
παρθένον κεδνὰν χερὶ χειρὸς ἑλὼν
ἆγεν ἱππευτᾶν Νομάδων δι' ὅμιλον· πολλὰ μὲν κεῖνοι δίκον
φύλλ' ἔπι καὶ στεφάνους·
πολλὰ δὲ πρόσθεν πτερὰ δέξατο νικᾶν.

Nescio sane, an nusquam vel elegantius luserint in eo genere veteres, vel propius accesserint ad eam quasi formulam, ex qua plerumque fiebant cantilenæ illæ majoribus nostris acceptissimæ, iis præsertim, qui vitam agebant sub dio, atque in trepidis rebus, prope fines hostium. Istiusmodi maxime hominibus erant ea carmina in deliciis: credo propter libertatem nescio quam, et lætitiam audaciæ pæne castrensi cognatam. Verum, ut unde abii redeam; per hujusmodi narrationes monitum esse aiunt a Pindaro nostro Telesicratem, de eximia castitatis laude [p]:

ὄφρα τις τῶν ἐν δυνάτῳ φιλοτάτων ἐπιψαύειν ἔραται.

Quod idem alio in carmine docet Poeta juvenum Æginetarum par, Phylacidam cum Pythea, memorato magni istius Pelei periculo, propter incestos Thessalæ cujusdam amores [q].

πολλὰ γάρ μιν παντὶ θύμῳ
παρφαμένα λιτάνευεν· τοῦ μὲν ὀργὰν κνίζον αἰπεινοὶ λόγοι·
εὐθὺς δ' ἀπανάνατο νύμφαν, ξεινίου πατρὸς χόλον
δείσαις· ὁ δ' ἐφράσθη κατένευσέν τέ οἱ ὀρσινεφὴς ἐξ οὐρανοῦ
Ζεὺς ἀθανάτων βασιλεύς, ὥστ' ἐν τάχει
ποντίαν χρυσαλακάτων τινὰ Νηρεΐδων πράξειν ἄκοιτιν.

Ex his satis fortasse poterit intelligi, quodnam plerumque fuerit Pindari consilium. Dato sibi in manus quasi quodam filo, quærebat etiam per omnes fabularum ambages, quod mores hominum sive ad virtutem sive ad civilem prudentiam informare posset.

[p] *Pyth.* 4. 162. [q] *Nem.* 5. 56.

Quod si cui magnum et vix credibile videatur, fuisse tantam eo tempore Musarum reverentiam, ut homines ætate procaci, regia potestate, facile perferrent simplicis Poetæ sive querimonias seu vocem quasi censoriam; animadvertat is velim, primo, imbutos esse multis jam annis ea reverentia Graiorum animos. Quis nescit Homericum illum *ἀοιδὸν*, quem domi apud uxorem suam reliquisse dicitur Agamemnon cum Trojam iret[r]?

> ἡ δ' ἤτοι τὸ πρὶν μὲν ἀναίνετο ἔργον ἀεικὲς
> δῖα Κλυταιμνήστρη· φρεσὶ γὰρ κέχρητ' ἀγαθῇσιν·
> πὰρ δ' ἄρ' ἔην καὶ ἀοιδὸς ἀνὴρ, ᾧ πολλ' ἐπέτελλεν
> Ἀτρείδης, Τροιήνδε κίων, εἴρυσθαι ἄκοιτιν.
> ἀλλ' ὅτε δή μιν Μοῖρα θεῶν ἐπέδησε δαμῆναι,
> δὴ τότε τὸν μὲν ἀοιδὸν ἄγων ἐς νῆσον ἐρήμην,
> κάλλιπεν οἰωνοῖσιν ἕλωρ καὶ κύρμα γενέσθαι·
> τὴν δ' ἐθέλων ἐθέλουσαν ἀνήγαγεν ὅνδε δόμονδε.

Nempe magna pars erat criminis Ægisthi, quod non sine contumelia sacrosanctum illum virum expulerat.

Ἀοιδοὺς autem ad usque Pindari ætatem jure quodam suo permansisse immunes liberosque, vel eo veri videtur similius, quod ejusmodi fungebantur arte, quæ semper in deliciis erat universo generi gymnastico et militari. Quare, si quos forte poetas feriret ira vel principis vel optimatium, nimiæ audaciæ ergo, præsidio his erat futurus popularis quidam favor: senserunt homines, tanto sui præconio se minime carere posse.

Porro præter illas quas modo laudabam ambages, quas plerumque in re deligenda sibi quærebant prudentissimi vates, ne luce nimia molestiora fierent monita satis per se molesta; illud quoque non leviter pepercit, opinor, pudori hominum, quod nihil

[r] *Od.* 3. 265.

neque vulgo legebatur neque dicebatur de superiore loco: conjungebantur omnia cum Musicis modis, cumque apparatu prope scenico: cujus quasi fulgoribus effectum est, ut siqua esset audacior paullo censura, ne tamen ea palam in oculos profanæ plebis incurreret. Quotus enim quisque, tanto sonitu tum cantantium tum organorum, vel auribus percepisse putandus est sensum eorum quæ canebantur!

Verum enimvero in omni hoc argumento primas necesse est obtineat ille locus qui cum religione conjungitur: eam dico religionem, qua Græcia vetus prosequebatur eos, qui carminibus operam dabant. Nimirum (id quod narrat Tacitus de fœminis Germanorum) inesse sanctum quid ac providum Poetis putabant; eamque opinionem eo magis tunc temporis viguisse crediderim, quod ῥαψῳδοῖς, qui vocabantur, styli vel nullus erat usus vel certe perrarus. Nihil unquam ex scripto recitabant, sed carmina fundebant pro re ac tempore, veluti quibus aura quædam divinior afflavisset.

Sit vero satis eam rem semel tantum hic memorasse, manifestam nimis, tritamque jamdiu proverbii ferme ritu: præsertim apud Latinos, quorum in sermone verba illa, *Canere*, *Carmen*, *Vates*, ancipitem quandam habuerunt vim; fuerunt videlicet magnam partem auguribus communia cum Poetis. Quarum autem gentium popularis vox et lingua tantam habuit significationem arctioris cujusdam necessitudinis, qua Divinationem, quam vocant, attigit Poesis, apud easdem et ipsi non raro Tyranni religione nonnulla devincti tenebantur, et magno Poetis futurus erat præsidio, liberrime et severissime monentibus, plebis favor, non facile passuræ, siquis immanius

quid tentaverit in eos qui Deorum prope oracula ferebant. Quare et Simonides, Pindari, ut aiunt, magister, insignem Hieronis Tyranni gratiam meruit; ex quo effectum est, ut in illo Dialogo qui nomine Hieronis inscribitur, Xenophon elegantissimus istiusmodi partium arbiter huic potissimum regii consiliarii personam tribueret: et laudatus ille Tyrtæus tantum potuit apud Spartanos, ut non modo novum in certamen fugatos ac pæne desperantes acueret, verum etiam ut Helotas aliquos ex ejus sententia duxerint manumittendos: quo consilio vix quidquam potuit odiosius dari ac molestius, propter insitam Laconibus arrogantiam. Neque vero eum id effecisse crediderim sola Martiorum carminum vi, sed multo magis opinione quadam sanctitatis; quippe arcessitum oraculi monitu, fundentemque versus ipso præliorum initio, prout œstro erat in præsens percitus. Porro neminem quod sciam legimus neque *ῥαψῳδὸν* neque lyricum ulla unquam invidia vel principis vel civium suorum gravius arsisse, propter vitia nimis incaute reprehensa. Quod contra multavit populus Atheniensis Phrynichum pecunia, Socratem etiam vita: credo quia vel nulla vel certe obscurior exstabat apud eos opinio, Deum carminibus et vatibus adesse.

Hactenus de vulgi judicio: cavete autem, *παρρησίαν* illam Poeticam ulla re magis viguisse censeatis, quam divina quadam ipsorum, qui cantabant, audacia; quoties videlicet persuasum erat alicui, fieri potuisse ut in suis quoque carminibus inesset vox quædam non sua sed divinitus edita. Pindarum ea fuisse sententia, magno ipsius Poeseos commodo, satis vel uno illo docemur carmine, quod primum inter Pythica legitur. Ac venia sit pauca hic repetenti de

celeberrimi Poematis exordio; si forte, quod caput est universæ criticorum artis, rebus parum novis nova lux poterit immitti [s].

> χρυσέα φόρμιγξ, Ἀπόλλωνος καὶ ἰοπλοκάμων σύνδικον Μοισᾶν κτέανον.

Quorsum illud, σύνδικον κτέανον; Nonne in eo versatur Pindarus, ut doceat Hieronem, instrumentum omne poeticum minime ad voluptatem solam adhiberi; immo ad Deorum aliquem pertinere, ejusque imperia velle exsequi; nec nisi contempto eo, contemni posse? Pergit deinceps monstrare, quanti intersit vel ad beatissimum illum cæli ordinem, ut lyræ musicisque modis recte obtemperetur.

> καὶ τὸν αἰχματαν κέραυνον σβεννύεις
> ἀενάου πυρός· εὕδει δ' ἀνὰ σκάπτῳ Διὸς
> αἴετος, ὠκεῖαν πτερύγ' ἀμφοτέρωθεν χαλάξαις·..... κῆλα δὲ καὶ δαιμόνων
> θέλγει φρένας, ἄμφι τε Λατοΐδα σοφίᾳ, βαθυκόλπων τε Μοισᾶν.

Deinde, ne quis spernere audeat gravissimam Superorum nunciam, Poesin, videte quales ejus proponat nobis inimicos:

> ὅσσα δὲ μὴ πεφίληκε Ζεύς, ἀτυζόνται βόαν
> Πιερίδων ἀΐοντα, γᾶν τε καὶ πόντον κατ' ἀμαιμάκετον,
> ὅς τ' ἐν αἰνᾷ Ταρτάρῳ κεῖται, θεῶν πολεμίος,
> Τύφως ἑκατοντακάρανος.

Ac ne cui frigidius fecisse videar, quod in tanto ardentium verborum splendore quærerem Poetæ velut philosophantis consilium; non equidem intelligo parata eum dicere formula, quippe abreptum ut fit æstu fervidioris ingenii. Sed tamen in illo quoque verborum et cogitationum quasi tumultu putandum est subesse sensum aliquem de gravioribus, quo tanquam pondere depressa navis fortem rectumque

[s] *Pyth.* I. I.

tenere possit cursum, etiam immenso et instabili Oceano. Erant hæc inanis verborum sonitus, ni foret per sanctam illam de summa Poeseos doctrinam, quæ veluti vena quædam tacita per universum manat carmen. Ne multa: Pindari judicio, non levia neque ludicra præmia petebant, quot erant Musarum alumni: immo pensum a Diis immortalibus datum exsequebantur.

Porro ea fuit ejus de rebus divinis sententia, quæ metus omnes compesceret, libertatem ut maxime commendaret; partim, quia firmiter credebat, esse aliquos Manes, et apud eos præmia bonis, supplicia reservari flagitiosis; partim quia volitare putabantur vel circa terrena hæc loca defuncti Heroes, immo etiam Olympici Dii; ne forte somnietur aliquis, deesse sibi ullo tempore testes vel bene vel indigne actorum.

Ac primo de Inferis quæ fuerit Pindari mens, doceant nobiles illi versus, igne ferme divino tacti, quibus Theroni tum adversa consolatur, tum prospera gravissimis monitis temperare non dubitat[t].

> *ὅτι θανόντων μὲν αὔτικ᾽ ἀπάλαμνοι φρενὲς*
> *ποινὰς ἔτισαν, τάδ᾽ ἐν τᾷδε Διὸς ἀρχᾷ*
> *ἀλιτρὰ κατὰ γᾶς δικάζει τις, ἐχθρᾷ*
> *λόγον φράσαις ἀνάγκᾳ.*

Videndum an prudenter hic auxerit Poeta sacrum illum Tartari horrorem, quod non, ut plurimi, singulorum depingit pœnas, sed universam modo rem obscure adumbrat, tactu timido ac (prope dixerim) religioso. *Δικάζει τις,* inquit, *κατὰ γᾶς·...τοὶ δ᾽ ἀπροσορατὸν ὀκχέοντι πόνον.* Contra de beatorum sorte ita ferme loquitur, quasi rem oculis viderit. Primo,

[t] *Ol.* 2. 105.

semel iterumque mortuos cum pietate et honestate dicit indolentia quadam frui:

> ἀπονέστερον ἐσλοὶ δεδόρκαντι βίον, οὐ χθόνα ταράσσοντες ἐν χερὸς ἀκμᾷ
> οὐδὲ πόντιον ὕδωρ
> κεινὰν παρὰ δίαιταν· . . . ἄδακρυν νέμονται αἰῶνα.

Postquam autem tam mortis quam vitæ ter jam fecerint periculum, migrare jam inde animas pias in aliquam de beatorum insulis, ubi vernæ semper et auræ et herbæ spirant.

Illud in his molestum quidem, sed maxime tamen cum Pindari rationibus consentiens, quod omnem hunc præmiorum et pœnarum apparatum solis suis optimatibus servari dicit. Nam hoc ipso nomine laudat simul admonetque divites, quod [u]

> πλοῦτος ἀρεταῖς δεδαιδαλμένος φέρει τῶν τε καὶ τῶν
> καῖρον, βαθεῖαν ὑπέχων μέριμναν, ἀγροτέραν,
> ἀστὴρ ἀρίζηλος, ἐτήτυμον
> ἀνδρὶ φέγγος.

Nempe divitias comitatur otium; quo si recte velit quis uti, poterit is, tanquam felix venator, indagare multas magnasque res, atque in iis studiis proficere, quæ veram homini lucem afferant:

> εἰ δὲ πλοῦτον ἔχει τις, οἶδεν τὸ μέλλον·

de cæteris altum silentium. Atque etiam apud ipsum Elysium ponitur in fine bonorum familiariter uti Peleo, Cadmo, Achille, cæteris, quorum se stirpe nobiles Græci jactabant. Optimatem sapiunt omnia, sub Orco quoque. Sed tamen inest et in his egregium poeticæ libertatis specimen; quos enim erigit Elysii spe, iisdem solis minatur Tartarum: primoribus nempe viris vel genere vel opibus.

Porro tum hic tum alibi non semel Pythagoræ se

[u] *Ol.* 2. 105.

discipulum prodit Pindarus: velut ubi narrat, heroas didicisse pueros[x],

> *μάλιστα μὲν Κρονίδαν,*
> *βαρυόπαν στεροπᾶν κεραύνων τε πρύτανιν*
> *θεῶν σέβεσθαι·*
> *ταύτας δὲ μή ποτε τιμᾶς ἀμείρειν γονέων βίον πεπρωμένον.*

Quæ formula, ni fallor, spectare videtur ad Aureos Philosophi, qui vocantur, versus.

Veniamus ad alteram pietatis Pindaricæ partem; cujus velut odore suavissimo Poesis ejus universa imbuitur. Defunctos videlicet heroas optimatibus suis adesse fingit omni loco ac tempore; immo et superos quoque Deos; præsertim quorum erat quisque (nam ita vulgo perhibebant) de stirpe oriundus. Hinc illa sæpius occurrentia de numinibus noctu evocatis, et ad preces mortalium, quos caros habuerunt, comparentibus[y].

> *ἀγχὶ δ᾽ ἐλθὼν πολιᾶς ἁλὸς οἶος ἐν ὄρφνᾳ*
> *ἄπυεν βαρύκτυπον*
> *εὐτρίαιναν· ὁ δ᾽ αὐτῷ*
> *πὰρ ποδὶ σχεδὸν φάνη.*

Sed exquisitius illud de Iamo[z]:

> *τερπνᾶς δ᾽ ἐπεὶ χρυσοστεφάνοιο λάβεν*
> *καρπὸν Ἥβας, Ἀλφεῷ μέσσᾳ καταβὰς ἐκάλεσσε Ποσειδᾶν᾽ εὐρυβίαν*
> *ὃν πρόγονον, καὶ τοξοφόρον Δάλου θεοδμάτας σκοπόν,*
> *αἰτέων λαοτρόφον τιμάν τιν᾽ ἑᾷ κεφαλᾷ,*
> *νυκτὸς ὑπαίθριος· ἀντεφθέγξατο δ᾽ ἀρτιεπὴς πατρία ὄσσα, (μεταλλασέν τέ μιν)· ὄρσο, τέκνον,*
> *δεῦρο πάγκοινον ἐς χώραν ἴμεν φάμας ὄπισθεν.*

Quis non oculis prope cernat juvenem circumspicientem, quo se vertat nescium, quum nulla sit præsto ne tenuis quidem forma, tantum aeria nescio quæ vox, cujus fidei committere se debeat? Est

[x] *Pyth.* 61. 23. [y] *Ol.* 1. 115. [z] *Ibid.* 6. 95.

etiam ubi numen adest vel non vocatum; velut Pallas Bellerophonti [a]:

> ἐξ ὀνείρου δ' αὔτικα
> ἦν ὕπαρ· φωνάσε δ', εὕδεις, Αἰολίδα βασιλεῦ;
> ἄγε φίλτρον τόδ' ἵππειον δέκευ.

Ex quo intelligitur, artium inventoribus, vel nulla necessitudine, Deorum quendam fore præsentem.

Nullæ denique neque montium neque sylvarum solitudines, nullius fluvii cursus, nulla litora, nullæ pæne dixerim æstivæ tempestatis auræ, ubi non latuerit divinior aliqua potestas, præsentiam sui factura pro re ac tempore. Omnia quodammodo fœta numinibus. Hinc οἰοπόλος ille δαίμων, qui gleba data cuidam Argonautarum in manus, Europam inter Libyamque sanxit hospitale quoddam fœdus in omne ævum. Hinc stupor ille plebis Thessalæ, cum primum comparuit Jason, heroica plane forma vir [b].

> τόν μέν οὐ γίγνωσκον· ὀπιζομένων δ' ἔμπας τις εἶπεν καὶ τόδε·
> οὔτι που οὗτος Ἀπόλλων· οὐδὲ μὰν χαλκάρματός ἐστι πόσις
> Ἀφροδιτάς.

En præclaram illius imaginem temporis, quo "Deum vitam accipiebant homines, Divisque videbant Permixtos heroas:" siquidem licebit versu illo Virgiliano paullum abuti.

Quid quod suo quoque tempore suisque in rebus agnoscat Pindarus ejusmodi operam cælitus erga se navatam, dæmonisque etsi non Dei propiorem consuetudinem? Alcmæonem utique, cujus sacellum erat juxta suas fores, sibi præsto fuisse memorat iter eunti, non sine benigno consilio [c]:

> χαίρων δὲ καὶ αὐτὸς
> Ἀλκμᾶνα στεφάνοισι βάλλω, ῥαίνω δὲ καὶ ὕμνῳ,
> γείτων ὅτι μοι καὶ κτεάνων φύλαξ ἐμῶν

[a] *Ol.* 13. 94. [b] *Pyth.* 4. 151. [c] *Ibid.* 8. 79.

ὑπάντασεν ἰόντι γᾶς ὀμφαλὸν παρ' ἀοίδιμον,
μαντευμάτων τ' ἐφάψατο συγγόνοισι τέχναις.

Neque vero solos eos quos colere solebat universa Graiorum pietas, seu Deos sive Heroas, vocat in partem quotidianæ vitæ Poeta; quin et cuique adesse confirmat Manes suorum, conscientia duntaxat bene vel male factorum. Neque acriores novit stimulos quos addat generosis athletis, quam siquem de majoribus eorum possit ab inferis excitare testem, coramque eo rem agi fingat. Gravis profecto illa vox, et proxime ad sanctissimam veritatem accedens, quæ mortuis quoque vindicat suam et gaudii et gloriæ partem, quoties coronantur liberi, nepotes, posteri [e].

ἔστι δὲ καί τι θανόντεσσιν μέρος
κὰν νόμον ἐρδόμενον·
κατακρύπτει δ' οὐ κόνις
συγγόνων κεδνὰν χάριν.
Ἑρμᾶ δὲ θυγατρὸς ἀκούσαις Ἰφίων
Ἀγγελίας, ἐνέποι κεν Καλλιμάχῳ λιπαρὸν
κόσμον Ὀλυμπίᾳ, ὅν σφι Ζεὺς γένει
ὤπασε.

Festivius alioqui, velut imperiosa voce, pro jure suo poetico, nunciam mittit ad manes Nympham [f]:

μελανοτειχέα νῦν δόμον
Φερσεφόνας ἴθι, Ἀχοῖ, πατρὶ κλυτὰν φέροισ' ἀγγελίαν,
Κλεύδαμον ὄφρα ἴδοισ' υἱὸν εἴπῃς, ὅτι οἱ νέαν
κόλποις παρ' εὐδόξου Πίσας
ἐστεφάνωσε κυδίμων ἀέθλων πτεροῖσι χαίταν.

Jam nemini poterit esse obscurum, cur in ea quæstione quæ erat de παρρησίᾳ Pindari, tam sedula fieret ejus religionis mentio. Quamnam enim iram seu vulgi sive principum timeret, qui se pertinere crederet ad eorum numerum, quibus erat fatalis Elysia illa beatitudo? Quænam illi refugienda foret invidia, qui suam vitam agi putaret in tanta luce ac

[e] *Ol.* 8. 101.

[f] *Ibid.* 14. 29.

frequentia, partim Immortalium, partim majorum suorum? Itaque ut oratio nostra, quo diu jam tendit, eo tandem deveniat; videndum an huic Lyricorum Poetarum libertati id maxime muneris tribuerit Benignum Numen, ut servaret quædam quasi vestigia pietatis, alias ad Superos cito penitus recessuræ: quali officio prius functi sunt ῥαψῳδοὶ, postea Tragici, dehinc Philosophorum catervæ. Ex quibus illud effectum est, quod nos docet Divina Vox: οὐκ ἀμάρτυρον Ἑαυτὸν ἀφῆκεν[g], usque eo, donec effulserit Lux illa purior, nullas unquam tenebras passura.

Denique, ni fallor, video etiam apud annales recentiorum, quod rationem hanc nostram de causis Pindaricæ παρρησίας non leviter commendare videatur. Magna videlicet Illa Dei Civitas, qua tandem arte, post Romam devictam, cum Ipsa quodammodo caperetur, feros victores capere potuit? Libertate, credo, et sanctissimæ linguæ παρρησίᾳ. Unde autem tanta ista Libertas? Primo, immortales se fore certo sciebant: deinde Deum divinosque nuncios omni loco ac tempore adesse noverunt. Atqui harum ipsarum rerum obscura quadam hariolatione fretum fuisse et Pindarum auguramur. Adeo ex hac quoque parte placuit summo Illi Numini servari quandam quam vocant ἀναλογίαν, ut imperfecta et priora postremæ et optimæ viæ quodammodo respondeant.

Hæc si cui non prorsus inepta videbuntur, is mecum fortasse judicabit, non sine præcipua quadam προνοίᾳ concessam fuisse Graiis, ipso Poeseos initio, nobilissimam illam seriem trium Poetarum, quorum esset quisque in suo genere non modo primarius, verum etiam exemplaris loco: Homerum intelligo,

[g] *Act. Apost.* 14. 17.

Æschylum, Pindarum. Sed quoniam illorum Poeticæ, pro modulo nostro, satis utcunque est factum, veniendum jam erit ad genus Poeseos longe diversum, tam indole quam regionibus: postquam tamen pauca prius edixero de Sophocle et Euripide: ne forte conqueratur aliquis, unum solum de tribus Tragœdiæ luminibus esse a nobis in numerum Primariorum relatum.

PRÆLECTIO VICESIMA OCTAVA.

Dubitatur, an Primariis nostris recte annumeretur Sophocles. Primo, quod ad affectus atque ad res hominum attinet, negligi ab eo personas inferiorum partium; incedere omnia gradu nimis augusto; non satis variari partes. Deinde, quod ad terrarum et cœli faciem, venustissima esse quæ ediderit tum in Ajace tum in Philoctete, sed rariora quam quæ poscat primariæ Poeseos ratio. Laudari eum præcipue tum styli causa, tum fabularum conserendarum arte: quarum rerum utramque non adeo pertinere ad nativum et verum Poetam: præsertim cum idem τῷ μιάρῳ propius accesserit; scenica et popularia captaverit; imitator sæpius evaserit; tam moribus quam scriptis εὔκολος fuerit.

PAUCA hodie locuturus, Academici, de Sophocleorum carminum ratione, eoque de loco, qui tanto Scriptori potissimum assignari debeat in choro Poetarum, video equidem me non mediocrem, ut in tali re, suscepisse in me invidiam. Nostis enim quam ægre ferre soleant homines, litem moveri de meritis magnorum Poetarum, eorum præsertim, quos ipsi, juniores cum essent, adamaverint. Nescio quomodo sibi ipsis seu damnum sive contumeliam inferri arbitrantur; plane quasi vel sanguine vel sacrosancto quodam fœdere pertineant ad ipsos ii scriptores, quorum versibus assueverint a tenero, ut aiunt,

ungue. Ex quo intelligi potest, quanta sit vis veræ illius et divinitus illapsæ Poeseos, cum fallax quævis ejus imago tam alte penitus in animis hæreat.

Jam haud scio an Sophoclis causa proprium aliquid habeat ac præcipuum, quo invidiosius agere videatur, quicunque tandem is erit, qui viro laudatissimo Primarii nomen denegabit. Nempe in Sophocle primo vel in Euripide degustant plerumque, ut opinor, ingenui juvenes mel illud sermonis Attici. Apud hos potissimum severius aliquid solent addiscere pueriles animi, voluptariis ferme lassati versibus. His tandem studiis se monentur erigere, si forte gravissimam illam veteris Tragœdiæ formam contemplari possint. Mirum itaque, ni fontes ipsius Poeseos retulerint ad eos præsertim homines, quorum opera ipsi cepissent initium videndi aliquid in re poetica.

Illud præterea molestum, quod omnium omnino qui ullo tempore carmina panxerunt, nemo ferme uberiores sibi meritus est laudes vel veterum vel recentiorum: adeo ut in proverbiam pæne abierit Sophocleus, quem vocat Maro, Cothurnus.

Verum quid quæritis? inani prorsus commento necesse est fateamur nos operam dedisse, ni pertingat formula nostra tam ad laudatissimos scriptores, quam ad trivialem quemque et indisertum. Est enim ejus summa, poni debere caput universæ Poeseos, non in rerum subtilitate nedum in verborum aculeis, sed in secreto corde atque in intimis affectibus hominum. Quare ad nostra confirmanda nihil ferme vehementius pertinebit, quam si forte digito intento ad unum atque alterum eorum qui habentur præstantissimi, faciamus in iis opinionis nostræ periculum. Continebitur autem ea res duplici potissimum quæstione: primo, an in Sophocle reperiantur

ejusmodi indicia, per quæ maxime declarari soleat nativa illa vena, ac vis Poeseos: deinde, si negas Primarium eum recte appellari, videndum, quo tandem redeant laudes, quibus idem omnium consensu ornatur. Quod si neque indagantibus apparebunt ulli quasi fontes ejus Poeseos, neque vero deerunt rationes satis idoneæ, cur in honore tanto habeatur, etsi careat Primarii nomine; nihil ut opinor vetabit poni eum in eorum censu, qui non tam vi quadam Naturæ, quam singulari artificio et doctrina, Poetæ prodierunt.

Ac primum, ut id quod verum est ingenue fatear, nondum mihi diligentius perlegenti occurrit, quisnam apud Sophoclem lateat obscurior sensus, et diffusus quodammodo sapor in omni ejus Poeseos corpore. Ex quo dubitari necesse est, an extet omnino apud eum tale aliquid. Non quo ignorem, ex sensu singulorum legentium vix capi posse conjecturam de universa scribentis indole. Quis enim unus judex ad ingenia tam varia tot magnorum Poetarum sufficiat? Ac velim equidem felicior aliquis in eam aliquando venam incidat, quæ nos adhuc sedulo quærentes latuit. Mihi certe gratum cum primis acceptumque foret. Quis enim non lucro apponat quicquid unquam in lucem poterit erui de causis laudatæ Poeseos, de arcanis magnorum virorum?

Quod autem vix crediderim, fore ut in Sophocle nostro facile indaget aliquis ejusmodi fontes; desidero equidem ardentes illos, ultroque in lucem erumpentes, animorum motus, tum in choricis ejus, tum in disputatione et dialogo. Videamus quid valeat in illis locis, quorum solet esse maxima vis, pleno ac ferventi pectore. Versantur illi partim in affectibus

hominum, partim in omni hac cæli, terræ, tempestatum facie.

Quid ergo? dicat aliquis: num in affectibus hominum parum potuisse Sophoclem judicamus? Nihilne tibi videtur in ea provincia egisse, qui Electram, Antigonem, Philoctetem, Herculem, qui præter cæteros Œdipoda miserit in scenam? qui in Ajace bellicosam illam et indomitam arrogantiam feliciter adeo temperaverit, insaniæ conscientia nondum satis excussæ [a].

ὁρᾷς τὸν θράσυν, τὸν εὐκαρδίον,
τὸν ἐν δαΐοις ἄτρεστον μάχαις,
ἐν ἀφόβοις με θηρσὶ δεινὸν χέρας;
ὤ μοι γελῶτος· οἷον ὑβρίσθην ἄρα.

Ego vero lubentissime crediderim, usu plerisque sæpius venisse, ut istis non mediocrem in modum commoverentur: quid enim altius penetrare solet animos, quam invita fortis et magnanimi viri comploratio, vix tandem succumbentis hujus vitæ conditioni? Hæc tamen habeo, cur dubitem, an totus fuerit Sophocles in ea quasi pictura, quo more solent ii, qui Poetæ non esse nequeunt. Primo, quod omnis ejus opera ponitur in unius Ajacis persona, neglectis ferme iis, quæ minorum vocantur partium. Neque enim in Tecmessa, quod sciam, neque in Atridis, neque in ipso Ulysse Sophocleo quidquam extare atque eminere dixerim, quo quasi signo separetur unusquisque a communi grege hominum. Id modo loquuntur, id agunt singuli, quod aut inserviat fabulæ, aut ad argumentum aliquod de subtilioribus pertinere videatur, qualia multa habet recentior Atticorum Scena: de se suisque, altum silentium. Quod contra, apud Shaksperum nostrum, uti

[a] Soph. *Aj.* 363. Ed. Musgr.

norunt omnes, minimarum quoque partium personæ vindicant sibi scriptoris studium, etsi non par, ut simile tamen. Nusquam ferme apud illum ne tria quidam verba profert seu colonus forte astans, sive miles, seu scurra popularis, seu quivis alius, quin propriæ indolis significationem quandam injiciat. Itaque jure quodam singulari tribuitur Shakspero ea laus, ut humani nihil a se alienum putet: quippe qui in omnium qui ubique extant hominum formas, ingenia, mores transferre se noverit: in hoc Naturæ plane similis, quæ omni cura fingere solet et ornare non ea tantum loca, quæ vulgo ob eximiam quandam pulchritudinem invisuntur, sed et obscuros quosque angulos, nullo neque solis radio neque oculo admirantis facile tangendos. Eadem Natura pari sedulitate, ut ita dicam, proceras ornavit quercus, ac minutissimum quodque seu fungorum sive filicum genus, nascentium forte sub umbra regiæ arboris. Atque in hanc fortasse partem accipiat aliquis non male piam majorum nostrorum diligentiam, qui in sacrosanctis ædibus sollicite curabant exsculpi ac poliri summa etiam laquearia, posticam columnarum partem, cætera quæque a luce et aspectu remota. Quare, qui Poeta posuerit omnem operam in uno solo actore, illum judicamus effingi non ad Naturæ sed ad artis alicujus normam. An vero in Sophocle nostro locum habeat ea dubitatio, judicent velim acutiores.

Illud addam: qui Scriptores potuerint se componere ad omnem prorsus omnium animorum habitum, omnesque affectus;—quæ propria ferme et excellens laus est Shaksperi apud nos, apud Græcos Homeri; —fieri vix potuit, quia iidem sæpius in levia et ludicra inciderent, ipso gravissimorum temporum arti-

culo. Nam isto fere cursu feruntur res hominum: seria cum nugis, ridicula cum molestis mirandum in modum commisceri solent. Necesse erit igitur, exemplar vitæ, Tragœdia, petulantiæ comicæ nonnihil in se admittat. Sophoclis autem, ut videtur, severius erat judicium et fastidio propius, quam ut facile pateretur turbam illam diversarum rerum et quasi colluviem. Nihil apud illum militis Agamemnonii simile, vel nutriculæ illius in Choëphoris: quorum utriusque ea est ratio, ut in partem vocari doceant rerum lugubrium infimæ quoque sortis homines, tunicatum popellum, vilibus curis intentum. Sophocli nihil non ornatum, grave, magniloquum: ex quo satis intelligitur, caruisse virum illo certe fonte Poeseos, quo fruuntur, qui omnium curarum et conscii et participes fieri solent.

At enim ecquis Sophocle felicior in iis depingendis qui extremo dolore torquentur? Recordamini modo Herculis illius Œtæi, quo tanquam turbine splendidissimorum verborum celebret ipse morbi impetus in se vehementer ingruentes [b].

πλευραῖσι γὰρ προσμαχθὲν, ἐκ μὲν ἐσχάτας
βέβρωκε σάρκας, πνευμόνος τ' ἀρτηρίας
ῥοφεῖ ξυνοικῶν· ἐκ δὲ χλωρὸν αἷμά μου
πέπωκεν ἤδη, καὶ διέφθαρμαι δέμας
τὸ πᾶν, ἀφράστῳ τῇδε χειρωθεὶς πέδῃ.

Hæc omni laude majora; et memini equidem cum unus ex eorum numero qui doctissimi habebantur hac memoria, relecto eo carmine, vehementius clamaret, Euge mi Sophocle! quam bene calluisti artem tuam! Quis negat? at vereor tamen an ejusmodi fuerit præconium, quod capiti scriptoris detraheret potius primarii coronam, quam imponeret.

[b] *Trach.* 1070.

Nempe artificio magis eximio declaravit qualis fuerit angor, quem ipse flenti adflere visus est. Velim modo ista conferat aliquis cum flebilibus Hebræorum modis, Davidis dico, Hiobi, Hezechiæ; quicunque Spiritu plusquam humano cecinerint quid possent in ægris mortalibus artus cruciati, cor languens, omnis ille quasi apparatus morborum ac doloris corporei. Invenies profecto, eorum lamenta mirifice respondere iis vocibus, quas ab ægrotantibus quotidie sentimus emitti: singultim quodammodo brevibus acutisque clausulis velut ipsa vi mali ab imo pectore extortis. Tum orbem terrarum, ut ita dicam, peragrant, quærendo similitudines, si forte possint explicare lingua arcanos et miserrimos sensus: cum Hercules ille Sophocleus, justa oratione, magis quid alii adstantes cogitent, quam quid ipse intus sentiat, exponere videatur.

Præterea videndum, an apud Sophoclem diversi actores, iisdem fere calamitatibus obruti, satis inter se discrepent; ex lege videlicet et tanquam ex edicto Naturæ, nunquam ita comparantis opera sua, ut duo quivis animantes, ne dicam homines, alter alteri ex omni parte respondeant. Quam rem qui non modo bene perspexerit, verum etiam ita versibus expresserit, ut quivis agnosceret commune aliquid cum unaquaque persona sentientem, is proprio quodam jure dici debet et haberi Primarius, ex ea videlicet Poeseos parte, quæ ad affectus hominum pertinet.

Atque ut in eodem loco, cui institimus, diutius paullo versemur; videte, obsecro, quam parum intersit inter Herculem et Philoctetem, quod ad dolores tolerandos attinet. Nimirum ut unum illud excipias, quod Herculi identidem venit in mentem

ignominia, qua sibi videtur affici, qui vi doloris, ut fœmina, eruperit in lacrymas; cætera ferme habet cum Philoctete communia.

Occurretur fortasse a nonnemine, quærente num satis recte capiatur conjectura ab iis quæ ad corporis pertinent angores: quippe qui dolor eandem fere habeat in omnibus hominibus rationem, simplicissimam illam quidem: ita ut nihil sit interfuturum, in hoc an in illo spectetur. Faciamus itaque periculum in alio genere, sed in eodem Philoctete. Nam tangit is similitudine, ut morbo Herculem, ita contumelia, quam perpessus est ab Atridis, Ulyssem. Jam autem paribus non modo locis verum etiam verborum formulis lacessunt uterque inimicos suos. Facile noscas, parum in eo fuisse scriptorem, ut cuique pro cujusque habitu suam quandam iram tribueret. Quid? Antigonem cum Electra, Creonta iratum atque auguri minitantem cum Œdipo Rege siquis attentius contulerit, nonne ibi quoque requiret nativam illam quasi colorum varietatem, verasque voces ab imo pectore ejectas? Quid? Chrysothemis Argiva et Ismene Thebana, nonne conceptis fere verbis ejerant utraque sororis consilium? Nam illud quidem in promptu omnibus, cum septem modo supersint Sophoclis fabulæ, ter apud eum in partes vocari silentium illud male ominatum, nobilium mulierum, quæ, clade semel audita, statim ad laqueos vel ad gladios abierint. Nempe de Jocasta primum dicitur[c],

τί ποτε βέβηκεν, Οἰδίπους, ὑπ' ἀγρίας
αἴξασα λύπης ἡ γυνή; δέδοιχ' ὅπως
μὴ 'κ τῆς σιωπῆς τῆσδ' ἀναρρήξει κακά.

[c] *Œd. Tyr.* 1092.

Deinde Eurydicen, Hæmonis matrem, admiratur in Antigone Chorus[d]:

τί τοῦτ' ἂν εἰκάσειας; ἡ γυνὴ πάλιν
φρούδη, πρὶν εἰπεῖν ἐσθλὸν ἢ κακὸν λόγον.

Postremo in Dejanira quoque non alius quasi ritus adhibetur moriendi[e].

τί σῖγ' ἀφέρπεις; οὐ κάτοισθ' ὅθ' οὕνεκα
ξυνηγορεῖς σιγῶσα τῷ κατηγόρῳ;

Fuerunt, qui incuria quadam eandem rem sæpius iterarent, quum tamen et variarent personas, et cæteris declararent indiciis, sibi vel propter abundantes affectus nativam Poeseos venam inesse. Id quod ad Shaksperum nostrum, ni fallor, præcipue pertinet. Sed non ejusmodi incuria, mihi credite, laborat Sophocles. Ecquis omnium versu delicatior? ecquis artifex Hellenicam linguam potentius quo vellet inflexit? Verum hoc ferme ritu se rem habuisse crediderim. Fuit Sophocles, ut æquales ejus testantur, animo, ut qui maxime, tranquillo ac placido, nullique admodum vel propter se vel propter alios dolori obnoxius. Sic enim intelligo illam εὐκολίαν, quo tanquam peculiari præconio ornatur apud Aristophanem ejus memoria[f]:

ὁ δ' εὔκολος μὲν ἐνθαδ', εὔκολος δ' ἐκεῖ.

Mirum itaque ni in ea Musarum provincia, in quam cadunt subtiliores animorum flexus, minus commode versatus esse videatur.

Neque vero is sum, qui negaverim, omnium hominum, qui non ad talia plane sint hebetes, acerrime interdum moveri animos, lectione præsertim laudatissimi illius Œdipodis. Verum hoc fieri existimo non tam affectu aliquo vehementiore, quo actores

[d] *Ant.* 1258. [e] *Trach.* 826. [f] *Ran.* 82.

prosequi solemus, quam eorum quæ aguntur tenore. Fabula ipsa, non Œdipodis persona, capitur ac delenitur mens: quæ res voluptate quidem sua minime caret; an vero ea voluptas legitime assignetur Poetarum arti, non erit hujus quæstionis.

His itaque ad tempus omissis, veniamus ad alteram illam quasi regni poetici provinciam, quam (fateor enim) pæne adducor, ut Sophocli concedendum putem: quam nostis utique sitam esse in Naturæ atque in locorum admonitu. Atque in eo genere, consensu omnium, primas inter Sophoclea tenebit tum dulcedine tum gravitate, Œdipus ille apud Colonum. Senex nimirum Sophocles cum Œdipum senem in suas Athenas deduceret, quæ fatalis erat Œdipodi requies, non potuit non mirandum in modum commoveri, notis locis, memoria juventutis, eorum cum primis numinum præsentia, quæ, puer cum esset, ipse cum suis coluerat. Deinde quam sanctum illud, quam grave, quam longe remotum a vulgari hac vitæ consuetudine, quod Manes præcipue benignos habeat non solum Attica sua, cunctorum ubique miserorum communis portus et perfugium, verum ipsius quoque municipium ac solum natale, immo etiam saxa, fontes, arbores, quibus a tenera potissimum ætate insueverat. Properat utique Tragœdiæ initio mentionem facere locorum sibi carissimorum [g],

πατὲρ ταλαίπωρ' Οἰδίπου, πυργοὶ μὲν, οἳ
πόλιν στέγουσιν, ὡς ἀπ' ὀμμάτων, πρόσω·
χῶρος δ' ὅδ' ἱερὸς, ὡς ἀπεικάσαι, βρύων
δάφνης, ἐλαίας, ἀμπέλου· πυκνόπτεροι δ'
εἴσω κατ' αὐτὸν εὐστομοῦσ' ἀηδόνες.
οὗ κῶλα κάμψον τῷδ' ἐπ' ἀξέστῳ πέτρῳ.

His optime respondent tum omni carmine sæpius

[g] *Œd. Col.* 14.

repetitæ rerum Atticarum laudes, tum ultima præsertim illa statio moribundi jam senis, descripta pæne ad regulam atque ad lineam; ut ipsis ejus vestigiis, qui vellet, posset insistere, neve latum quidem unguem a sacrato loco discedere [h].

> *ἔπει δ᾽ ἀφῖκτο τὴν καταρράκτην ὁδὸν*
> *χαλκοῖς βαθροῖσι γῆθεν ἐρριζωμένον,*
> *ἔστη κελεύθων ἐν πολυσχίστων μιᾷ,*
> *κοίλου πέλας κρατῆρος, οὗ τὰ Θησέως*
> *Περίθου τε κεῖται πίστ᾽ ἄει ξυνθήματα·*
> *ἐφ᾽ οὗ μέσου στὰς, τοῦ τε Θορικίου πέτρου,*
> *κοίλης τ᾽ ἀχέρδου, κ᾽ ἀπὸ λαΐνου τάφου,*
> *καθέζετ᾽.*

His, inquam, locorum indiciis, habita quoque sæpius propinquorum Deorum obscura quadam significatione, fecit Scriptor, ut quæ Tragœdia actione et fabula præ cæteris langueret, flueretque tardior, eadem vi summa ad se converteret, conversos diutissime detineret, animos: quam quoties lego, moveor equidem altius, velut ii qui cum primum eam audirent, Sophocli, ob ætatem, ut quibusdam videbatur, desipienti, coronam cum omni laude deferri jusserunt. Sic et nos ferme subit religio, negantes tali viro nativam Musam. Venit in mentem Virgilii: quin pæne suspicamur, manasse a Sophocle etiam, ipso insciente, venam quandam illius poeseos, quæ ponitur in Naturæ deliciis.

Erit etiam, quod hanc sententiam haud mediocriter confirmare videatur, simul ac respexerimus Ajacem. Nam et in ea fabula pulcherrime conjunguntur fortunæ et affectus hominum cum maris, litorum, fluviorum varietate. Velut ubi, amissum quærentes ducem, invocant nautæ locorum Genios [i].

> *τίς ἄν μοι, τίς ἄν*
> *φιλοπόνων ἁλιαδᾶν*

[h] *Œd. Col.* 1661. [i] *Aj.* 888.

ἔχων ἀΰπνους ἄγρας,
ἢ τίς Ὀλυμπιάδων
θεῶν, ἢ ῥυτῶν
βοσπορίων ποτάμων
ἴδρις, τὸν ὠμόθυμον εἴ
που ποτὲ πλαζόμενον
προσβλέπει, ἄπνοι;

Quid, quod iidem, semel atque iterum, ægris quodammodo oculis patriam respiciunt, non sine Trojani soli fastidio [k]?

τίς μοι, τίς ἔτ' οὖν
τέρψις ἐπέσται; γενοίμαν
ἵν' ὑλᾶεν ἔπεστι πόντου
πρόβλημ' ἁλίκλυστον, ἄκραν
ὑπὸ πλάκα Σουνίου,
τὰς ἱερὰς ὅπως προσείποιμ' ἂν Ἀθάνας.

Oculis profecto videre videmur navem nota prætervehi litora, erectosque in puppi nautas, gratulantes patriæ.

Accedit et illud [l]:

ὦ κλεινὰ Σαλαμὶς, σὺ μέν που ναίεις ἁλίπλαγκτος, εὐδαίμων,
πᾶσιν περίφαντος ἀεί·
ἐγὼ δ' ὁ τλάμων
πάλαιος ἀφ' οὗ χρόνος
Ἰδαίᾳ μίμνω
λειμωνίᾳ μήλων πόᾳ
ἀνήριθμος, αἰὲν εὐνόμᾳ
χρόνῳ τρυχομένος.

Habetis expressam ejus desiderii imaginem, quo solent absentes assueta respicere loca. Colles videlicet ac prata sub Idæ radicibus, humilem atque umbrosam regionem, λειμωνίαν ποίαν μήλων, contemnunt νησιῶται ac maritimi viri, præ aperto litore, saxis aeriis, auris undequaque Oceanum spirantibus.

Verum in omni hoc argumento id unum maxime valet, quod exules etiam et quocunque mœrore confecti solent intueri regiones ipsas, longo jam tempore

[k] *Aj.* 1232.

[l] *Ibid.* 601.

familiares, quasi quosdam doloris socios ac participes; ex quo efficitur, ut in patriam etiam atque in libertatem abire jussi, non sine angore quodam abeant, carituri deinceps iis rebus, quæ multis fortasse jam annis fuerant sibi solatio et lenimini. Cujus rei qui volet abditas penitus exquirere rationes, is fortasse necesse erit in altiora et diviniora assurgat, universamque contempletur Poeticam ex ea parte, qua tangitur a cælesti hac Philosophia. Sin exempla petis; nobilissimum id quidem, quod ad castellum nescio quod juxta Lacum Lemanum aliquando perhibetur[m] accidisse, cum de pluribus captivis superstes unus se non ferret e vinculis emitti, nec facile caruerit ne nudis quidem parietibus, sonitu aquarum, gelido carceris pavimento, infusa identidem per rimas cælorum luce. Id unum si excipias, quod ipsum fortasse nonnullis erit incredibile, et quasi quoddam ægri somnium, nescio sane an apud neminem insignius extet ejus desiderii specimen, quam apud Sophoclem nostrum, tum in Ajace tum præcipue in Philoctete.

Nempe Ajacem vivendo jam defessum, atque in ultimam illam requiem unice intentum, moratur tamen nescio qui sensus mœroris, quod linquendi sint amnes, antra, silvæ, sibi decenni jam militia facti tanquam sodales et amici quidam[n].

> *πόροι ἁλίροθοι, πάραλά τ' ἄντρα,*
> *καὶ νέμος ἐπακτίον,*
> *πόλυν πόλυν δαρόν τέ με*
> *κατείχετ' ἀμφὶ Τροΐαν*
> *χρόνον· ἀλλ' οὔκετί μ' οὔκετ' ἀμπνοὰς ἔχοντα.*
> *τοῦτό τις φρονῶν ἴστω.*
> *ὦ Σκαμανδρίοι γείτονες ῥοαὶ,*
> *εὔφρονες Ἀργείοις,*
> *οὔκετ' ἄνδρα μὴ τόνδ' ἴδητε.*

[m] *The Prisoner of Chillon.*

[n] *Aj.* 411.

Profecto vel ipso numerorum flexu, molli illo et lugubri, docuit Scriptor quam prope tangeretur animus, carendo locis longo jam usu adamatis: maxime si meminerit aliquis ferocis illius et invictæ Ajacis indolis.

Jam in Philoctete penitus omni nihil est quod adeo capiat animos, atque mentio sæpius habita speluncæ ipsius, montium, fluviorum, immo avium ac ferarum, quorum consortio levaverat ille saucius et exul molestias suas. Hinc ipso carminis exordio curiosius ponitur ante oculos latebra ejus inamœna, ac ferinæ propior [n].

> ἀλλ' ἔργον ἤδη σὸν, τὰ λοίφ' ὑπηρετεῖν,
> σκοπεῖν θ' ὅπου 'στ' ἐνταῦθα δίστομος πέτρα
> τοιάδ', ἵν' ἐν ψύχει μὲν ἡλίου διπλῆ
> πάρεστιν ἐνθάκησις, ἐν θέρει δ' ὕπνον
> δι' ἀμφιτρῆτος αὐλίου πέμπει πνοή·
> βαιὸν δ' ἔνερθεν ἐξ ἀριστερᾶς τάχ' ἂν
> ἴδοις ποτὸν κρηναῖον, εἴπερ ἐστι ζῶν.

Hinc proditus a Neoptolemo non easdem quas alii plerique tragœdias excitat; non Deos, non Furias, sed ipsam potius insulam, locosque familiares appellat [o].

> ὦ λιμένες, ὦ προβλῆτες, ὦ ξυνουσίαι
> θηρῶν ὀρείων, ὦ καταρρῶγες πέτραι,
> ὑμῖν τάδ'· οὐ γὰρ ἄλλον οἶδ' ὅτῳ λέγω·
> ἀνακλαίομαι παροῦσι τοῖς εἰωθόσιν,
> οἷ' ἔργ' ὁ παῖς μ' ἔδρασεν οὐξ 'Αχιλλέως.
> . . . . ὦ σχῆμα πέτρας δίπυλον, αὖθις αὖ πάλιν
> εἴσειμι πρὸς σὲ ψιλὸς, οὐκ ἔχων τροφήν·
> ἀλλ' αὐανοῦμαι τῷδ' ἐν αὐλίῳ μόνος,
> οὐ πτηνὸν ὄρνιν, οὐδὲ θῆρ' ὀρειβάτην
> τόξοις ἐναίρων τοῖσδέ γ'· ἀλλ' αὐτὸς τάλας
> θανὼν, παρέξω δαῖθ' ὑφ' ὧν ἐφερβόμην,
> καί μ', οὓς ἐθήρων πρόσθε, θηράσουσι νῦν.

[n] *Philoct.* 15. [o] *Ibid.* 959.

Denique horum alloquio dolorem solatur, mansurus, ut sibi quidem videtur, in tristi exilio [p].

ὦ κοίλας πέτρας γύαλον
θερμόν τε καὶ παγετῶδες, ὥς σ'
οὐκ ἔμελλον ἄρ', ὦ τάλας,
λείψειν οὐδέποτ', ἀλλά μοι
καὶ θνήσκοντι συνοίσῃ.
. . . . ὦ πτάναι θῆραι, χαρόπων τ'
ἔθνη θηρῶν, οὓς ὅδ' ἔχει
χῶρος οὐρεσιβώτας,
φυγᾷ μ' οὐκέτ' ἀπ' αὐλίων
πελᾶτ'· οὐ γὰρ ἔχω χεροῖν
τὰν πρόσθεν βελέων ἀλκὰν,
ὦ δύστηνος ἐγὼ τανῦν·
ἀλλ' ἀνέδην ὅδε χῶρος ἐρύκεται,
οὐκέτι φοβητὸς ὑμῖν.

Quin et eadem sibi fore desiderio significat, media quoque victoria, rebusque lætissimis. Decantata refero, sed et per se pulcherrima, et ad hodiernum argumentum, ut quæ maxime, pertinentia [q].

φέρε νῦν στείχων, χώραν καλέσω.
χαῖρ', ὦ μέλαθρον ξύμφρουρον ἐμοὶ,
νύμφαι τ' ἔνυδροι λειμωνιάδες,
καὶ κτύπος ἄρσην πόντου προβλῆς,
οὗ πολλάκι δὴ τοὐμὸν ἐτέγχθην
κρᾶτ' ἐνδόμυχον πληγῇσι νότου,
πολλὰ δὲ φωνῆς τῆς ἡμετέρας
ἕρμαιον ὄρος παρέπεμψεν ἐμοὶ
στόνον ἀντίτυπον χειμαζομένῳ·
νῦν δ', ὦ κρῆναι, γλύκιόν τε ποτὸν,
λείπομεν ὑμᾶς, λείπομεν ἤδη,
δόξης οὔποτε τῆσδ' ἐπιβάντες·
χαῖρ', ὦ Λήμνου πέδον ἀμφίαλον,
καί μ' εὐπλοίᾳ πέμψον ἀμέμπτως,
ἔνθ' ἡ μεγαλὴ Μοῖρα κομίζει.

Sentimus omnino, tam a Philoctete debuisse dici dulcissimum illud Vale, quam a juvene quovis peregre ituro parentum amplexus et propitia peti vota.

[p] *Aj.* 1109. [q] *Ibid.* 1498.

Hæc et nativa, et omni melle dulciora, quis negabit? at vereor profecto, ne parcius inspergi videantur Sophocleis carminibus, quam ut ex iis specimen Poeseos ejus universæ recte capiatur. Qui tamen nisi consenuisset in urbana et umbratili vita, qualis esse debuit Athenis splendidiorum hominum, multo uberiorem, credo, nobis præberet ex hac parte exemplorum materiem: maxime quia, si fides narrantibus, erat idem amore tam propenso in avitos Lares atque in natale solum, adeo erat, ut ipsi aiunt, *φιλαθηναιότατος*, ut nemini accersenti, ne maximo quidem regi, parere voluerit, ut patria scilicet careret. Quare siquis eum, velut patriæ caritate abreptum, collocabit in primariorum concilio, per me quidem id licebit; vellem modo suppeditarent apud eum ejusmodi indicia vel plura vel certiora, vel certe quæ ex animo magis erumperent, emissaque potius viderentur, quam facta et polita.

Deinde, quid si doceam, causam ejus pejori fortasse loco futuram, vel ipsarum laudum gratia, quas omnium consensu sibi nactus est? Vix eas versari dicam in ullo genere, quod omnino cognatum sit et commune cum vera Poetica. Nam video majori parti legentium duplici ferme de causa probare se Sophoclem: vel quoniam verbis sit limatus adeo ac subtilis, et in erudita illa Græcorum natione facile ferme eruditissimus; vel quoniam fabulæ, quam vocant, universam seriem tam acute, tam provide gubernet. Atque harum causarum unam intelligo veteribus præsertim Atticis viguisse, alteram his temporibus, et eorum præcipue judicio, qui cum Aristotele sentiunt, ut virtutis ita Poeticæ laudem omnem in actione consistere. De utraque autem dubitari potest, an nulla necessitudine artem ipsam

tangant; modo numeranda sint in instrumento atque in supellectili ejus.

Ac primum de mellito illo Atticismo, verborumque et sententiarum exquisita ratione: nemo nescit, in illo genere Deum pæne haberi Sophoclem, eleganti Græcarum aurium judicio: siquidem credibile est, non male colligi suffragia et studia populi noto illo ac pulcherrimo epigrammate[r],

> ἠρέμ' ὑπὲρ τυμβοῖο Σοφόκλεος, ἠρέμα, κισσὲ,
> ἑρπύζοις, χλοεροὺς ἐκπροχέων πλοκάμους·
> καὶ πεταλὸν πάντη θάλλοι ῥοδοῦ, ἥ τε φιλόρρωξ
> ἄμπελος, ὑγρὰ περὶξ κλήματα χευαμένη·
> εἵνεκεν εὐεπίης πινυτόφρονος, ἣν ὁ μέλιχρος
> ἤσκησεν, Μουσᾶν ἄμμιγα καὶ χαρίτων.

Videtisne, hederas, "doctarum præmia frontium," capiti ejus imponi maxime propter *εὐεπίην πινυτόφρονα*; cujus quanta vis fuerit apud Græcos, præsertim Athenienses, arbitror equidem vix levi quadam percipi posse conjectura, crassiore hoc cælo, surdioribus horum hominum auribus. Verum enimvero, qui istam *εὐεπίην* permeare velint universam a fontibus et capite Poesin, hos dixerim versari in errore non prorsus alio, ac si quis corpore non animo dicat ea nos sentire quæ externos feriunt sensus: cum doceat ea philosophia quæ sola et sana sit et ingenua, ne nunc quidem his oculis cerni ea quæ videntur, neque his auribus audiri sonos: quin his quasi quibusdam nunciis animam domi sedentem uti. Sic Poeticæ, tanquam reginæ, nunciorum loco inserviunt tam verba quam numeri: non dominantur, non primas agunt, non accenditur eorum ope cælestis flamma, propagatur modo. Ex quo efficimus, quicunque Poeta, judicio omnium, præcipue commendetur copia

r *Anthol.* I. 3.

et splendore verborum, de eodem non immerito dubitari posse, an nihil ferme commune habeat cum iis, qui re et affectu prius sunt facti Poetæ, quam stylo et carmine prodierunt.

Jam de altero illo genere, fabulam acute concludentium, nectentium ambages, filum eo deducentium, quo ferat lex sive operis seu veritatis, difficilior fortasse erit quæstio: maxime propter Aristotelem ejusque familiam, gravissimos, fateor, auctores; qui et *μύθον*, quem vocant, sive narrationem, anteponendam aiunt cæteris Tragœdiæ partibus, et cæteris Tragœdis Sophoclem, peritissimum videlicet narrandi artificem. Atque eorum omnis fere argumentatio solet in Œdipode Tyranno perpetuo versari, velut in quodam sui documento vel unico vel certe præcipuo. Quorum me magis commoveret auctoritas, ni intelligerem, ipsos solere vulgi judicio nimium tribuere. Nam cum in omni Aristotelis de Poetica libro provocetur quodammodo ad Populum; cum spectetur ubique forma ac facies Poematis, non intima Poetæ mens; tum ibi præsertim id fit, ubi causas explicat Aristoteles, cur in Tragœdiæ condenda præcipuo loco debeat haberi Fabula. Multas inculcare videtur rationes, quarum tamen hæc una est summa: *τὰ μέγιστα*, inquit, *οἷς ψυχαγωγεῖ ἡ Τραγῳδία, τοῦ μύθου μέρη ἐστιν· οἷον ἡ περιπετεία καὶ ἡ ἀναγνώρισις.* Proinde quasi theatri clamore, plaudentium multitudine ac lateribus, stet cadatve magnorum Poetarum gloria. Istiusmodi edictis qui se teneri decreverit, is multis numeris necesse est præferat Iliadi trivialem quamlibet historiam, quales hodie nulla non in taberna leguntur. Nempe qui his dant operam, nisi perlectis, obdormire fere nequeunt; capti videlicet ingeniosa quadam nodorum, qui appellantur, varietate.

Id quod in Homericis vel in Æschyleis vix et ne vix quidem accidisse arbitror. Quare divinior hæc Poesis intervallo non mediocri separari vult ab illa narrandi peritia. Atque ego sic statuo, Academici: fieri potuisse, ut in fabulis quoque condendis eminuerit aliquando nativa quædam Poesis: si forte aliquis indole plusquam humana, casus hominum, rerum eventus, Fortunæ ludum pertractaverit, ea mente, non ut a pueris et puellis carmina ejus legerentur, animi causa, verum ut ipse magis frueretur profundo ejus ordinis sensu, quo tacite flectuntur et gubernantur omnia. Istam, inquam, Poesin intelligo: maxime apud eos quorum animi penitus imbuuntur sacrosanctis seu vaticiniis sive narrationibus. Ne autem Sophocli, ne in Œdipode quidem, consilium tribuamus adeo magnificum et elatum, vetat primo universæ rei atrocitas, quæ, ut id quod verum est fatear, semper mihi visa est propius accedere ad genus illud μιαρὸν ac nefandum. Neque enim facile patimur nullius criminis reum tam male mulcari, et de scena tandem discedere, nulla spe, nulla significatione ne tacite quidem facta, fore aliquando, ut res in melius mutetur: plane quasi ludant fortunis hominum, veluti talis, crudeles quidam Genii. Religiosius multo, ni fallor, Æschylus: qui, ut quæque immaniora aguntur, eo magis sedulo significat adesse Deos, fore qui vel pœnas reposcat, vel indigne vexatos recreet. Cum autem de tanta re semel inciderit ejusmodi suspicio, vereor ne περιπετείας illas et ἀναγνωρίσεις toties laudatas odisse cœperit mens; eoque impensius, quo majore fiant ingenio. Quare ut concedam, neminem unquam artificem solertius texuisse telam suam; videndum tamen, an ipsa illa solertia detrahat aliquid de laude ejus poetica: caret

enim pietate; caret misericordia; caret affectu, dulcissimo quidem illo, quo Virgilius prosequi solet miseros atque ægros mortales.

Porro neque illud omittam: viguisse Sophoclem, ut qui maxime, iis quæ ad scenicum apparatum pertinent: quæ res quam lubrico in loco versetur, quamque prope absit a molesta histrionum diligentia, non erit cur longius exponam. Dicitur etiam Æschylus auxisse multis partibus instrumentum theatri. Sed videte, quam in istis etiam evaserint uterque sui similis. Nempe Æschylus, ni fallor, Tragica pro Lyricis primus invexit, repertis iis, quæ vel genere vel numero scenæ simpliciter et graviter ornandæ sufficerent. Sophocles tertiam induxit personam, pingi curavit scenam, quarta parte numerum Choreutarum auxit; quarum omnium rerum ea vis erat, ut voluptas aliqua certe ex parte migraret ex auribus in oculos. Immo etiam aiunt eum dedita opera scripsisse interdum Tragœdias tali formula, quæ huic vel illi histrioni potissimum conveniret. Quod si per tempus liceat, possim multa ex eo referre, quæ ni oculis adspicientur carebunt ferme sua vi: quamvis ipse fateatur Aristoteles, *τῆς τραγῳδίας δύναμιν εἶναι ἄνευ ἀγῶνος καὶ ὑποκριτῶν.* At scire velim, quorsum illud, quod inducitur in Electra Clytæmnestræ modo occisæ velatum corpus, tanquam Orestis; quo primum decipitur deinde percellitur Ægisthus. Quorsum pœnitentia Ajacis simulata, sera tum Dejaniræ, tum Creontis? Quid aliud sibi volunt conversiones ejusmodi, nisi ut animi seu spectantium seu primo legentium teneantur arrecti? Pertinent ista prorsus ad theatrum, non ad scriptorem.

Quid, quod videmus aliquando in scenam Sophocleam mitti non solum odiosa verum etiam infanda

et immania, Philoctetæ vulnus, Herculis tunicam, laceratos Œdipodis oculos? Quid, quod curiosius explicantur omnia, si forte subeat aliqua vel narratio prolixior vel disputatio? quod adeo, (qua re nihil molestius,) Poeta sæpissime fungitur officio vel Rhetoris vel Sophistæ, vel etiam ejus hominis, qui se aliquid esse in republica velit? Nimirum, siquid in his generibus recte vitio vertitur Sophocli, quis non intelligit unam esse omnium rationem? Omnia scriptorem eum sapiunt, cujus non sponte profluat Poesis, quo ferat res et animus, sed cum labore et molestia deducatur in eam partem, quæ et scenicis sit commodior et populo Atheniensium gratior.

Denique fuisse Imitatorem et veteres testantur; (ἀφ' ἑκάστου γὰρ, inquit Grammaticus, τὸ λαμπρὸν ἀπανθίζει·) et nemini erit ignotum, qui ante eum vel primis labris sive Homerum sive Æschylum attigerit. Quæ quidem res ita fit indicio, carere aliquem proprio fonte Poeseos, si non fieri videatur incuria quadam et calamo properante, sed consilio et arte; maximeque in iis locis, qui commovendorum animorum causa usurpantur. Viderint autem qui Sophocli velint primas vindicare, an in hunc censum recte referatur vel Ajacis cum Tecmessa colloquium, proxime attingens Hectoreum illud Vale; vel universa Electræ ratio, eodem fere filo deductæ, quo Æschyli Choëphoræ; nisi quia perpetua illa religionum mentione supersedendum duxit Sophocles, qua una vindicaverat Æschylus ab impietate argumentum suum.

Quod si (nam ita traditur) credimus εὐκολίαν illam Sophoclis propius abfuisse a sæculi sui licentia, non erit cur admiremur, ingenio tam præclaro tam eleganti non præsto fuisse nativam aliquam Poesin.

Quis enim nescit, non ulla re magis hebescere sinceros animorum motus, quam molli ac voluptaria vita? Quo ferant facilius Sophocleorum carminum amatores, juberi eum e Patriciis, ut ita dicam, exire, potiturum loco facile primo inter eos qui facti sint non nati Poetæ: nisi forte in hac sententia laus illa una sit excipienda, quam ante jam memoravi, quod veras voces idem videtur ejecisse non semel ex imo pectore, cum locorum, præsertim ipsi carorum, propior aliquis admonitus inciderit.

PRÆLECTIO VIGESIMA NONA.

Disceptatur de Euripidis inter Primarios loco. Quadruplex affertur ratio, cur eum dubium aliqui habuerint. Excusantur nonnulla, deinde concluditur, facta præsertim Iphigeniæ, Antigones, Polyxenæ mentione, ex animo celebrasse illum communes et domesticos affectus; libentissime autem in istis commoratum fuisse, quæ durioris sunt venæ et ad ascetica propioris. Quo in loco expenditur illud quod vulgo dicitur, μισόγυνον, immo μισόθεον, fuisse Euripidem.

QUOD in communi vita non raro novimus usu venisse, nempe ut mutari deberet opinio vel diu inusta de hoc vel illo homine, quocum etiam familiariter vixeris, monstrato demum quid sibi voluerint mores ejus et vivendi ratio, ex ea parte qua fortasse antehac vel durior vel ineptior visus fuerit: id in re quoque poetica vel sæpius futurum nemo negaverit, qui modo paullo attentius Musarum commercio se dederit. Etenim, ut verum fatear, subtilior est nodus de universa cujusvis carminum ratione, quam qui certo solvi possit: locus erit semper probabile aliquid afferentibus. Atque in hac re, sicut in multis aliis, "ut pictura poesis erit." Quoties videlicet

longo post tempore veniunt in lucem atque in oculos, repentino quodam solis, si fors ita tulerit, ictu, tabularum egregiæ ac pulcherrimæ partes, postquam semel eas bono lumine collocaveris! quam multa statim extare in umbris, in eminentia, in locis alioqui horridis atque obscuris, quæ prius ne peritis quidem occurrerent oculis, nedum nostris! Nihil profecto vetabit etiam in carminibus tale aliquid fieri: eorum certe, quorum vitæ morumque vel nulla vel exilis quædam memoria servetur; cum præsertim ea sit vis Poeseos, ut semper arcani aliquid habeat, neque unquam diu multumque cogitantibus fructum uberiorem cogitationis suæ neget. Immo hanc præcipuam propriamque habemus spem, qua in hæc studia quotidie nos erigamus, fore nos aliquando magnorum hominum quasi familiares, atque ad intima eorum consilia perventuros: ex quo efficitur, fore semper aliquid addiscendum. Illud autem, ut opinor, certissimo lucro deputabimus, si quis eorum qui primo intuentibus secundarum modo visi sint partium, adeo se commendare potuerit, *δευτέραις*, quas vocant, *φρόντισιν*, quæ solent quodammodo esse sapientiores, ut in primariorum censum referendus esse videatur: indagato scilicet poeseos ejus fonte. Lucro, inquam, ista deputabimus: nam cuinam veris ac florum amatori non gratissima supervenient ignota prius genera, vel siqua forte minus bene nota contempserat?

Atque hæc hodie præfatus sum, Academici, propterea quod vereor ut satis digne locutus sim antehac de magno viro, quem tertium inter suos Tragœdos numeravit semper Tragœdiæ nutrix, Attica. Equidem cum primum me accingerem ad hanc rationem et viam Poeticæ tractandæ, Euripidem (fatebor enim)

nescio quomodo auguratus sum minime cum iis fore collocandum, qui sibi suos fontes explorare sint ausi. Quum autem, illustratis ut potui Sophocleis, Euripidem propius intueri cœpissem, multa statim occurrere, quæ scrupulum injicerent, neque facile paterentur virum adeo laudatum de gradu suo detrudere. Immo vero, quod foret instar omnium, nescio an dixerim venisse mihi in mentem quasi quoddam caput et originem ejus Poeseos, seu potius filum voces, quo deducantur etsi non omnia, at ea tamen, quæ præ cæteris præclara ac divina habet. Quid multa? decrevi, fore fortasse operæ pretium, rationes in utramque partem breviter expendenti: modo possim ea Latino sermone exsequi, quæ mente animoque videre mihi videor. Ut nihil aliud, illud tamen, uti spero, proficiemus; occurrent, qui loci solent dominari in ejusmodi quæstione; tum quæ virtutes quibus vitiis conjungi possint in eodem scriptore; deinde quam parum deceat, decernere aliquid imperiosius, causa tam ancipiti, tamque subtili.

Sed ad rem veniamus. Pervagata sunt ac trita valde, propter quæ male audit Euripides. Primo, quod inepte ne dicam putide teneris etiam magnisve in rebus soleat nunc garrire nunc philosophari. Deinde quod in Choricis præsertim languidior sit interdum ac jejunior. Tum quod immanibus pæne probris insectetur aliquando genus omne fœmineum. Postremo, loqui eum aiunt liberius de Diis immortalibus, deque omni religionum genere, atque adeo peccare aliquando in pietatem. Quorum omnium ea vis est, ut vix credibile sit abripi generoso quodam impetu et vere poetico, qui istiusmodi culpis sit obnoxius.

Ac primum de frigido quidem illo et intempestivo disputandi genere non est cur multa disseramus, cum res in confesso sit, neque ullam facile proferas Euripidis Tragœdiam, quæ non leviter quoque aspicientibus hujusmodi nævos præ se ferat: quo more Medea gravissimis afflicta injuriis, ipso luctus et irarum turbine, sermone satis diserto exponit, quam lubrico sint loco qui pendent a vulgi judicio, deinde quam iniqua conditione nubant mulieres[a].

Κορινθίαι γυναῖκες, ἐξῆλθον δόμων,
μή μοί τι μέμψησθ'· οἶδα γὰρ πολλοὺς βροτῶν
σεμνοὺς γεγῶτας, τοὺς μὲν ὀμμάτων ἄπο,
τοὺς δ' ἐν θυραίοις, οἱ δ' ἀφ' ἡσύχου ποδὸς,
δύσκλειαν ἐκτήσαντο καὶ ῥαθυμίαν.
δικὴ γὰρ οὐκ ἔνεστ' ἐν ὀφθαλμοῖς βροτῶν.

Deinde post paullo,

πάντων δ', ὅσ' ἐστ' ἔμψυχα, καὶ γνώμην ἔχει,
γυναῖκες ἐσμὲν ἀθλιώτατον φύτον.

Atque id argumentum non paucis persequitur: deinde quasi ad exemplum se suaque subjicit. Quid, quæ Jason, ejusdem ferme exitu fabulæ? nonne rhetorum magis officinam quam affectum sapiunt paternum[b]?

ὦ μῖσος, ὦ μέγιστον ἐχθιστὴ γύναι,
ἥτις τέκνοισι σοῖσιν ἐμβαλεῖν ξίφος
ἔτλης τεκοῦσα, κἄμ' ἄπαιδ' ἀπωλέσας·
καὶ ταῦτα δράσασ', ἥλιόν τε προσβλέπεις
καὶ γαῖαν, ἔργον τλᾶσα δυσσεβεστάτην·
ὄλοι'· ἐγὼ δὲ νῦν φρονῶ, τότ' οὐ φρονῶν,
ὅτ' ἐκ δόμων σε βαρβάρου τ' ἀπὸ χθονὸς
Ἕλλην' ἐς οἶκον ἠγόμην, κακὸν μέγα,
πατρός τε καὶ γῆς προδότιν, ἥ σ' ἐθρέψατο.

Quanto rectius, quantoque ad naturam propius, Shaksperus Noster, nullo neque sonitu verborum, neque

[a] Eurip. *Med.* 216. [b] *Ibid.* 1520.

sententiarum acumine! qui patrem, audita nece liberorum et conjugis, in hæc ferme erupisse narrat [c].

"Num pueros quoque?"
"Uxor, pueruli, cum tota servi domo,
Quicunque præsto." "Vah! fuisse me foras!
Uxorem, ain' tu?" "Verum." "Omnesque liberos?
Omnes delicias? nil superesse ais domi?
Eheu Furiarum! sustulisse vulturem
Cum matre pullos, uno crudelem impete!"

Aliquando molestus fit Euripides, non justa disputatione, sed quod *γνώμας*, quas vocant, locis minime suis serere non dubitet: quinimmo talem aliquam clausulam non raro adhibeat in rebus gravissimis, maximo motu animorum. Verbi gratia, quis non miretur Andromachen, qua tandem sententia filii mortem deprecetur [d]?

πᾶσι δ' ἀνθρώποις ἄρ' ἦν
ψυχὴ τέκν'· ὅστις δ' αὔτ', ἄπειρος ὤν, ψέγει,
ἧσσον μὲν ἀλγεῖ, δυστυχῶν δ' εὐδαιμονεῖ.

Frigidum et illud, quod in efferendis sententiis amat omnia diserto exprimere sermone; cum revera soleant illi qui in majorem modum commoventur, non demonstratione sed significatione quid sibi velint declarare. Nolim itaque Andromachen cum æmula muliere certantem palam ea loqui, quæ tamen necesse est venerint ei in mentem [e]:

κακόν γε θνητοῖς τὸ νέον, ἔν τε τῷ νέῳ
τὸ μὴ δίκαιον ὅστις ἀνθρώπων ἔχει·
ἐγὼ δὲ ταρβῶ, μὴ τὸ δουλεύειν με σοὶ
λόγων ἀπώσῃ, πόλλ' ἔχουσαν ἔνδικα·
ἢν δ' αὖ κρατήσω, μὴ 'πὶ τῷδ' ὄφλω βλαβήν.
οἱ γὰρ πνέοντες μεγαλὰ, τοὺς κρείσσους λόγους
πικρῶς φέρουσι τῶν ἐλασσόνων ὕπο.

Nam Medeam quidem illam quis ferat, quæ in nato-

[c] *Macbeth,* Act. iv. Sc. 3. [d] *Androm.* 419. [e] *Ibid.* 184.

rum cædem jam efferata, sententiola tamen sua carere nequeat[f]?

> καὶ μανθάνω μὲν, οἷα δρᾶν μέλλω κακά·
> θυμὸς δὲ κρείσσων τῶν ἐμῶν βουλευμάτων,
> ὅσπερ μεγίστων αἴτιος κακῶν βροτοῖς.

Sexcenta ejusmodi apud Euripidem invenias; quorum una eademque omnium videtur esse culpa, narrari videlicet rem quamque, non coram agi: plane sicut mos est illis qui picturæ rudimentis dant operam; nam audivi sæpius, cum dicerent ejus artis periti, non alia ferme re magis peccare tirones, quam quod omnium rerum effigies iis informare lineis soleant, quas noverint revera cujusque esse proprias, non iis, quas coram oculis suis videant. Error, ut puto, eorum est hominum, qui ingeniosi malunt esse, quam simplices.

Accedit quod Euripides noster, sive animi causa, sive (id quod magis crediderim) propter suos Athenienses, nulla ferme Tragœdia non sæpius tangit rempublicam eam quæ tunc erat; si non justo sermone, at brevibus certe illis et acutis sententiis. Jam enim arrogans ille Δῆμος morosior evaserat, quam fuerat Sophoclis et Æschyli temporibus, neque facile ferebat omitti ullam sui laudandi occasionem. Isti quasi libidini obtemperavit, ut potuit, Euripides: magno sane Tragœdiæ detrimento; siquidem credibile est, id maxime in causa fuisse, cur in Andromache neglexerit pæne fabulæ argumentum omni affectione plenum, Spartam præcipue curaverit contumelia lacessendam; cur in Supplicibus prolixe et impense laudet popularem reipublicæ statum, rem ipsam levius tetigerit, miserrimam quidem illam et τραγικωτάτην.

[f] *Med.* 1074.

Nam in Medea laudibus Athenarum, licet alienis, pæne adducor ut ignoscam: quem enim non demulceat eximium carmen [g],

> Ἐρεχθεῖδαι τὸ πάλαιον ὄλβιοι,
> καὶ θεῶν παῖδες μακάρων;

Quæ nescio sane, an injuria dixerim aliena: cum ea scriptor ἐνδοσίμῳ, quod vocant, adeo felici cum rebus Medeæ conjunxerit:

> πῶς οὖν ἱερῶν ποταμῶν
> ἢ πόλις, ἢ φίλων
> πομπιμός σε χώρα
> τὰν παιδολέτειραν ἕξει,
> τὰν οὐκ ὁσίαν; μετ' ἄλλων
> σκέψαι τεκέων πλάγαν,
> σκέψαι φόνον οἷον αἴρει.

Illud addo: apud Tragœdos non semper damnari oportere, ne frigidos quidem et intempestivos sermones. Nam fieri potest, ut rebus etiam gravissimis ineptior aliquis adsit ac loquacior, cujus tamen nugæ non parum conferant ad summam totius ærumnæ; quippe quæ ob eam collationem fiat acerbior visuque fœdior: quemadmodum aiunt, squallidas casas et pauperum hortorum colluviem ipsa propinquitate mœstitiam quandam addere dirutis vel Deorum vel regum monumentis. Hac ratione multa excuset aliquis, tum apud Shaksperum nostrum, tum etiam apud Euripidem, alioqui satis aliena atque insulsa: qualia sunt illa præconis Thebani in Supplicibus, qui sub finem orationis miram quandam effundit proverbiorum copiam [h]:

> φιλεῖν μὲν οὖν χρὴ τοὺς σοφοὺς πρῶτον τέκνα,
> ἔπειτα τοκέας, πατρίδα θ', ἣν αὔξειν χρεὼν,
> καὶ μὴ κατάξαι· σφαλερὸν, ἡγεμὼν θρασὺς,
> νεώς τε ναύτης· ἥσυχος καιρῷ, σοφός.
> καὶ τοῦτό μοι τἀνδρεῖον, ἡ προμηθία.

[g] *Med.* 820. [h] *Suppl.* 508.

"Quorsum hæc!" dicat aliquis, "neque opportuna neque penitus nova?" Crediderim autem ea mente adhiberi, ut ex adversa parte magis emineat atque exstet militaris illa Thesei majestas et prudentia rege dignissima. Quacum etiam non male convenire videtur ejusdem Thesei, longior licet, oratio, longiusque petita, quam habet sub initio illius Tragœdiæ, de utilitate et commodis vitæ civilis[i]:

> ἔλεξε γάρ τις, ὡς τὰ χείρονα
> πλείω βροτοῖσίν ἐστι τῶν ἀμεινόνων·
> ἐγὼ δὲ τούτοις ἀντίαν γνώμην ἔχω.

Quidni hæc diceret, quo erat acumine, Rex, eorum more, qui versantur in consiliis publicis, quibus et tacere est turpe, et supplices nimia spe fovere incommodum? Non itaque inepte, etsi nonnunquam inepto sermone, tempus terunt.

Atque his rationibus, qui velit esse fautor Euripidis, poterit eum non raro purgare: ita tamen, ut supersint bene multa, ne dicam plura, quæ incuria certe fundi fateamur necesse erit. Idem in choricis quoque ejus (quod alterum erat accusantibus caput) vel audacius velim dictum, Aristotele fretus auctore, qui disertis verbis Sophocli ex hac parte tribuit palmam. [k] Τὸν χορὸν, inquit, *ἕνα δεῖ ὑπολαβεῖν τῶν ὑποκριτῶν, καὶ μόριον εἶναι τοῦ ὅλου, καὶ συναγωνίζεσθαι· μὴ ὥσπερ παρ' Εὐριπίδῃ, ἀλλ' ὥσπερ παρὰ Σοφοκλεῖ· τοῖς δὲ λοιποῖς τὰ διδομένα οὐ μᾶλλον τοῦ μύθου ἢ ἄλλης τραγῳδίας ἐστί.* Videtis omnibus, excepto Sophocle, vitio verti quod in Choricis cantibus abire soleant in alia omnia, prout cuique domi in chartis sit, quod populum splendore vel sonitu captare possit. Ecquis neget? etsi hac quoque ex parte nolo temere

[i] *Suppl.* 198. [k] *Poet.* c. 32.

reprehendantur magni scriptores: nolo statim confidant homines, patere sibi semel inspicientibus omnem præclari poematis rationem. Non enim statim, quæ me vel te fefellerit, surdiores fortasse, nulla erit harmonia. Exempli loco sit illa cantilena, quam primam canit chorus in Hecuba, qua nil facile invenias neque in se dulcius, neque loco minus opportunum. Nempe arrectis cum maxime animis propter imminentem Polyxenæ cædem, Hecuba coram humi jacente, juvenile nescio quid virgines effundunt: mirantur modo, quas tandem in oras Græciæ sint ipsæ in servitutem abituræ[1].

> αὖρα, ποντιὰς αὖρα,
> ἅτε ποντοπόρους κομίζεις
> θοὰς ἀκάτους ἐπ' οἶδμα λίμνας,
> ποῖ με τὰν μελέαν πορεύσεις;

Ecquid, obsecro, his cum Hecuba? sed tamen et his, ni fallor, excusatio sua non prorsus deerit. Quid si tangere voluerit Scriptor commune illud omnium ferme mortalium, quod in gravissima proximorum etiam clade suis tamen vacent curis, et levibus quidem? Quid si fessas fatali nuncio aures revocare paulisper decreverit in tranquilliora, quo ritu amant interdum Homerus et Homerici media inter prælia similitudinem quandam afferre, quæ animos reficiat memoria seu ruris sive sylvarum, sive etiam placidæ et otiosæ vitæ? Quid quæritis? in hujusmodi causis etiam atque etiam videndum, ne aut personam aliquam deceant ea quæ nobis pariunt fastidium, aut gratæ cujusdam varietatis ergo adhibeantur.

Verum ut hæc plurima suam defensionem habeant, fateor tamen inde mitigari, non omnino deleri

[1] *Hec.* 444.

posse notam illam quasi censoriam in nostro Euripide, quod is inepte soleat aliquando et cantare et ratiocinari. Numne igitur statuimus, penitus eum excidisse ex numero eorum, qui proprie ac primarie Poetæ habentur? Attendite, quæso, quid agatis: etenim qui in hac causa durior esse velit, et perfectam exigat *ἀκριβείαν*, vereor equidem, ne is Shaksperum quoque ipsum e præclara illa natione ejiciat. Nemo enim, ut opinor, negaverit, Shaksperum hac culpa minime posse liberari, qui in gravissimis causis aucupari soleat nunc verba et syllabas, nunc ingenii et sententiarum acumina. Ex quo intelligitur, ita damnari oportere qui hisce nugis nimiam dederit operam, ut ne tamen statim judices, caruisse eum igneo illo vigore ac vi germanæ Poeseos. Quare pergamus in Euripidea hac causa, atque ad ea tandem veniamus, quæ ex altera parte dici poterunt. Nam illa satis quidem invidiosa prudens prætereo hoc tempore, partim de fœminarum indole, partim de religione Deorum acerbius et audacius dicta: cum fore confidam, ut in utroque capite possim eruere satis amplam laudis materiem.

Quodnam igitur erit, Academici, excellens illud ac proprium Euripidis præconium? quave potissimum regione quæremus abditos ejus poeseos fontes? Nihil hic arcanum dicimus, nihil non omni sæculo decantatum: extitisse videlicet illum virum, ut cum Aristotele loquar[m], *τραγικώτατον τῶν ποιητῶν*. Quam sententiam cum ferret subtilis judex, ad eum opinor finem respexit Tragœdiæ, quem statuerat ipse antea, nempe metu et misericordia purgandos esse affectus hominum. Una est autem omnium vox, neminem

[m] *Poet.* 26.

ullo tempore Tragœdum propius accessisse ad fontes lacrymarum, quam qui Hecubam, quam qui Iphigeniam, quam qui dulcissimam illam Alcestidem efformavit. Magnam autem partem id fieri crediderim eximia viri humanitate, nihil a se alienum putantis,

> Quicquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
> Gaudia, discursus.

Immo vero libentius ferme versatur in domesticis rebus, quam in heroicis: non quærit excelsa, neque profunda: moratur ultro in via bene trita, atque in spatiis vitæ communibus. Crederes plane id agere, ut inter Musarum amicos quasi quidam Socrates fiat, deducturus utique Poesin, ut ille Philosophiam, de cælo et nubibus in quotidianam hanc vitam.

Cujus rei mirificum sane documentum habemus ejus Andromachen. Nominato semel illius mulieris nomine, ecquis omnium non auguretur, fore quendam quasi turbinem acerbissimi affectus, misceri quodammodo debere cælum et terras? cum prodeat Hectoris Andromache, Pyrrhi connubiorum patiens, orbata filio quem ab Hectore susceperat, patria extorris, ancillæ loco habita. Quod contra nulla re penitus ad vivum ea tangi videtur, præterquam eo metu, qui prope jam aderat ab Hermione ejus æmula. Præteritarum rerum ita non obliviscitur, ut semel concepto quasi carmine defleat [n],—

> *Ἰλίῳ αἰπεινᾷ Πάρις οὐ γάμον, ἀλλά τιν' ἄταν*
> *ἠγάγετ' εὐναίαν ἐς θαλάμους Ἑλέναν·*—

deinde tota sit in præsentibus. Atque ea quidem sic deprecatur, ut una quævis de foro mater familias: reginam, Hectoream, Priami nurum, vix et ne vix

[n] *Androm.* 103.

quidem ullo sermone ejus agnoscas. Videte ut Hermionem reprehendat, privatis fere carminibus ac prope socco dignis [o]:

> οὐ τὸ κάλλος, ὦ γυναί,
> ἀλλ' αἱ 'ρεταὶ τέρπουσι τοὺς ξυνευνέτας.
> σὺ δ' ἤν τι κνισθῇς, ἡ Λάκαινα μὲν πόλις
> μέγ' ἐστι, τὴν δὲ Σκῦρον οὐδαμοῦ τίθης,
> πλουτεῖς δ' ἐν οὐ πλουτοῦσι, Μενελέως δέ σοι
> μείζων 'Αχιλλέως· ταῦτά τοί σ' ἔχθει πόσις.

Quid ergo? Num a Tragico Scriptore dedita opera dicimus adhiberi trivialia hæc et pæne comica, quo ponat nobis animum generosissimæ quoque mulieris mœrore demissum? Scimus enim, diuturnis angoribus misere aliquando frangi spiritus, et paullatim quodammodo evanescere saporem illum nobilitatis; præsertim ubi quis in servi locum venerit [p]:

> ἥμισυ γάρ τ' ἀρετῆς ἀποαίνυται εὐρυόπα Ζεὺς
> ἀνέρος, εὖτ' ἄν μιν κατὰ δούλιον ἦμαρ ἕλῃσιν·

siquidem audiendus est Homerus. Aut igitur putandum consulto fecisse Euripidem, ut degenerem quandam Andromachen in scenam mitteret; aut (id quod equidem veri esse judico similius) tenet in hac re suum illud Poeta, ut ex simplicissima quadam privatæ et umbratilis vitæ formula affectus moresque omnium exigi velit. Quo in genere peccare eum aliquando et nimium fieri, popularis erat sententia: modo ne temere adhibeatur Aristophanes, testis Atticorum eo tempore voluntatis. Is certe non alia de causa gravius in Euripidem invehitur, quam quod afflictis Heroibus ac Reginis sordes ille nescio quas soleat tribuere, tum vestium tum verborum [q]:

> πρῶτον μὲν τοὺς βασιλεύοντας ῥάκι' ἀμπίσχων, ἵν' ἐλεεινοὶ
> τοῖς ἀνθρώποις φαίνωντ' εἶναι. . . . . .
> εἶτ' αὖ λαλιὰν ἐπιτηδεῦσαι καὶ στωμυλίαν ἐδίδαξας.

[o] *Androm.* 207. [p] *Odyss.* 17. 322. [q] *Ran.* 1095...1101.

Nimirum facilius videtur Euripides non tantum ore, quod vocant, rotundo, verum etiam diviniore mente caruisse, quam pateretur quidquam deminui de simplice illa et nuda rerum veritate: adeo ut de universa ejus poesi non male fortasse dicat aliquis, id quod ab ipso excusatum fuisse aiunt de fœminarum quas in scenam miserit indole: se, quales essent re ac veritate, posuisse; Sophoclem, quales esse deberent.

Porro ad eandem illam ἀφελείαν pertinebit Euripidis nostri cura, quam eximiam sæpius præstat in iis adumbrandis, quibus potissimum continetur pauperum, famulorum, immo servorum conditio. Non sine voluptate quadam significare solet, se cum isto genere majorem in modum sentire posse. Famula videlicet Andromaches, attendite, obsecro, quo demum animo propter eam periculum adeat. Renuerat primo, servili plane usa ratione [r]:

> κίνδυνος· Ἑρμιόνη γὰρ οὐ σμικρὰ φύλαξ.

Admovet deinde stimulos Andromache:

> ὁρᾷς· ἀπαυδᾷς ἐν κακοῖς φίλοισι σοῖς;

Tum demum illa, ingenue prorsus:

> οὐ δῆτα· μηδὲν τοῦτ' ὀνειδίσῃς ἐμοί.

Ita tamen, ut nonnihil addat, quod servilem sapiat indolem:

> ἀλλ' εἶμ', ἐπεί τοι κοὐ περίβλεπτος βίος
> δουλῆς γυναικὸς, ἤν τι καὶ πάθω κακόν.

Ecquis nostrum non semel iterumque audivit, cum tales inter se querelas jactarent inopes et inquieti homines?

Quid, quæ satis audacter efferuntur a Thesei servo de Hippolyto moriente? nonne et libertatem quan-

[r] *And.* 86.

dam et significationem habent servitii, mirifice expressam ad exemplar ejusmodi hominum [s]?

> *δοῦλος μὲν οὖν ἔγωγε σῶν δόμων, ἄναξ·*
> *ἄταρ τοσοῦτόν γ' οὐ δυνήσομαί ποτε*
> *τὸν σὸν πιθέσθαι παῖδ', ὅπως ἐστὶν κακός.*
> *οὐδ' εἰ γυναικῶν πᾶν κρεμασθείη γένος,*
> *καὶ τὴν ἐν Ἴδῃ γραμμάτων πλήσειέ τις*
> *πεύκην· ἐπεί μιν ἐσθλὸν ὄντ' ἐπίσταμαι.*

Cum autem in hodierno sermone Shaksperi nostri mentio non semel inciderit, quærere libet an ex hac potissimum parte habeat ille cum Euripide commune quoddam cognationis vinculum: ex hac parte, inquam, quod versatur uterque lubens in eorum rebus animisque, qui infima sunt conditione et fortuna. Hoc interest, quod Ille noster, quoties id erat in mente, potuit assurgere in altiora quælibet: Euripidi, si nos modo recte divinavimus ejus mentem, non alia præter hanc propria sorte obvenit provincia; nempe ut in iis dominetur animorum motibus, qui natura communes sunt omnium sive hominum sive fortunarum. Apud eum loquuntur non tam Medea, Alcestis, Iphigenia, cæteræ, quam mater quævis, uxor, filia; modo vehementius quamque commoveri intelligas, sed eo tamen affectu, quem norunt universi, qui liberos, conjugem, parentes amore prosequuntur. Neque enim dulcissima illa, quibus Medea valedicit pueris suis, quorum ipsa jamjam exitio imminet, quidquam sapiunt, quod proprie pertineat sive ad Colchidem sive ad magam, sive ad atrocem ipsius indolem: maternos tantum, opinor, amores spirant, ac tenerrimos quidem [t]:

> *παῖδας προσειπεῖν βούλομαι· δότ', ὦ τέκνα,*
> *δότ' ἀσπάσασθαι μητρὶ δεξίαν χερά·*
> *ὦ φιλτάτη χεὶρ, φιλτάτον δέ μοι κάρα,*

[s] *Hippol.* 1263. [t] *Med.* 1065.

καὶ σχῆμα, καὶ προσῶπον εὐγενὲς τέκνων,
εὐδαιμονοῖτον· ἀλλ' ἐκεῖ· τὰ δ' ἔνθαδε
πατὴρ ἀφείλετ'· ὦ γλυκεῖα προσβολὴ,
ὦ μαλθακὸς χρὼς, πνεῦμά θ' ἥδιστον τέκνων,
χωρεῖτε, χωρεῖτ'· οὐκέτ' εἰμὶ προσβλέπειν
οἵα τ' ἐς ὑμᾶς· ἀλλὰ νικῶμαι κακοῖς.

Neque vero quidquam habet flebilis Admeti oratio, modo conjuge orbati, quod non pari jure canere possit quisquis ullo tempore superstes uxoris erit maritus [u].

πῶς γὰρ δόμων τῶνδ' εἰσόδους ἀνέξομαι;
τίν' ἂν προσείπων, τοῦ δὲ προσρηθεὶς ὕπο,
τερπνῆς τύχοιμ' ἂν εἰσόδου; ποῖ τρέψομαι;
ἡ μὲν γὰρ ἔνδον ἐξολεῖ μ' ἐρημία,
γυναικὸς εὐνὰς εὖτ' ἂν εἰσίδω κενὰς,
θρόνους τ' ἐν οἷσιν ἷζε, καὶ κατὰ στεγὰς
αὐχμηρὸν οὖδας· τέκνα δ', ἀμφὶ γούνασι
πίπτοντα, κλαίῃ μητέρ'· οἱ δὲ δέσποτιν
στένωσιν, οἵαν ἐκ δόμων ἀπώλεσαν.

Suavissima hæc; quis neget? atque eo fortasse suaviora, quod nemini non paullo seniori sexcenta jam vel paria vel certe similia incurrerint in oculos. Denique Iphigenia illa Aulidensis, tenerrimo colloquio, ecquid aliud habet, atque ea quæ cuivis convenirent filia, patrem longo post tempore visum salutanti [x]?

ὦ μῆτερ, ὑποδραμοῦσα, γ' (ὀργισθῇς δὲ μὴ),
πρὸς στέρνα πατρὸς στέρνα τἀμὰ περιβαλῶ;
. . . . ἐγὼ δὲ βούλομαι τὰ σὰ στέρν', ὦ πάτερ,
ὑποδραμοῦσα προσβαλεῖν διὰ χρόνου,
ποθῶ γὰρ ὄμμα δὴ σόν· ὀργισθῇς δὲ μή.
ΑΓ. ἀλλ', ὦ τέκνον, χρῶ· φιλοπάτωρ δ' ἀεί ποτ' εἶ
μάλιστα παίδων τῶνδ', ὅσους ἐγὼ 'τέκον.
Ι. ὦ πατὲρ, ἐσεῖδόν σ' ἀσμένη πολλῷ χρόνῳ. . . .
χαῖρ'· εὖ δέ μ' ἀγάγων πρός σ' ἐποίησας, πάτερ.
Α. οὐκ οἶδ' ὅπως φῶ τοῦτο καὶ μὴ φῶ, τέκνον.
Ι. ἔα. ὡς οὐ βλέπεις μ' εὔκηλον, ἄσμενός μ' ἰδών·
Α. 'πόλλ' ἀνδρὶ βασιλεῖ καὶ στρατηλάτῃ μέλει.
Ι. παρ' ἐμοὶ γενοῦ νῦν· μὴ 'πὶ φροντίδας τρέπου.

[u] *Alc.* 962. [x] *Iph. in Aul.* 634.

Et plura quidem eodem modo: quorum omnem vim quivis intelligat in eo præcipue poni, ut ipsa pietatis significatio, notis quasi formulis facta, gravius pungat et cruciet animum Agamemnonis, alia jam meditantis omnia, quam quæ patrem amatum deceant.

Ex his, id quod dicebam, efficimus, Euripidis provinciam domesticis maxime rebus contineri, atque ea caritate, qua tuetur quisque cognatos et affines suos: siquidem assensu ferme omnium summa ejus causæ consistit in Medea, Alcestide, Iphigenia, cæteris ejusmodi.

Jam quoniam venimus ad Iphigeniam Aulidensem, quæramus paulisper quid fuerit, quod adeo sibi dispar visa sit ejus persona, Aristotele quidem judice[y]: qui ab ea sumi voluit specimen *ἤθους*, ut ipse ait, *ἀνωμάλου· οὐδὲν γὰρ*, inquit, *ἔοικεν ἡ ἱκετεύουσα τῇ ὑστέρᾳ.* Quid ita? Quoniam, credo, quæ fuit initio tenerior;—neque enim religioni habuit, deprecari a se mortem cum lacrymis et muliebri gemitu;—eadem postea mactandam se aris devovet alacris et læta, nedum voluntaria; Achillis certum, invictumque auxilium a se constantissime avertit: cum tamen consilii tam subito mutati nulla ferme appareat ratio; nulla amicorum argumenta, nulla fortunæ conversio, nihil non dico delatum de cælo machina, cujusmodi multa tali nodo habet Euripides, sed ne divinitus quidem in corda immissum. Audite vero[z]:

οἷα δ' εἰσῆλθέν μ', ἄκουσον, μῆτερ, ἐννοουμένην·
κατθανεῖν μέν μοι δέδοκται· τοῦτο δ' αὐτὸ βούλομαι
εὐκλεῶς πρᾶξαι, παρεῖσά γ' ἐκπόδων τὸ δυσγενές.
δεῦρο δή, σκέψαι μεθ' ἡμῶν, μῆτερ, ὡς καλῶς λέγω·
εἰς ἔμ' Ἕλλας ἡ μεγίστη πᾶσα νῦν ἀποβλέπει·
κἀν ἐμοὶ πορθμός τε ναῶν, καὶ Φρυγῶν κατασκαφαί,
τάς τε μελλούσας γυναῖκας, ἤν τι δρῶσι βάρβαροι,
. . . ταῦτα πάντα κατθανοῦσα ῥύσομαι· καί μου κλέος,

[y] *Poet.* c. 28.

[z] *Iph. in Aul.* 1385.

Ἑλλάδ' ὡς ἠλευθέρωσα, μακαρίον γενήσεται.
καὶ γὰρ οὐδέ τοι λίαν γέ μοι φιλοψυχεῖν χρεών·
πᾶσι γάρ μ' Ἕλλησι κοινόν μ' ἔτεκες, οὐχὶ σοὶ μόνῃ.
ἀλλὰ μυρίοι μὲν ἄνδρες ἀσπίσιν πεφραγμένοι,
μύριοι δ' ἐρέτμ' ἔχοντες, πατρίδος ἠδικημένης,
δρᾶν τι τολμήσουσιν ἐχθρούς, χὐπὲρ Ἑλλάδος θανεῖν,
ἡ δ' ἐμὴ ψυχὴ μί' οὖσα, πάντα κωλύσει τάδε;
. . . . ἀλλ' ἀμήχανον· δίδωμι σῶμα τοὐμὸν Ἑλλάδι.
θύετ', ἐκπορθεῖτε Τροίαν· ταῦτα γὰρ μνημεῖά μου
διὰ μακροῦ, καὶ παῖδες οὗτοι, καὶ γάμοι, καὶ δοξ' ἐμή.

Atque in hisce exscribendis eo sum longior, quoniam, ut mihi quidem videtur, ipsa præ se excusationem ferunt suam, et mutati consilii crimen vertunt in laudem non minimam. Nam quidni fieri potuisse judicemus, ut in re tam arcta, tam gravi, tam præsenti Deorum immortalium Numine, ultro venirent illa omnia in mentem ingenuæ virgini? præsertim quæ ne antea quidem satis ex animi sui sententia flebile illud et abjectum (pace ejus dicam) cecinisse videatur. Quippe ita conjectura equidem auguror, cum iterum iterumque relego suavissimam ejus oratiunculam [a].

εἰ μὲν τὸν Ὀρφέως εἶχον, ὦ πάτερ, λόγον
πείθειν ἐπᾴδουσ', ὥσθ' ὁμαρτεῖν μοι πέτρας,
ἐνταῦθ' ἂν ἦλθον· νῦν δὲ, τἀπ' ἐμοῦ σοφὰ
δάκρυα παρέξω· ταῦτα γὰρ δυναίμεθ' ἄν.

Ut sint elegantissimi versus, vereor tamen, ne sapiant aliquod de rhetoris officina; qua arte primis ab annis imbutum fuisse aiunt Euripidem. Poterat utique puella nobilis ejusmodi procemium non male adhibere: si modo recte suspicamur eam non sponte loqui, sed tanquam a matre edoctam. Deinde cursu ipso, ut fit, atque impetu sermonis sui cito calescens, prorumpit in illa, Naturæ verique propiora [b]:

πρώτη σ' ἐκάλεσα πατέρα, καὶ σὺ παῖδ' ἐμέ·
πρώτη δὲ, γονάσι σοῖσι σῶμα δοῦσ' ἐμὸν,

[a] *Iph. in Aul.* 1222.   [b] *Ibid.* 1231.

φίλας χαρίτας ἔδωκα κἀντεδεξάμην.
λόγος δ' ὁ μὲν σὸς ἦν ὅδ'· ἆρά σ', ὦ τέκνον,
εὐδαίμονος ἀνδρὸς ἐν δόμοισιν ὄψομαι
ζῶσάν τε καὶ θάλλουσαν ἀξίως ἐμοῦ;
οὑμὸς δ' ὅδ' ἦν αὖ, περὶ σὸν ἐξαρτωμένης
γένειον, οὗ νῦν ἀντιλαζύμαι χερί·
τί δ' ἆρ' ἐγώ σε πρέσβυν; ἆρ' εἰσδέξομαι
ἐμῶν φίλαισιν ὑποδοχαῖς δόμων, πάτερ,
πόνων τιθηνοὺς ἀποδιδοῦσά σοι τροφάς;
τούτων ἐγὼ μὲν τῶν λόγων μνημὴν ἔχω,
σὺ δ' ἐπιλέλησαι, καί μ' ἀποκτεῖναι θέλεις.

Sed quid tandem fiet ista clausula?

ἓν συντεμοῦσα πάντα νικήσω λόγον·
τὸ φῶς τόδ' ἀνθρώποισιν ἥδιστον βλέπειν·
τὰ νέρθε δ' οὐδέν· μαίνεται δ' ὃς εὔχεται
θανεῖν· κακῶς ζῆν κρεῖσσον ἢ θανεῖν καλῶς.

Nimis hoc quidem frigide et inepte: nisi vero, quod modo ominabar, putamus Iphigeniam partes agere non suas, neque adeo certo scire, quid quoque tempore a se dici oporteat.

Verum enimvero, ut concedamus, non bene convenire extrema ejus cum initiis; num re ac veritate semper sibi consentiunt homines? Nonne minimis sæpe momentis huc illuc impelluntur animi, maximis in rebus? Cum autem noluerit Euripides addicere se eorum sectæ, qui personas primorum partium efferri jubent ultra humanum modum, credibile sane, consulto eum fecisse, ut Iphigenia quoque sua varia esset et mutabilis. Profecto non alia magis via tuebatur id, quo nihil habebat antiquius, formam videlicet ipsam faciemque rerum atque hominum, quales inter quotidie versamur omnes. Hermiones ejus in Andromache non prorsus eadem est ratio: leviculæ scilicet mulieris, quæque primo in scenam missa significaverit, capi se posse gemmarum et vestium nitore [c]:

κόσμον μὲν ἀμφὶ κρατὶ χρυσέας χλιδῆς

[c] *Andr.* 147.

στολμόν τε χρωτὸς τόνδε ποικίλων πέπλων
οὐ τῶν Ἀχιλλέως, οὐδὲ Πηλέως ἀπὸ
δόμων ἀπαρχάς, δεῦρ' ἔχουσ' ἀφικόμην,
ἀλλ' ἐκ Λακαίνης Σπαρτιατίδος χθονὸς
Μενέλαος ἡμῖν ταῦτα δωρεῖται πατὴρ
πολλοῖς σὺν ἕδνοις, ὥστ' ἐλευθεροστομεῖν.

Verum et illius subita pœnitentia, cum magna pars sit ejus fabulæ, non caret sua vi, fontes indagantibus Euripideæ poeseos. Quod idem etiam dici potest de geminis in Iphigenia Aulidensi Atridis, et si quid aliud ejusmodi habet scriptor. Complura significationem habent minime dubiam, versari eum volentem in modico vitæ curriculo, atque in iis rebus, quibus maxima pars hominum tangitur: privatis dico ac domesticis. Unum illum locum fortasse excipias, qui ad religiones pertinet; quo in genere ecquod habeat privatum et præcipuum Euripides, pro viribus expediam, cum pauca prius addidero, huc spectantia, ut eum evincant non adeo inique de genere fœmineo cogitasse. Nam ex ea parte quidam invidiosius eum criminantur.

Primo autem, quis non miretur, qui poeta viguerit potissimum in re domestica, atque in communibus studiis, curisque, eundem penitus odisse id genus, ex quo maxime pendeat omnis illa conditio et ratio vivendi? Deinde, qui illam didicere cantilenam, volo paullo propius ipsius Tragœdias inspiciant, immo cum Sophocleis conferant. Et quo certiores intra fines contineatur oratio, faciamus periculum in ea persona, qua plenissime probat Sophocles ex hac parte causam suam. Comparemus Antigonam ejus cum eadem Antigona, qualem in Phœnissis suis induxit Euripides. Percellit ille quidem vehementius robore et magnitudine animi; at suavius multo commovet hæc, dulcissimam illam fratris caritatem ita præ se

ferens, ut magis significare quam demonstrare videatur. Plane mirificum est in hac re colloquium regiæ virginis cum famulo sene habitum, prospectis procul e specula Argivorum agminibus: quæ primo quidem, ut puella, capitur ipso fulgore armorum [d]:

> ἰὼ πότνια παῖ Λατοῦς
> Ἑκάτα, κατάχαλκον ἅπαν
> πέδιον ἀστράπτει.

Deinde muliebriter miratur, an omnia sint clausa.

> ἆρα πύλαι κλείθροις,
> χαλκόδετά τ' ἔμβολα
> λαϊνέοις Ἀμφιόνος ὀργάνοις
> τείχεος ἥρμοσται;

Denique post multa quæsita et audita, qualia necesse est veniant in mentem delicatæ virgini tali tempore, injicit subito mentionem fratris [e]:

> ποῦ ποῦ δ' ὃς ἐμοὶ
> μιᾶς ἐγένετ' ἐκ ματέρος
> πολυπόνῳ μοίρᾳ,
> ὦ φίλτατ', εἰπέ, ποῦ 'στι Πολυνείκης, γέρον;

Monstratum autem vix et ne vix quidem agnoscit; more eorum quorum oculi procul quærunt carissimos longo post tempore:

> ὁρᾷς; Α. ὁρῶ δῆτ' οὐ σαφῶς, ὁρῶ δέ πως
> μορφῆς τύπωμα, στέρνα τ' ἐξῃκασμένα.

Postremo erumpit in mollissimum carmen:

> ἀνεμώκεος εἴθε δρόμον νεφέλας
> ποσὶν ἐξανύσαιμι δι' αἰθέρος
> πρὸς ἐμὸν ὁμογενέτορα·
> περὶ δ' ὠλένας δέρᾳ φιλτάτᾳ
> βάλοιμι, χρόνῳ φυγάδα μέλεον.

Ne hic quidem sibi temperare potest ab amore splendoris plane fœmineo.

> ὡς ὅπλοισι χρυσέοισιν εὐπρεπής, γέρον,
> ἑῴαις ὅμοια φλεγέθων
> βολαῖσιν ἀελίου.

[d] *Phœn.* 107. [e] *Ibid.* 157.

Deinde altum de ea silentium, usque eo dum prodeat a matre evocata, fratribus modo in fatale certamen accinctis. Quo tempore servat etiamnum virginale illud suum, ut religioni habeat foras e thalamo exire, præsertim media virorum acie [f].

οἲ ἐγὼ, τί λέξεις, μῆτερ; I. οὐ φίλ', ἀλλ' ἔπου.
A. ποῖ, παρθενῶνας ἐκλιποῦσ'; I. ἀνὰ στρατόν.
A. αἰδούμεθ' ὄχλον. I. οὐκ ἐν αἰσχύνῃ τὰ σά.
A. δράσω δὲ δὴ τί; I. συγγόνων λύσεις ἔριν.
A. τί δρῶσα, μῆτερ; I. προσπιτνοῦσ' ἐμοῦ μέτα.
A. ἡγοῦ σὺ πρὸς μεταίχμι'· οὐ μελλητέον.

Habetis fortem, habetis patientem; ita tamen ut per omnia fœmineum nescio quid appareat. Unum illud addam, et eximium quidem; quod in exilium abitura cum cœco patre, deprecante illo, ne tam subito notas ea linquat regiones et cœtus amicorum, nedum sacra Deorum Indigetum loca [g];—

ἴθ' ἀλλὰ Βρόμιος ἵνα γε σηκὸς
ἄβατος ὄρεσι Μαινάδων·—

filia statim, memoria pueritiæ quasi de cælo tacta, exclamet,

Καδμείαν ᾧ
νεβρίδα στολιδωσαμένα ποτ' ἐγὼ
θιάσον Σεμέλας
ἵερον ὄρεσιν ἀνεχόρευσα,
χάριν ἀχάριστον εἰς θεοὺς διδοῦσα.

Atque ita demum, cum Œdipode, de scena discedit, dux et comes ei futura: quam si vel solam adhibeat sibi testem Euripides, habebit profecto quo se declaret non penitus iniquum et infensum erga mulieres.

Quare missas facio Iphigeniam, Alcestida, cæteras, quæ plures in hanc partem adduci possint; de una Polyxena pauca verba facturus: propterea quod vereor ut Euripides in ea persona satis apte re-

[f] *Phœn.* 1289. [g] *Ibid.* 1765.

spondere videatur sententiæ nostræ de genere ejus universo. Quippe ita fere statuimus; regnare in illius Poesi affectus illos qui omnibus sunt familiares, nulla admodum ratione habita eorum qui optimates vocantur, nulla status, ut ita dicam, heroici: rem quamque exigi ad regulam quotidianæ hujus vitæ, sensusque communis. Sed Polyxena illa, si quæ alia, videtur in majus assurgere[h]:

> ὦ τὴν ἐμὴν πέρσαντες Ἀργεῖοι πόλιν,
> ἑκοῦσα θνήσκω· μή τις ἅψηται χροὸς
> τοῦ 'μοῦ· παρέξω γὰρ δέρην εὐκαρδίως·
> ἐλευθέραν δέ μ', ὡς ἐλευθέρα θάνω,
> πρὸς θεῶν, μεθέντες, κτείνατ'· ἐν νέκροισι γὰρ
> δουλὴ κεκλῆσθαι, βασιλὶς οὖσ', αἰσχύνομαι.

Splendide sane: verum causam, quæso, attendite. Nimirum eadem antea docuerat, ideo se velle mori, quoniam vivendi non erat læta conditio[i]:

> οὔτ' ἐλπίδος γὰρ, οὔτε του δόξης ὁρῶ
> θάρσος παρ' ἡμῖν, ὥς ποτ' εὖ πρᾶξαί με χρή.

Probabilem sane habetis causam, sed non adeo præclaram ac divinam.

Animadvertendum porro, Polyxenam de industria proponi, exemplar et specimen heroicæ illius familiæ. Nam his eam commendat Chorus[k]:

> δεινὸς χαρακτὴρ, κἀπίσημος ἐν βροτοῖς,
> ἐσθλῶν γενέσθαι, κἀπὶ μεῖζον ἔρχεται
> τῆς εὐγενείας ὄνομα τοῖσιν ἀξίοις.

Rarius autem solent Poetæ quas quisque adamaverit res disertis adeo verbis laudare: sentias tantum ubique adesse quod per totam manet indolem, totum hominem sapore quodam inficiat, vix tamen usquam aperte monstrari possit. Redibit itaque res, unde abiit; neque propter Polyxenam abroganda erit for-

[h] *Hec.* 547. [i] *Ibid.* 370. [k] *Ibid.* 379.

mula semel a nobis sancita de summa Euripideæ Poeseos.

Sed qua tandem is ratione fecit, ut inveteraret illa opinio, prosecutum eum fuisse genus omne fœmineum odio quodam, ne dicam immani feritate? Primo, quis nescit reperiri in Tragicis ejus multa Comœdiæ pæne propiora, quibus exagitantur domesticæ vita mala, sermonibus, ut assolet, asperioribus; quos si quis ex vi sola verborum interpretari velit, nulla εἰρωνείας, quam vocant, ratione habita, næ is parum se scire indicabit in literarum hominumque commercio. Verbi gratia (nam libet exscribere, quæ prima librum evolventi occurrunt) Hermiones hæc sunt in Andromache[1].

> ἀλλ' οὔποτ', οὔποτ', οὐ γὰρ εἰσάπαξ ἐρῶ,
> χρὴ τούς γε νοῦν ἔχοντας, οἷς ἔστιν γυνή,
> πρὸς τὴν ἐν οἴκοις ἄλοχον εἰσφοιτᾶν ἐᾶν
> γυναῖκας· αὗται γὰρ διδάσκαλοι κακῶν.

Quis non intelligit ejusmodi querimonias ex ejus, qui forte loquitur, conditione, animo, moribus æstimari debere? Atque hoc late patet.

Præterea (dicam enim audacius quod mihi in mentem venit) quid si Euripides ea fuerit indole, ut in hac præsertim re luserit libentius, eaque quam dicimus usus sit ironia? Nempe, quantum ego conjectura consequor, fuit ille severioris vitæ si non amans at ex animo certe laudator; quippe alumnus philosophorum optimæ notæ, Anaxagoræ et Prodici. Athleticam quoque, ut aiunt, puer cum esset, didicerat; et fortasse habent carmina ejus significationem nonnullam ejusmodi peritiæ: velut ubi curiosius exsequitur ultimum illud filiorum Œdipodis certa-

[1] 945. cf. *Med.* 408.

men[m]. Jam norunt omnes, gymnasium extitisse quendam quasi ludum parcitatis et castimoniæ.

> Multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit,
> Abstinuit Venere et vino.

Fuit porro idem, quod nemo negaverit, elegantissimus humanæ vitæ, domesticæ præsertim ac familiaris, spectator. Jam, qui hac diligentia cumulare velit illam philosophiam, mirum ni is rigidior paullo hominum vitæque censor evadat. Hanc severitatem, qui sunt acutiore judicio, mitigare solent ironia quadam, cujus innumeræ sunt formæ, mirumque in modum inter se dissimiles: quarum in numero quid vetat haberi siquid insolentius in fœminas jactaverit Euripides?

Sed quærat aliquis, ecquam tandem significationem ipse dederit, volentem se fore asseclam durioris disciplinæ, vitæque, quam recens vocavit ætas, Asceticæ? Dedit, et uberrimam quidem; si modo nos a vi atque indole ejus Hippolyti non plane aberramus. Hunc eximio quodam amore, ni fallor, prosequitur Euripides: placet sibi in ejus persona, velut in Achille Homerus, aut in Venere sua Apelles. Nam ut pictores, ita Poetæ vel inscii facilius quodammodo quid velint expediunt, cum eas attigerint partes operis sui, quas ipsi in deliciis habent: fruuntur illico tactu magis subtili; manum felicius, pro re nata, seu cohibent sive adhibent. Consideretis velim an tale aliquid habeat primus Hippolyti in scenam introitus, et castissima illa Dianæ religio[n].

> *σοὶ τόνδε πλεκτὸν στέφανον ἐξ ἀκηράτου*
> *λειμῶνος, ὦ δέσποινα, κοσμήσας φέρω,*
> *ἔνθ' οὔτε ποίμην ἀξιοῖ φέρβειν βοτὰ,*
> *οὐδ' ἦλθέ πω σίδηρος, ἀλλ' ἀκήρατον*
> *μέλισσα λειμῶν' ἠρινὸν διέρχεται,*
> *ἔως δὲ ποταμίαισι κηπεύει δρόσοις.*

[m] *Phœn.* 1392 &c. [n] *Hipp.* 73.

Deinde significat, pertinere illa sacra ad integros solos atque incorruptos; pœnitentes non bene admitti.

> ὅσοις διδακτὸν μηδὲν, ἀλλ' ἐν τῇ φύσει
> τὸ σωφρονεῖν εἴληχεν εἰς τὰ πάντ' ἀεὶ,
> τούτοις δρέπεσθαι, τοῖς κάκοισι δ' οὐ θέμις.

Quæ autem proxime sequuntur, nescio equidem, qua dicam esse ab origine, tam sunt gravia, pudica, pia; tam non penitus absunt a Sanctissimæ Vocis majestate.

> ἀλλ' ὦ φίλη δέσποινα, χρυσέας κόμης
> ἀνάδημα δέξαι, χειρὸς εὐσεβοῦς ἄπο·
> μόνῳ γάρ ἐστι τοῦτ' ἐμοὶ γέρας βροτῶν·
> σοὶ καὶ σύνειμι, καὶ λόγοις ἀμείβομαι,
> κλύων μὲν αὐδὴν, ὄμμα δ' οὐχ ὁρῶν τὸ σόν·
> τέλος δὲ κάμψαιμ', ὥσπερ ἠρξάμην, βίου.

Videtur (quod religiose dictum velim) quasi de longinquo illud vere divinum adumbrare, MUNDOS CORDE VIDERE DEUM. Unde et illa censetis, omni Academo graviora, quibus increpat turpia meditantes[o]?

> ὦ κακὸν κάρα,
> λέκτρων ἀθίκτων ἦλθες εἰς συναλλαγάς·
> ἁ 'γὼ ῥυτοῖς νασμοῖσιν ἐξομόρξομαι,
> εἰς ὦτα κλύζων· πῶς ἂν οὖν εἴην κακὸς,
> ὃς οὐδ' ἀκούσας τοιάδ' ἁγνεύειν δοκῶ;

Etiam illud, ut in homine Græco, satis severum:

> οὐδὲ ταῦτα γὰρ σκοπεῖν
> πρόθυμος εἰμι, π ά ρ θ ε ν ο ν ψ υ χ ὴ ν ἔ χ ω ν.

Quid quod in extremis illis angoribus, animam modo jam acturus, non alia re magis recreatur, quam obscura quadam castissimi Numinis præsentia[p]?

> ὦ θεῖον ὀδμῆς πνεῦμα· καὶ γὰρ ἐν κακοῖς
> ὢν ᾐσθόμην σου, κἀνακουφίσθην δέμας·
> ἔστ' ἐν τόποισι τοῖσδέ γ' Ἄρτεμις θεά.

[o] *Hipp.* 656. [p] *Ibid.* 1407.

Porro qui Hippolytum vel amice admonent, vel, ut iratus pater, onerant conviciis, videte an utrique in iisdem versentur locis, quibus hodie quoque vexantur qui pietatem severiorem colunt. Principio, prudens venit famulus [q]:

οἶσθ' οὖν βροτοῖσιν ὃς καθέστηκεν νόμος;
μισεῖν τὸ σεμνὸν, καὶ τὸ μὴ πᾶσιν φίλον.

Mox ab infenso Theseo jactatur et illud opprobrii loco, jejuniis uti eum religionis ergo [r].

σὺ δὴ θεοῖσιν, ὡς περισσὸς ὢν ἀνήρ,
ξύνει; σὺ σώφρων καὶ κακῶν ἀκήρατος;....
ἤδη νυν αὔχει, καὶ δι' ἀψύχου βορᾶς
σίτοις καπήλευ'· Ὀρφέα τ' ἄνακτ' ἔχων
βάκχευε, πολλῶν γραμμάτων τιμῶν καπνούς·
ἐπεί γ' ἐλήφθης.

Jam ne putetis Hippolytum proponi in exemplar præposteræ cujusdam indolis ac plane vitandæ, videte quo quasi melle scriptor austerum ἦθος condierit. Quis pietate in patrem gravior [s]?

οὐ μὴν φίλους γε, κἀτὶ μᾶλλον ἢ φίλους
κρύπτειν δίκαιον σὰς, πάτερ, δυσπραξίας.

Theseo denique vel moribundus non modo non exprobrat injurias, verum etiam magis commovetur ejus dolore, quam suo corpore male mulcato [t].

ᾤμωξα τοίνυν καὶ πατρὸς δυσπραξίας.
A. *ἐξηπατήθη δαίμονος βουλεύμασιν.*
I. *ὦ δυστάλας σὺ τῆσδε συμφορᾶς, πατέρ·*
στένω σε μᾶλλον ἢ με, τῆς ἁμαρτίας.

Porro autem ut in Hippolyto castimoniæ, sic in Ione laudes canuntur solitudinis ejus ac recessus, quo frui solent, qui perpetuo versantur in templis sacrosanctis atque in re divina, siquidem pii sanctique sunt homines. Primo mane accingit se juvenis

q *Hipp.* 91. r *Ibid.* 961. s *Ibid.* 972. t *Ibid.* 1422.

lætus lubensque religioso operi; lauros parat in serta; terret sonitu importunas aves; verrit pavimentum delubri; aquas spargit; Pæana canit; tum his adeo delectatur officiis, ut neget se mutare ea velle cum regiis opibus, et lautissima Athenarum urbe [n];

κρείσσω νομίζω τἄνθαδ' ἢ τἄκει, πάτερ.

Denique in Bacchis id agere videtur Euripides, ut commendet arcanum illud, cujus tantæ sunt partes in omni re divina; nihil in religionibus ideo contemnendum doceat, quod scilicet obscurior sit ejus ratio, neque facile se probet humanis hisce sensibus.

Ac vellem equidem, ut in Hippolyto, sic in Ione et Bacchis, liceret per tempus hæc omnia docere exemplis. Nunc satis habebam semel dicta tradere ac commendare vobis, ut esset unde periculum faceret aliquis universæ hujus de Euripide sententiæ. Quæ si non prorsus nihili esse videbitur, illius certe Poeta criminis absolvetur, quo gravissimo dicebam eum quorundam judicio laborare. Non reus erit læsi numinis. Intelligemus plane, si quid liberius in ea materia dixisse aliquando videatur, id partim ex persona quadam dici, partim, Platonico ferme ritu, de impiis vulgi commentis. Fabulas sane istas de turpi Deorum libidine, de cœco in homines furore, de æmulis inter se odiis, ita sæpe perstringit, quasi ea non tam fingi putet, quam re aliquando ac veritate a nefariis quibusdam geniis patrari. Ea potissimum, ni fallor, est ratio tum Veneris in Hippolyto, tum fortasse Apollinis in Ione.

Ad summam itaque, adscribetur Euripides eorum Poetarum concilio, qui ex proprio quasi fonte,

[n] *Ion.* 657.

quid canerent, hauserunt: propterea quod affectus omnium communes ita suscipit ac tuetur, ut significet se cum amore quodam præcipuo prosequi ac fovere eorum vitam, qui Deorum cum sint famuli, divinis vacandum esse putant officiis, voluptates spernendas, negotia minuenda.

PRÆLECTIO TRIGESIMA.

De Poetis ruris amantibus; venisse id genus post eos, qui in actione regnaverunt; Græciæ, magnam partem, defuisse. Expenduntur earum rerum rationes: confirmantur e literis tum Hebraicis, tum Christianis: docetur, singula suo tempore genera Poeseos, gubernante Deo, viguisse.

VENIO nunc ad ruris amatores: nam eo potissimum nomine appellare placet magnam illam alteram Poetarum quasi familiam, quorum opera poni solet non in rebus gerendis atque in fortunis hominum, sed in fluminibus, sed in sylvis, sed in saxis et solitudinibus, sed in ferarum lustris atque avium: verbo dicam, in omni illa varietate, qua pinxit Natura terrarum ac cæli faciem. Non quo existimem, duo hæc genera notis adeo certis ac constantibus definiri posse et distingui, ut statim agnoscat aliquis, et velut ex edicto pronunciet, utri potius scriptorum ordini hic vel ille adscribendus sit. Accuratam adeo finitionem vix et ne vix quidem humanarum rerum ratio patitur. Ut enim in vita et moribus, ita in Poesi quoque, mirifice quodammodo inter se misceri sentimus hinc indolem cujusque et fortunarum habitum, illinc externa quæ vocantur; cæli temperiem,

locorum situm, apparatum hunc omnem tot tam diversarum rerum, quibus Natura vel aures vel oculos ferit. Miscentur, inquam, inter se hæc duo genera: ut in nemine vel Poeta vel homine quidem facile admodum fiat judicium, qua se quisque tenus vel huic vel illi familiæ addixerit. Veruntamen minime desunt limites quidam, ut in tali re, satis manifesti: quorum opera etsi non singuli scriptores, at genera tamen scriptorum inter se non incommode discerni possint.

Primum, quod his otiosi et umbratiles animi, illis plerumque annumerandi sint strenui rebusque agendis apti. Ut utar exemplo vel pueris bene cognito; componamus paulisper Virgilium cum Homero. Ecquis non statim videat hunc laboriosis, illum tranquillis addici debere, naturæ ipsius suffragio? Uterque vitam sub dio agere amat; sed alter trepidis, alter quietis in rebus.

Deinde illud dictum velim;—quod quidem satis per se patet omnibus leviter modo et raptim intuentibus harum literarum, ut ita dicam, annales;—omni ferme in gente viguisse principio strenuum illud ac laboriosum, motuque et actione plenum genus; succrevisse postea, velut serotina quadam semente, quibus "rura placuerint riguique in vallibus amnes;" qui "flumina sylvasque amaverint," otiosi et "inglorii." Inspiciantur universæ, quas quidem extare novimus, incultarum regionum in hoc genere reliquiæ. Præbebunt, nisi fallor, ad unam omnes eandem quasi seriem orbemque rei poeticæ. Primo, nullis ambagibus omnes vel amorem vel militiam canunt, vel aliquid quod ad mores actusque hominum plane pertineat. Non nisi secundis, quod aiunt, curis, venit in ora laus quietæ et rusticæ vitæ, tantæque hujus va-

rietatis earum rerum quas oculis undequaque conspicimus.

Atque ego hoc tempore de causis minime laboro; modo considerent velim homines, res ita se habeat, necne. Illud certe egregium habemus exemplum, quod e vetere Græcia nemo, quod sciam, Poeta prodiit, qui in Naturæ deliciis præcipuam operam posuisse videatur. Uno alteroque sæculo serius venit in lucem Pastoralis, quam vocant, Poetica; quæ primordia quidem Siciliæ, Romanis incrementa debet formamque absolutam: siquidem in illo numero non male reponat aliquis Virgilii Georgica, Musarum ac mundi delicias.

Verum intelligo, hoc loco magnopere nobis cavendum fore, ne in nostram nosmet ipsi sententiam gravius aliquid admittere videamur. "Quid enim?" dicat aliquis: "tene tanquam ex edicto negasse, legitimam Poesin esse ullam, nisi quæ plena quasi mente abundet, effluatque; deinde tam amplam illi arti tribuisse provinciam, ut una possit omnibus sufficere et motibus animorum et vitæ coloribus; cum idem tamen fateare, ruris reique agrestis amorem, tantam partem humanæ indolis, usque eo neglectum jacuisse, et caruisse suis laudatoribus, dum, labente tandem Græcia, Siculi quidam Pastores carmina panxerint? Num tot sæculis torpuerant homines, nulla neque veris dulcedine neque autumni religione permoti? Num, ut ait Horatius,

> Hunc solem, et stellas, et decedentia certis
> Tempora momentis,

tamdiu 'spectaverant, formidine nulla imbuti?' Nemini credibile id quidem. Itaque vel doceas velim, extitisse etiam ante Theocritum qui carmine mederi potuerint desiderio illi sylvarum atque ruris, vel

decedas de sententia: desinas tandem venditare nobis medicinam illam tamen Poeticam: habeatur posthac ea tanquam una de multis ars, voluptaria quidem illa satisque elegans, sed minime neque necessaria neque sancta."

His, ut potero, occurram hodie: neque vero me ad eorum castra recipiam, quanquam minime contemnendi sint auctores, qui genti Hellenicæ in universum negant fuisse ullo in honore ruris ac Naturæ apparatum. Mihi quidem in simili errore versari videntur viri subtiles, ac si doceant, a nemine prorsus sentiri posse musicos modos, nisi qui se discipulum addixerit alicui eorum qui fidibus canunt. Quod contra, vel ab ipsa sonorum innumera varietate, quibus ultro complent aures silvæ, maria, fluvii, concentus avium, resonant quodammodo intus animi hominum non plane *ἀμούσων*, fingere solent sibi quisque suum melos, nullo præeunte. Sed latet ea res vulgus hominum, accuratam numerorum vocumque normam requirentium. Mirum ni eandem prope adhibuerint formulam, qui putarunt Naturam a vetere Græcia negligi. Nempe adulta jam arte pictorum, in unoquoque carmine quærebant artificiosum quoddam picturæ genus, partiumque apte cohærentium ordinem quendam, prout quæque aut in umbram recedere debeat, aut in claro lumine collocari. Qua concinnitate cum penitus ferme careret pristina Græcorum familia, fuerunt qui nimis cito judicarent, penitus caruisse eam omni hoc genere Poeseos.

Verum de ea quæstione non erit cur multa hic disseram, post tot exempla tam varia tam præclara, quæ partim ex Homero protuli, partim e Pindaro, partim e tribus Tragœdis. Quod si nil tale extaret, at cuinam, obsecro, foret credibile, quæ gens omni

tempore fuerit elegantissima formarum spectatrix, eandem nihil vidisse in Naturæ deliciis? cum præsertim idem ferme sit in utroque genere fons voluptatis. Nam et arbores quassatæ, et nubium lapsus, et aquarum, mirifice quodammodo conveniunt cum gestibus hominum, formosiorum quidem certe; et verni sive cælorum sive florum colores præ se ferre videntur vitale nescio quid ac vegetum. Ex quo intelligimus, ejusdem fore ingenii, sive quis pulchritudinem formarum, sive cælorum terræque faciem bene atque docte calleat. Quare nolite, quæso, existimare, quæ regio, quæve ætas Phidiam tulerit et Apellem, eandem nullo amore captam intueri potuisse rura, sylvas, flumina.

Quid, quo tanquam filo deducuntur fabulæ omnes, quas tantopere amant Græci? nonne ita de Diis suis et Heroibus vel fingere vel somniari solent, ut facile agnoscas homines sub dio vitam agentes, et libenter quidem? Quid? Nympharum apud eos familiæ, Naiades, Dryades, Oreades, cæteræ, quin et Dii omnes Deæque minorum gentium, nonne habent plerumque significationem minime obscuram gentis in Naturam intentæ? Ejus quidem sententiæ non levem habemus auctorem, sed et doctum et ruris peritum, et Poeseos, hac certe memoria, facile principem. Sic enim statuit vir eximius: modo nos recte capiamus ejus verba: "Rationem omnem religionis Hellenicæ vel præcipue ex eo pendere, quod elegantes et acuti homines, quæ passim foras nocte dieque sentirent, veneranda, pulchra, splendida, illa omnia notaverint quasi signa præsentium Deorum. Ex quo effectum esse, ut totidem colerent Numina, quot haberet rerum Natura sive formidinis seu venustatis

species[a]. Pastori, (verbi causa) cum lyra meridianti, venire potuisse in mentem Apollinis illius, cum aurea cithara, cumque lucentibus capillis; maxime si procul forte cantilenam aliquam solito suaviorem audierit: venatori in montibus pernoctanti gratissimam hanc Lunam cum sideribus suis præbuisse forte imaginem Dianæ cum Nymphis: cum umbras nubium viderent ferri claro Aquilone super longinqua juga, repræsentasse sibi homines Oreadum Chorum: Faunum et Satyros, quoties in sylvis, dubia luce, portentosæ arborum formæ occurrerent."

Verum ut hæc quoque omittamus, Græcos tamen in hac causa fidenter equidem tueri audeam, vel uno Platone in testimonium producto. Qui in laudato illo Phædri proœmio ita se deditum profitetur urbanis deliciis ac civili hominum commercio, ut appareat tamen duci eum et delectari, ut qui maxime, pura ac simplice Natura[b]: *Νὴ τὴν Ἥραν, καλή γε ἡ καταγωγή· ἥ τε γὰρ πλάτανος αὕτη μαλ' ἀμφιλαφής τε καὶ ὑψηλή, τοῦ τε ἄγνου τὸ ὕψος καὶ τὸ σύσκιον πάγκαλον, καὶ ὡς ἀκμὴν ἔχει τῆς ἄνθης, ὡς ἂν εὐωδέστατον παρέχοι τὸν τόπον· ἥ τε αὖ πηγὴ χαριεστάτη ὑπὸ τῆς πλατάνου ῥεῖ μάλα ψυχροῦ ὕδατος, ὥς γε τῷ ποδὶ τεκμήρασθαι· νυμφῶν τέ τινων καὶ Ἀχελώου ἱερὸν ἀπὸ τῶν κορῶν τε καὶ ἀγαλμάτων ἔοικεν εἶναι. εἰ δ' αὖ βούλει, τὸ εὔπνουν τοῦ τόπου ὡς ἀγαπητόν τε καὶ σφόδρα ἡδύ· θέρινόν τε καὶ λιγυρὸν ὑπηχεῖ τῷ τῶν τεττίγων χόρῳ· πάντων δὲ κομψότατον τὸ τῆς πόας, ὅτι ἐν ἠρέμα προσάντει ἱκάνη πέφυκε κατακλινέντι τὴν κεφαλὴν παγκάλως ἔχειν.*

Quorsum, obsecro, platanus ille, et aqua Ilissi gelida, et gramen mollissimum, omnisque quasi ap-

[a] Wordsworth, *Excursion*, b. iv. p. 165. Lond. 1827.

[b] *Phædr.* p. 230. B.

paratus delicatissimi anguli: nisi ut animum declarent veris beati et gnarum et penitus amantem?

Quare id quidem missum faciamus; videamus autem, ecquid sit aliud in causa, cur careat agresti Musa Græca antiquitas. Quid si dicam, vel ideo defuisse carmina, quod adeo abundabant deliciæ quæ canerentur? Nimirum, ut ante non semel docui, non alius erit uberior fons Poeseos, quam siquis in rem absentem desiderio quodam indefesso feratur. Jam autem eximii viri, quibus ætas illa Græciæ vixdum matura viguit, fruebantur singuli fluminibus suis sylvisque: Homerus cum cithara peragrabat litora et insulas: Delphico Deo inserviebat Pindarus, inter nemora et antra et fontes sub radice Parnassi: tres Tragœdi, sicut et cæteri cives, prout erat cuique libido, Attica sua jucundissima frui poterant. Quanto autem studio coluerit gens ista hortos, prædia, amœnas villarum latebras, testis erit omni exceptione major, Thucydides; qui Pericle prætore, sub infausti belli initio, cum primum teneret Atticam Spartanus exercitus, non alia magis re commotos esse dicit animos suorum, quam quod arcebantur a notis quisque agellis [c]. Χαλεπῶς, inquit, *αὐτοῖς, διὰ τὸ ἀεὶ εἰωθέναι τοὺς πολλοὺς ἐν τοῖς ἀγροῖς διαιτᾶσθαι, ἡ ἀνάστασις ἐγίγνετο. ξυνεβεβήκει δὲ ἀπὸ τοῦ πάνυ ἀρχαίου ἑτέρων μᾶλλον Ἀθηναίοις τοῦτο ... ἐν τοῖς ἀγροῖς ... μεχρὶ τοῦδε τοῦ πολέμου πανοικησίᾳ γενόμενοί τε καὶ οἰκήσαντες, οὐ ῥᾳδίως τὰς μεταναστάσεις ἐποιοῦντο . . . ἐβαρύνοντο δὲ καὶ χαλεπῶς ἔφερον, οἰκιάς τε καταλιπόντες, καὶ ἱερὰ, ἃ διὰ παντὸς ἦν αὐτοῖς ἐκ τῆς κατὰ τὸ ἀρχαῖον πολιτείας πάτρια· δίαιτάν τε μέλλοντες μεταβάλλειν, καὶ οὐδὲν ἀλλὸ ἢ πόλιν τὴν αὐτοῦ ἀπολείπων ἕκαστος.*

[c] Thucyd. 2. 14, 15, 16.

Cum Thucydide facit Aristophanes, nulla non Comœdia mentionem adhibens pinguium camporum, villulæ affluentis, vetulorum festo die apricantium, cæterorum quæ ad rus beatum pertinent. Accedebat utique servorum copia: ne forte mirere, Atticis vel mediocri loco natis otium tam abunde suppeditasse, quod in agris posset quisque consumere.

Quare sicut illis Homericis, sic his quoque Tragœdis non defuerunt, quorum ope mederi possent amori, quo flagrabant, sylvarum ac fluminum. Illis nihil opus erat tunc temporis justo carmine, cum in rebus ipsis quotidie ac libere versarentur. Satis, ut opinor, habebant, si ratione similitudinum, si verbis hinc inde sparsis efferrent identidem quid intus sentirent.

Quod si quis malit extitisse etiam prisco illo Graiorum sæculo qui dedita opera celebrarent Naturæ laudes, profecto is me habebit secum prope consentientem; etsi nemo, quod sciam, ne nomine quidem tenus supersit, qui in eo genere viguerit. Sed non multum equidem eo scrupulo commoveor. Nam quæ res scribendi, eadem legendi quoque stimulos vel sustulit vel minuit certe. Parum in manibus futuri erant Poetæ, qui eas modo commendarent delicias, quibus vel absque eorum ope satis superque frui possent homines. Itaque nolite, quæso, mirari, vel magnos et excellentes viros alio quemque genere laborasse, vel siqui minoris notæ hanc sibi sumserint provinciam, eorum cum scriptis memoriam quoque ipsam periisse.

Quod idem de Aristotele dici potest, rem omnem ita tractante, quasi nemo prorsus jure censeatur Poeta, nisi qui res gestas hominum, variosque fortunæ lusus, seu narrari curet sive in scenam mitti. Non enim ipsius Philosophi indolem crediderim so-

lam in causa fuisse, cur limitibus adeo angustis circumscribi artem plane infinitam voluerit. Qui cum in omni fortasse quæstione perspicacia se magis quam elegantia commendaverit, tum Naturæ certe delicias, omnemque hunc cæli ac terrarum ornatum, nusquam ullo se prosequi amore significat. Sensit videlicet vir acutus, genus omne Poetarum, quos usu quidem adhuc cognoverat, istis terminis bene concludi posse: tum pro more suo, ex sola nominis vi de re universa judicium tulit. Qui si Virgilio minor esset ætate, num cui dubium est, propagaturum fore eum quasi fines Poeticæ, ne forte excludi videatur laudatissimus Scriptor?

Dixi de moribus et indole gentis Graiorum. Quid porro, si doceam, genera quoque ipsa scribendi continuari quodammodo aliud ex alio, tanquam serie quadam et ordine legitimo? Ac fateor equidem religione me tangi nonnulla, quoties me cum iis fore sentio, qui nullius non rei causam aliquam a se adhibendam existimant. Intelligo quam sit lubrica ejusmodi disputatio. Quare hoc loco sit venia, precor, non disserenti sed anquirenti modo. Nonne ea sæpius est vivendi conditio, ut prius felicitatem quærant homines seu rebus gerendis sive studio veritatis, deinde lassati et ægri deveniant tandem in portum quendam ruris tranquilli, mirisque frui cœperint solatiis, propius inspecta forma ac facie Naturæ? Quidni putemus, more non penitus diverso accrevisse veterum Poesin? Nempe Homerici primum et Pindarici, quas quisque a majoribus acceperat heroicæ illius vitæ reliquias, posteris tradi cum omni laude curaverant. Deinde Æschylus docuerat Pythagoricus quid posset altissima philosophia. Utro-

que tandem genere bene ac penitus tentato; quod reliquum erat, recepit se ætas serior in eum quem dixi portum, naturæ et amœni ruris.

Atque ejus quasi fugæ futuri erant participes, partim Homerici et negotiosi homines, fatigati videlicet seu militia sive republica, partim Æschylei, (modo fas sit ita nominare,) quos forte jamdiu tæderet cogitationis vagæ ac turbidæ, cum hinc illinc jactarentur multis magnisque litibus, de summa rerum humanarum, nullius arbitrio, nulla formula. Harum familiarum altera Lucretio, altera Virgilio convenit mirandum in modum. Nimirum hac una re maxime continetur summa Lucretianæ Poeseos, ut in ardua omnia et longinqua, procul a se suisque negotiis, abripi et extolli se sinat lætus atque lubens Scriptor.

> His tibi me rebus quædam divina voluptas
> Percipit, atque horror, quod sic Natura tua vi
> Tam manifesta patet ex omni parte retecta.

Non gestit modo, arcana palam fieri; non, subtiles feliciter exquiri rationes atque modos rerum; nedum his quæ oculis cernimus adumbrari videat æternum summumque illud Bonum. Utinam vero! sed nihil tale cogitat Lucretius. Id modo tentat, id cupit agitque, ut anxiæ ac perturbatæ menti afferre possit remedium aliquod, ipsa hac mundi magnitudine et mirabili specie contemplanda. Agit ille quidem Epicuri discipulum, ejusque viri dictis se fore obedientem, ut qui maxime, præ se fert: immo constantissime docet, non alia medicina quam *κυρίαις* ejus *δόξαις* levari posse morbos animarum, vitæque humanæ incommoda ac mœrores. Sentias tamen omni sermone angi ac fluctuari hominem, velut qui sibi sit conscius, loco se insistere lubrico prorsus et

incerto; tum recreari paulisper et meliore esse animo, cum ventum est ad Naturæ miracula; cæli meatus, sylvarum sonitus ac montium, fluviorum et Oceani cursus. Quarum omnium rerum laudes ita celebrari ab eo videmus, ut constet plane eas non in solam doctrinam adhiberi, verum etiam solatii causa, unicique perfugii.

Sed de his alio tempore: nunc cursim modo tantundem dici volebam, quo judicare posset aliquis, an recte et ordine veniat tanquam in locum Æschyli talis terrarum atque cæli spectator, qualem nos Lucretium fuisse auguramur.

Porro autem quod ad Virgilium attinet, nemini ferme crediderim in dubio fore, quin optime possint accommodari ejus carmina ad illos præsertim oblectandos, qui se removerint tandem de vulgo et scena, experti scilicet, quam parum valeant ad bene beateque vivendum vel optimæ fortunæ. Solet utique dulcissimus omnium Poeta questus suos vel acerbiores mœstitia non illepida temperare: qui mos est plerumque eorum qui vitam egerint in luce curiæ atque in consilio publico. Miseros atque ægros mortales (ipsius utor compellatione) ita deplorat, velut qui pueros flentes velit mulcere, ipse leniter, ut fit, arridens. Æstivos greges, armenta, pecudes, apum atque etiam arborum concilia sic vocat idem in partes suas, ut in ejusmodi lusu videatur acquiescere non invitus; ne, si forte quærere cœperit ulterius aliquid, abeant statim omnia (quod aiunt) in fumum ac cinerem.

Atque his hoc tempore satis declarari arbitror, quonam in loco habendus sit Virgilius, ex ea quam hodie tractamus formula. Nempe ut fessis philosophando Lucretius, ita fastidientibus vitam civilem

monstrat hic quasi digito fluminum ac sylvarum perfugium.

Erit fortasse qui sic occurret: Omnem hanc quam hodie explicavi rationem ad tempus ex ingenio elici, soloque confirmari exemplo Graiorum Poeseos: Graiorum, inquam, quoniam ex illo quasi ludo prodiit certe Romana quoque familia. Ex hoc efficiunt, non bene metiri nos artem eo modulo, quem ipsi nobis ad unicum illud specimen effinximus.

Itaque erit operæ pretium, videre quo res ea se habuerit loco apud gentes maxime diversas tum tempore tum ingenio. Verbi causa; qui primi omnium carminibus dabant operam, sacrosancti apud Hebræos viri, pulchritudinem hanc mundi, quæ oculis cernitur, minime negligebant illi quidem, sed neque in eo quasi proprio campo ullo tempore quisquam eorum laborabat. Tot annis scribebant versus, artificio exquisitissimo, sententiis verbisque ardentibus, neque unquam in rure ac natura celebranda posuere summam ullius ne brevissimi quidem carminis. Quid ita? (dicam enim, salva præsentissimi Numinis reverentia). Fuit profecto, fuit illis, quo caruerat omnis Graiorum chorus, tam Tragici quam Homerici. Spe fruebantur bona certaque tum veritatis adipiscendæ, tum bene beateque vivendi. Non opus erant illis umbræ rurisque perfugium, quo possent cursum referre tædio ac mœrore confecti. Quippe Eum habebant principium pariter et exitum, cujus amore semel imbuti nulli neque mœrori nec tædio essent obnoxii. Aderat illis pariter omnibus omni tempore et loco præsentissima lux; qua si forte carere sibi videbantur, seu culpa sua sive infortunio quodam, non ad flumina vallesque confugiebant, non ad saxa et solitudines, tanquam in externa

illa specie earum rerum quæ oculis cernuntur inesset quod sua vi levaret dolorem. Immo rivulis parum contenti, adeundum putabant Ipsum Fontem.

"Nullumne ergo habuerunt Naturæ usum, harumque omnium deliciarum, Hebræi vates?" Habuerunt vero, et maximum illum quidem. Nam quot extant formæ rerum ac facies in miranda hac cæli et terrarum compage, tot intelligebant sibi dari indicia et quasdam quasi tesseras propioris Dei et rerum plane divinarum. Non ergo in hasce delicias se receperunt, quietis et solatii ergo: sed ab initio didicerant, earum ope erigendos animos in majora et meliora. Quare nec intactum reliquerunt ullam ferme Naturæ partem, et ea quæ tetigerant omnia nescio quo lumine auxerunt. Nullo unquam tempore nec pulchra sine dulcedine, nec mœsta sine affectu, nec splendida sine ardore quodam posuerunt. Nimirum (ut in re sanctissima verbis liceat uti profanis)

> Igneus est ollis vigor, et cælestis origo
> Seminibus:

sive cum Hiobo sic circumferant oculos, ut visa Numinis potentia minime dubitent de bonitate Ejus; sive cum Isaia rura ac rusticas artes, (quibus unice gens insueverat Hebræa,) nunc ad docendum adhibeant, nunc ad increpandum; seu denique cum regio illo vate communes quasi Naturæ tractent locos, et in itinere viatorum more cantent, sumptis ex obvia quaque re Dei O. M. laudibus. His tamen ita se oblectant, ut qui alio prorsus loco summam Poeseos suæ ponant; in eo similes Homericorum et Hellenicæ familiæ, auspiciis modo longe melioribus.

Videtisne nostris ex partibus stare hæc omnia, eatenus certe, ut ea potissimum gens agresti illa

Musa caruerit, in quam solam cadere non posset ægritudo ista propter vanos labores, vitamque minime vitalem miserorum mortalium.

Mittamus Hebræa, ad eosque veniamus homines, qui primi nomina dederunt nostris sacris, veræque Philosophiæ: quorum neque aliena est ratio, neque tamen penitus eadem. Etenim multis certe sæculis, ut verum fatear, requiras in sacrosancta illa republica, non dicam illa Virgiliana modo, sed et aliam quamvis Poesin. Quid ita? Quoniam, credo, (ut immensæ quæstioni satis jejune respondeatur) nulla illi laborabant inopia, nullo sortis excelsioris desiderio, cui ad tempus levando comparandi erant versus. Quippe jam inde a principio illorum sacrorum intellexerant se participes esse factos beatæ ac divinæ vitæ. Non ergo illis, sicut Homericis, mulcenda erat utcunque carminibus absentia rei quam impense amabant; neque cum Virgilio deploranda sors totius humanitatis, cui nihil prorsus beatum evadat, tantum solatio ad tempus sint rura sylvæque.

Ac fortasse miremini, quanam ratione, cum nemo justam exerceret Poeticam, potuerint satis sibi facere plena sanctis amoribus pectora. Præsto erant vaticinia Hebræorum, Ecclesiæ preces sacræque cantilenæ, Sacramentorum, quæ vocantur, infinita quædam copia. Ecce tibi tres quasi venæ verissimæ Poeseos, et divites quidem: quarum ope exitum non incommodum possint reperire sibi desideria piorum, etsi nullus unquam concludatur versus, nullius digitis syllabæ numerentur. Verbo dicam, Poeseos locum occupavit apud majores nostros arcana divinæ Veritatis ratio. Quod contra, hi qui nunc sunt homines facile carent diviniore philosophia, contenti videlicet umbra quadam Poeseos.

"At enim vel istis temporibus fuerunt etiam inter Ecclesiæ alumnos qui nulla ex parte bonis responderent suis: fuerunt degeneres et inquieti homines, maximisque animorum perturbationibus obnoxii. Eos," inquiunt, "nil vetuit certe, quin genere illo Virgiliano sese recrearent. Verum nil tale fecerunt." Proinde scrupulus injicitur et quædam dubitatio, rectene hinc, unde nos modo diximus, repetatur origo Virgilianæ Poeseos. Sed frustra, mihi credite, occurrit. Nam primo, quotus erat quisque veterum, cui istius ignominiæ nota debebatur? cum in oppressa et luctante Ecclesia vigeret adhuc primæva et candida Pietas. Deinde, si qui lapsi essent, in promptu erat remedium: virilis scilicet illa, et fortis, et dura, et in ultimos vitæ annos producta Pœnitentia. Quæ postquam semel digne occupaverat animos, non erat profecto, cur egerent homines flebilibus modis, et mœsta hac dulcedine, quæ majoribus eorum, nondum meliora edoctis, adeo visa est necessaria.

Quod superest; videtis, opinor, Academici, sic opportune ut nihil magis exortam esse præclaram hanc sectam Poetarum: siquidem nos non male divinavimus, primordia illa apud veteres Graios edi potuisse animis nondum fractis, nec sine spe, fore tandem ut bene beateque vivant homines, modo vel Heroum vita Homericis, vel Pythagoreorum reddatur Æschyleis: contra autem, qui serius enati sint, postea videlicet quam in orbe terrarum effulsisset vitalis ac superna Lux, illis nihil opus fuisse ejusmodi solatio: proinde ipso quo debuit intervallo subvenisse hominum desideriis Virgilianam Poesin. Itaque hujusce certe familiæ annales non male con-

venire videntur cum ea quasi formula, quam nos ab initio statuimus de omni Poeseos genere.

Occurrit autem hoc loco quod minime omitti velim: est enim officiosa quædam quæstio. Quæras videlicet, quî fieri possit, ut homines gravissimi atque optimi tanti faciant eam artem, qua tam libenter caruerint ii, qui proxime ab ipso Fonte bonitatis aberant. Immo vel eam ob causam nunc quoque superesse crediderim prisca et simplici virtute viros, qui totum hoc, Versu scribere, oculis parum æquis aspiciant; rem quippe terrena labe contactam, et cum luxuria et mollitie (sic enim sibi fingere solent) arctissime conjunctam.

Hi, ut puto, monendi sunt, ne doceant ab ægris sperni debere medicinam, propterea quod ea facile caruerunt sani. Quis scit, an præcipua quadam benigni Numinis voluntate fiat, ut eo præsertim tempore vigeat ruris amor et Naturæ, et carminum eo spectantium, quo procul e communi consuetudine abierint ea, quorum ope majores nostri *ἀμουσίαν* non inviti tulerunt? Cum enim in tribus ferme rebus, ut ante dixi, consisteret eorum solatium, vaticiniis scilicet divinis, solenni prece, sacrorum signorum copia; raræ hoc tempore (absit dicto invidia) in templis nostrorum sunt preces, diuque intermissæ; signorum sacrorum, qualia veteres reperiebant omni loco ac tempore, ne suspicio quidem ulla est, nisi siqua forte inciderit mentio illorum quæ rite in adytis aguntur: Hebræorum oracula legunt quidem omnes, sed jejune et exiliter, quippe qui de litera sola cogitare audeant. Igitur se ad rura rusticamque Poesin recipiunt homines non inviti, atque ibi fruuntur eximio quodam solatio; nulla enim religione tenentur,

ne ejus duntaxat admonitu libere excurrant in omnem partem animi, neve pro se quisque eliciat, quod aut demissiorem erigat, aut segnem incitet, aut leniat acriorem.

Denique ut impii plane esset, negligere tempestivum D. O. M. donum, sic arrogantis, et inepte faventis huic sæculo, placere sibi in hac re, quasi qui teneram hanc Poesin acute sentiat, is ingenuo statim animo sit, et luto, quod aiunt, meliore. Tum demum tibi erit operæ pretium contemplanti præclara hæc veterum monumenta, cum revocari te senties ab inanibus seu studiis sive negotiis, ad vera illa ac viva ægritudinis remedia, quibus adumbrandis inserviunt modo tum ipsa rerum Natura, tum ancilla ejus Poesis.

Ac de genere quidem et originibus ejusmodi carminum dixi, ut potui; sequitur ut singulis suam tribuamus laudem. Quo facto (multorum enim, ni fallor, sermonum erit opus) imponetur tandem huic argumento clausula.

PRÆLECTIO TRICESIMA PRIMA.

Quid sit, quod ruri quoque degentibus opus sit Poesis rustica. Philosophiæ eandem, quam Poeticæ, partitionem dari, sed inverso ordine viguisse earum partes. Usum Virgilianæ Poeseos minime aboleri, propter diviniora cælitus demissa. De Empedocle Lucretii, Theocrito Virgilii antesignano. Multa esse, quæ Theocrito primarii partes vindicare videantur: plura tamen, quæ denegare.

CUM permulta sunt, Academici, quæ in Annalibus, ut ita dicam, Poeseos πρόνοιαν quandam sapiant plusquam mortalem, tum præsertim serior illa, sed maxime tamen tempestiva ejus quasi familiæ origo, quæ summam operam poni voluit in rure rebusque naturalibus. Nam ut paucis percurram quæ hactenus sunt dicta: statuimus primo tum artifices tum etiam fautores Poeseos duplici potissimum discriminis nota inter se distingui posse. Nempe vel mobiles habendos esse vel quietos; vel in factis fortunisque hominum, vel in rure versari et in rerum natura. Ex quo effici, ut in alterutram partem vergat quisquis Poeticæ dat operam, prout cuique aut alacrior aut tranquillior insit indoles. Deinde, serie

quadam et ordine per partes suas et quasi membra adolevisse, ut ita dicam, Græcorum Poesin; ea lege, ut prius viguerit Homericum et actuosum genus, quam ii, qui cum Virgilio Lucretioque sese receperunt in ruris ac Naturæ latebras, fessi videlicet sive curis hominum seu vano veritatis studio. Id porro non fortuito esse factum, sed via quadam et ratione, concesso scilicet ægris mortalibus eo munere benigni Numinis, ut extarent tandem Scriptores, quorum ope melius fruerentur arcano illo quasi solatio, quo plena ac conferta sunt hæc omnia, quæ oculis cernimus.

Rationem autem hanc nostram intelligo ex ea parte maxime laborare, qua dicebam, veteribus Græcis id fortasse in causa fuisse, cur Poesi, quæ ad rus pertineret, carerent, quod ipsi rure ac Naturæ deliciis nullo non tempore frui et uti poterant. Jam enim dicat aliquis, "Novimus ipsi vates, et eximios quidem, quibus agrestium harum voluptatum quotidianus et communis usus adeo non suaserit, vivi posse sine Poetica, ut omne penitus ævum carminibus id genus cantandis insumant. Quî ergo," inquient, "fieri potuit, ut veteres silerent, eodem amore capti?"

Quasi vero quisquam fieri posse neget, ut in mediis quoque deliciis egeant atque angantur homines. Non enim absentia modo rei amatæ turbari solemus, verum etiam, maximam partem, laboramus acerbo quodam imbecillitatis nostræ sensu, quo fit, ut suis ipse deliciis impar evadat animus, et quasi succumbat. Ecquem vero nostrum non aliquando tetigit amaris quasi stimulis admirabilis hic terrarum cælique aspectus? quoties videlicet oculis cerneret aliquis, pulcherrime inter se misceri, vago illo sed vero

tamen ordine, montium, sylvarum, litorum eminentias et umbras; ita tamen, ut nihil satis aut mirari se sentiret aut intelligere. Ecquem non commovit interdum angulus aliquis terrarum seu amœnior sive (si fors ita tulerit) horridior, vel memoria pueritiæ, vel obscura quadam absentium rerum nota, vel ipsa denique formarum colorumve elegantia? cum idem tamen minime placere sibi posset; quippe qui sentiret vitio mentis suæ, vel se invito et imprudente, plurimum deminui de rerum omnium tum venustate tum magnitudine. Immo non alia magis re deplorari solet humana hæc conditio vivendi, quam quod affectus ipsi nostros nec regere consilio possumus nec verbis solari. Quid, qui teneriore sunt animo, si quos eximia caritate prosequuntur, nonne sæpius queri solent, se amoribus suis sufficere nec lingua nec anima quidem? Ecquænam, obsecro, sunt voces, tam delicato, tam amabili flexu, quæ matrum, verbi causa, blanditiis, cum pueris ludentium, apte digneque respondeant?

Quare illud quidem ratum fixumque esto, maximæ parti hominum opus fore Poesin, etiamsi in promptu sint suæ cuique deliciæ. Sed de veteribus Græcis sic ferme sentio; cum amœnissimis fruerentur et locis et cælis, præsto fuisse ruris amatoribus quod cuique solatio satis esset, etsi Virgiliano illo genere prorsus carerent: cum præsertim Poetis, et Lyricis et Heroicis, immo Tragicis quoque, liceret multa multis locis spargere, quæ animum naturæ rurique intentum et declararent et juvarent. Itaque, ni fallor, manebit quod dictum volebam: Camœnas illas rure gaudentes minime abhorruisse a ratione temporis Homerici et Æschylei, sed neque penitus fuisse necessarias: porro autem re ac veritate nondum apparuisse; cum non-

dum satis experti essent homines, quam parum valeret in corde hominum explendo vitæ genus seu philosophicum sive actuosum: tum demum in lucem eas emersisse, (quæ summi Dei est bonitas,) cum jam intelligere inciperet Natura, egere se tali quodam solatio.

Unum illud hoc tempore addam, ne cui forte nos in hac re videamur somniantium magis quam philosophantium similes: pendere disputationem hanc omnem ex eo potissimum discrimine, quod in natura tum rerum tum hominum quoque radicibus infixum penitus hæreat. Nempe summa Illa ac perfecta Bonitas duplici ferme modo derivari se voluit in miseros atque ægros mortales: quæ partim declaretur universa hac mundi compage, et constanti rerum omnium, quæ oculis cernuntur, ordine, partim flectendis rerum humanarum habenis. Atque ex eo statim videtis enasci potuisse duplicem non modo Poeseos verum etiam Philosophiæ sectam, ejus videlicet, quæ ad terrena pertineat: prout cuique feriant animum vehementius seu res hominum sive cæli ac terrarum deliciæ. Itaque ut habuit Philosophia veterum hinc Pythagoricos suos, illinc Ionicos, quarum familiarum altera spectabat cæli meatus, et arcana Naturæ, altera ponebat omnem operam in vario Fortunæ lusu, atque in moribus et urbibus hominum: sic Poetarum etiam arti non defuerunt sua divortia, simili ferme lege facta.

Hoc unum maxime interfuisse video inter philosophorum rationem et poetarum, quod in Poesi prius viguit Homericum et actuosum genus; de rerum natura, deque arvorum cultu, serior paullo ætas cecinit. Quod contra penitus evenit in studiis Philosophiæ. Nisi forte cuidam inanior solet videri decan-

tata illa Socratis laus: qui primus, si Ciceroni fides, "philosophiam devocavit e cælo, et in urbibus collocavit, et in domos etiam introduxit, et coegit de vita et moribus rebusque bonis et malis quærere." Roget aliquis, cur similes res ordine adeo dispari processerint. Ac crediderim equidem, ita ferme se rem habuisse. Philosophorum est, verum quærere: quibus autem id cordi fuit, iis potissimum addicturi se erant studiis, quorum veritas videretur esse obscurior, atque e profundo magis deberet erui. Jam audax illa et ingeniosa et sibi semper fidens Græcorum natio, cum primum literis sese exerceret, pro expedito planoque habitura erat quicquid de moribus dici posset. Quippe ea plerumque puerorum est indoles: veteres autem Graios omni vita pueros mansisse abiit ferme in proverbium: *καὶ γέρων Ἕλλην οὔδεις.* At vero physicæ illæ rationes; "numeri motusque, et unde omnia orirentur, quove reciderent . . . siderum magnitudines, intervalla, cursus," verbo dicam, "cuncta cælestia"—hæc omnia intentata adhuc et dubia erant; hic locus ingeniis, hic arcana excutienda. Quare huc appellebant, qui Philosophi vellent haberi; Poetis tractandum reliquerunt locum omnem de rebus humanis, de fato, fortuna, moribus. Postea vero quam longo didicerant usu, quantæ essent in hominum fortunis, atque adeo in ipsis hominibus, tenebræ; quam arduum illud ac difficile, *γνῶθι σέαυτον*:—tum demum et in humanis philosophari cœperunt, et ad rus atque ad naturam Poesin revocare. Quo enim iis indies obscurior videbatur et implicatior suarum rerum exitus, eo teneriore, ut fit, animo, circumferebant oculos in hanc omnem cæli terræque varietatem, velut qui, negata scientia, ex obvia quaque re augurium caperent.

Sed hæc hactenus. Illud jam cautum velim, ne cui forte veniat in mentem, efferri a nobis, amore quodam, ultra quam par est Virgilianæ Poeseos vim, quippe qui muneris egregii loco fessis homunculis datam agnoscamus. Quod contra occurret fortasse nonnemo, non sine quadam veri similitudine: "Esto: concedamus agrestem hanc Musam eximie esse comparatam ad solatium: at divinitus tamen inductam, quis crediderit? cum præsertim illo ipso tempore pararetur vera ac perennis animarum medicina; qua semel adhibita, cessaturum erat omnino temporarium illud ac leve remedii genus. Quorsum enim," inquient, "Maronis cantilena, cum præsto sint verba et voces de ipso Numinis adyto demissæ? Quorsum "rura, riguique in vallibus amnes," fluminumque et sylvarum mœsta illa dulcedo, patente jam via qua ducitur ad æthercam illam requiem, atque ad eorum sedes, qui jure vocandi sunt beati? Quid, quod antea nos ipsi judicavimus, ideo primævam puramque Ecclesiam caruisse non invitam Poetarum arte, præsertim agrestium, quoniam scilicet in majus meliusque adeo mutatæ erant res, ut leve ac ludicrum videretur ejusmodi solatium?"

Verum enimvero quis unquam docuit, eorum quæ cælitus data sunt hominibus eam semper fore rationem, ut non sine fructu nobis esse videantur? Nonne singulis annis apparet, quam larga ac prope prodiga sit rerum natura; vel propter flores nullo non angulo sparsos, infinita et suavissima illa varietate, quorum tamen neque coloribus neque habitu fruiturus sit ullo tempore quisquam mortalium: vel propter sylvestria poma et baccas, quarum quo spes uberior æstivo tempore, eo fit effusior strages, exeunte

autumno? Cui non omnium nostrum, qui modo e pueris excessit, familiare nimis illud Virgilii,

> Ostendent terris hunc tantum fata, neque ultra
> Esse sinent?

Quare illud quidem nemini sit incredibile, fieri potuisse ut Musis Virgilianis, modo jam in lucem vocatis, supersedendum foret, reperto videlicet quod et melius curaret et suavius reficeret homines. Porro quis scit, an consilio plusquam humano provisum fuerit nobis quoque, contra inertiam et ingrati animi languorem? ne semper jaceamus, divino beneficio indigni. Profecto genus illud Poeseos umbratile ac tenerum, et latebrarum ac perfugii amans, poterat omni tempore esse testimonio, quam parum sibi sufficiat mortalium mens, sive ad negotia se intenderit seu ad philosophiam. Poterat accusare eorum dementiam, qui paratis cælestibus et certis, mallent hærere in dubiis et terrenis. Poterat denique teneribus esse solatio, vitioque et errore fessos imbuere paullatim castiore disciplina.

Habetis, cur nolim ineptum putari, si quis existimet, non sine Numine prodiisse in lucem, illo maxime tempore, Lucretium primo, deinde Virgilium, principes quodammodo novæ Poetarum familiæ. Accedit, quod utriusque operi aderat quasi congesta materies: non in vacua prorsus venerunt; perstrinxerat jampridem solum, viamque, ut ita dicam, muniverat, huic Empedocles, illi Theocritus.

Ac de Empedocle quidem jejuniora sunt, quæ narrantur, quam ut certi aliquid de genere ejus scribendi statuere ausim. Aristoteles negat illi, si numeros excipias, quicquam fuisse cum Homero com-

mune [a]. Idem tamen alio sermone, si fides Laertio, et Homericum appellaverat, et vigere eum dixerat omni Poetarum artificio. Quod si capiatur ejus specimen ex iis versibus, qui seruntur identidem in libros Plutarchi, Aristotelis, cæterorum; dixerim equidem, eum numeris fortasse accedere aliquando ad Homericam majestatem; quod ad verborum lumina attinet ac sententiarum, turbidiorem fluere. Insigne illud Lucretii testimonium meruit, opinor, subtili magis inventione naturalium rerum, quam laude aliqua, quæ Poetarum sit propria. Audite vero [b]:

> "Acragantinus," ait, "cum primis Empedocles est,
> Insula quem Triquetris terrarum gessit in oris :. . . .
> Quæ cum magna modis multis miranda videtur
> Gentibus humanis regio, visendaque fertur,
> Rebus opima bonis, multa munita virum vi;
> Nil tamen hoc habuisse viro præclarius in se,
> Nec sanctum magis et mirum carumque videtur;
> Carmina quinetiam divini pectoris ejus
> Vociferantur, et explorant præclara reperta,
> Ut vix humana videatur stirpe creatus."

Videtisne celebrari, quasi qui fuderit oracula, non ut qui lucida panxerit " carmina, Musæo contingens cuncta lepore?" quo præconio suum ipse nomen non veretur augere Lucretius. Quo magis credibile sit, exemplo ac ductu Empedoclis accessisse eum ad has Poeticæ partes, nec pauca, pro re nata, sumpsisse ab instrumento et supellectili ejus, ita tamen, ut ipse omnia vigore quodam suo temperaret, per se frigidiora quam facile ferat Poesis.

Sed Empedoclem mittamus; ut qui, velut manca quædam veterum alicujus effigies, vix et ne vix quidem uno se membro nobis agnoscendum reliquerit. Pergamus ad Theocritum: qui campus et amœnior,

[a] *Poet.* 3. [b] Lucr. I. 717.

et uberiorem dicendi materiem habebit. Nemo nescit, ad illius scripta velut ad fontem accessisse Virgilium, cum primum carmina diceret.

> Prima Syracosio dignata est ludere versu
> Nostra, nec erubuit sylvas habitare, Thalia.

Sine fuco et fallaciis Theocrito defert inveniendi palmam, se imitatorem modo profitetur. Quod idem sonat apud eum mentio toties repetita Siciliæ et Sicularum Musarum. Immo Bucolica ejus, maximam partem, de Idylliis desumi videmus; neque singula tantum dicendi ornamenta, et lumina hic illic inspersa, verum etiam universam carminum juncturam atque ordinem.

Neque vero solus Theocritum imitatur Virgilius, verum ut Homerum Epici, sic qui pastoralia, quæ vocantur, scribebant carmina, videntur ad unum omnes hunc sibi proposuisse exemplar. Ex quo intelligi debet, incidisse illum divinitus in eam quasi formulam, quæ optime colonorum mores, studia, religiones, immo et facetias quoque posset exprimere.

Quæ cum ita sint, haud injuria fortasse miremini, quid sit, quod tanto viro secundas modo committamus partes; neque suo jure, sed tantum ut Virgilii asseclam, choro primariorum Poetarum putemus adscribendum. Ac fateor equidem non deesse, quæ ejus causam magnopere commendare videantur. Nam et ea quæ modo diximus, magnam habent significationem animi in suas delicias intenti et arrecti: quod primo excuderit sibi quandam quasi fabricam, intentatam ante, pulcherrimorum carminum: deinde quod venturis omnibus magister hic solus extiterit et monstrator itineris. Quin et tertium aliquod superesse intelligo, quod dici possit in eodem argumento: quo soleo equidem magis commoveri. Invenias nimirum

non semel apud Theocritum, id quod indicio plerumque est germani amoris et minime commentitii, dedita opera depingi res rusticas et agrestes, nulla prorsus operis suscepti necessitate. Faginum, verbi causa, poculum describit Theocriti Pastor in primo Idyllio; describit itidem Virgilianus nescio quis: at videte quid intersit. Hic simulacra quædam inducit, pulchra illa quidem, et quibus impense delectabantur Græci artifices, sed a pastorum tamen studiis remotiora.

> In medio duo signa, Conon; et quis fuit alter,
> Descripsit radio totum qui gentibus orbem?

Deinde de altero dicitur poculo,

> Orpheaque in medio posuit, sylvasque sequentes.

Contra, quæ cælantur in cratere Theocriti simplicem et agrestem vitam omnino sapiunt[c]:

> *τοῖσδε μέτα γριπεύς τε γέρων πετρά τε τέτυκται*
> *λεπρὰς, ἐφ' ᾇ σπεύδων μεγὰ δίκτυον ἐς βόλον ἕλκει*
> *ὁ πρέσβυς, κάμνοντι τὸ κάρτερον ἀνδρὶ ἐοικώς·*
> *φαίης κεν γυίων νιν ὅσον σθένος ἐλλοπιεύειν·*
> *ὧδέ οἱ ᾠδήκαντι κατ' αὔχενα παντόθεν ἶνες,*
> *καὶ πολίῳ περ ἐόντι· τὸ δὲ σθένος ἄξιον ἅβας·*
> *τυτθὸν δ' ὅσσον ἄπωθεν ἁλιτρύτοιο γέροντος*
> *πυρναίαις σταφυλαῖσι καλὸν βέβριθεν ἀλωά·*
> *τὰν ὀλίγος τις κῶρος ἐφ' αἱμασίαισι φυλάσσει*
> *ἥμενος· ἀμφὶ δὲ μὶν δυ' ἀλώπεκες· ἁ μὲν ἀν' ὄρχως*
> *φοιτῇ, σινομένα τὰν τρώξιμον· ἁ δ', ἐπὶ πήραν*
> *πάντα δόλον τεύχοισα, τὸ παίδιον οὐ πρὶν ἀνήσειν*
> *φατὶ, πρὶν ἢ ἀκράτιστον ἐπὶ ξηροῖσι καθίξῃ·*
> *αὖταρ ὅγ' ἀνθερίκεσσι καλαν πλέκει ἀκριδοθήραν,*
> *σχοίνῳ ἐφαρμόσδων· μέλεται δέ οἱ οὔτε τι πήρας*
> *οὔτε φυτῶν τοσσῆνον, ὅσον περὶ πλέγματι γαθεῖ.*

Sic pascunt pictura animum, quibus agendum est procul a rure amato.

Quid, quæ mollissima habet idem, tum de Galatea ludente in litoribus, tum de Polyphemi cane? Nonne

[c] Theocr. *Idyll.* I. 39.

ejusmodi sunt, ut facile credas, coram scriptore tale aliquid re ac veritate accidisse [d]?

βάλλει τοι, Πολύφαμε, τὸ ποίμνιον ἁ Γαλάτεια
μαλοίσιν, δυσέρωτα τὸν αἴπολον ἄνδρα καλεῦσα,
καὶ τύ νιν οὐ ποθόρησθα, ταλάν, τάλαν, ἀλλὰ κάθησαι
ἅδεα συρίσδων· πάλιν ἅδ', ἴδε, ταν κύνα βάλλει,
ἅ τοι τῶν οἴων ἕπεται σκοπος· ἁ δὲ βαΰσδει
εἰς ἅλα δερκομένα· τὰ δέ νιν καλὰ κύματα φαίνει
ἅσυχα καχλάσδοντος ἐπ' αἰγιαλοῖο θέοισαν·
φράζεο μὴ τᾶς παιδὸς ἐπὶ κνάμαισιν ὀρούσῃ
ἐξ ἁλὸς ἐρχομένας, κατὰ δὲ χρόα καλὸν ἀμύξῃ.
ἁ δὲ καὶ αὐτόθε τοι διαθρύπτεται, ὡς ἀπ' ἀκάνθας
ταὶ καπυραὶ χαῖται, τὸ καλὸν θέρος ἅνικα φρύγει·
καὶ φεύγει φιλεόντα, καὶ οὐ φιλεόντα διώκει.

Leviculum profecto genus hoc omne, fateor: istiusmodi tamen sunt, quæ semel visa libenter in memoria figat, quisquis ex animi sententia sit ruris et locorum amator.

His non injuria poterit quis addere dulcissimam de hædulco historiam, ex domini sui insidiis mirandum in modum servato [e].

ἀσεῖ δ' ὥς ποκ' ἐδέκτο τὸν αἴπολον εὐρέα λάρναξ
ζωὸν ἔοντα, κακῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ἄνακτος·
ὥς τέ νιν αἱ σίμαι λειμώνοθε φέρβον ἰοῖσαι
κέδρον ἐς ἁδεῖαν μαλακοῖς ἄνθεσσι μέλισσαι,
οὕνεκά οἱ γλυκὺ Μοῖσα κατὰ στόματος χέε νέκταρ·
ὢ μακάριστε Κοματὰ, τὺ θὴν τάδε τερπνὰ πεπόνθης,
καὶ τὺ κατεκλάσθης ἐς λάρνακα, καὶ τὺ, μελισσᾶν
κήρια φερβόμενος, ἔτος ὥριον ἐξεπόνασας.
αἴθ' ἐπ' ἐμεῦ ζωοῖς ἐναρίθμιος ὤφελες ἦμεν,
ὥς τοι ἐγὼν ἐνόμευον ἀν' ὥρεα τὰς καλας αἶγας,
φωνᾶς εἰσαΐων· τὺ δ' ὑπὸ δρυσὶν ἢ ὑπὸ πεύκαις
ἁδὺ μελισδομένος κατακέκλισο, θεῖε Κομάτα.

Profecto vel ipse numerorum cursus ac tenor habet aliquid canorum ac profluens, quod libere suis spatiantem campis deceat. Ac nescio an nemo unquam

[d] Theocr. *Idyll.* 6. 6.

[e] *Ibid.* 7. 78.

Poeta felicius expresserit animum cum voluptate assuetum æstivis illis rusticorum deliciis.

Ecquod igitur habemus, quod his adeo sit contrarium, ut eveniat tandem anceps Theocriti indoles, nec satis constet, an ille cecinerit ruris amore, an gloriæ ac mercedis? Habemus vero; et eas quidem causas, quæ, ut in tali re, conjecturam afferre videantur satis probabilem. Theocritus, si fides Grammaticis, cum jam adulta esset et ætate et fama, sive ex insula Co, sive ex Sicilia, migravit Ægyptum, in aulam Ptolemæi regis. Itaque erit duplex quasi series carminum ejus; nam partim domi sunt scripta, cum sylvas et rura quæ caneret ipse adhuc habebat ante oculos; partim Alexandriæ, mutata penitus cum regionibus vivendi quoque ratione. Debuit itaque sylvarum ac ruris amor, siquidem germanus erat atque ex imo corde manaverat, posteriora pariter ac prima sapore quodam suo imbuere. Quid si quando alienior forte a rure tranquillo proponebatur materia? si laudandus Ptolemæus, si celebranda Pollucis victoria cæstu parta, si ab Hercule domandum erat vel infante viperarum par, vel adulto portentum illud Nemeæi leonis? Petendi tamen erant ex Sicilia atque ex colonorum vita colores et lumina, et quæ vocantur similia. Sed vereor ne in urbanis et aulicis Theocriti requiras plane memoriam illam ruris. Poterat admisceri tale aliquid opportune satis illi duntaxat carmini, cui nomen Ἀδωνιάζουσαι; cum et Syracusanæ colloquerentur mulieres, et Dorica lingua, et Adonidis horti depingerentur. Sed nihil plane ibi reperio, quod pertineat ad Siciliam, nisi forte excipias dulcissimum illud [f],

χλωραὶ δὲ σανίδες, μαλάκῳ βριθοῦσαι ἀνήθῳ,

[f] Theocr. *Idyll.* 15. 118.

δέδμανθ'· οἱ δέ τε κῶροι ὑπερποτόωνται Ἔρωτες,
οἷοι ἀηδονιδῆες ἀεξομένοι ἐπὶ δένδρων
πωτῶνται, πτερύγων πειρώμενοι, ὄσδον ἀπ' ὄσδω.

Ea porro nænia, quæ inscribitur Ἡρακλίσκος, etsi lyricum quendam splendorem ac prope Pindaricum præ se fert, (immo ex primo Pindari Nemeæo filum ejus deduci crediderim;) dubitem tamen, an ulla ex parte servet simplex illud ac Doricum, ac Theocriti nostri proprium. Ne multa, sic ferme sentio; viguisse in illo scriptore, diversis temporibus, duplicem quodammodo indolem; primam quidem illam, veramque magis ac vivam, qua ferebatur ad rura, agrestesque delicias; alteram deinde, quæ omnia voluerit ad Homericam effingi normam, idque non tam ex animi sui, quam e Ptolemæi regis, vel forte ex sæculi istius, sententia.

Nam illam quidem conjecturam missam facio, quæ mihi nonnunquam (fatebor enim) venit in mentem; Theocrito fortasse non recte tribui omnia, quæ sub nomine ejus hodie se venditare solent. Quod ut in multis sit verisimile, Συρακόσιας tamen illas a nemine potuisse scribi præter unum Theocritum, ut siquid aliud, constanter affirmem. Manet itaque, ultima ejus non bene respondere primis: quæ res nescio sane an maximam habeat significationem animi nullo prorsus amore capti.

Atque hæc quidem prope hæsitans dixerim: sequitur illud, quod luce manifestius videre mihi videor, Theocritum crassa quadam ratione, atque eorum prope ritu, qui omnia sensu metiuntur, ad pulcherrimas hasce Naturæ partes accessisse. Ac suspicor eo vitio laborare universam fere veterum Poesin, præter unius forsan Æschyli carmina; quasi quædam nota sit penitus inusta insanis eorum reli-

gionibus. Neque veteres soli, verum qui his quoque temporibus proxime institerunt eorum vestigiis, quique adeo elegantissimi habentur, mirum quam procul abierint a veris naturæ deliciis. Nempe fœdissima hac labe infectos esse video omnes, quod ad voluptarium illud genus et plane corporeum referri velint, quicquid in hoc cæli ac terrarum spectaculo sive oculos sive aures mortalium suavius tangat. Ea mente Aristophanes, ea Catullus, ea (quod maxime dolendum) festivissimus omnium Horatius contulit se ad flumina et ad sylvas, ut non tam ægri animi requiem, quam libidinosi fomentum quæsisse videatur. Fuerint itaque præ cæteris omnibus vel sententiarum comitate vel numerorum lepore laudandi; at germanis tamen ruris amatoribus neutiquam ascribi eos velim, ut qui non ruris et naturæ causa rusticas et naturales res amaverint, sed tantum propter suas quasdam lautitias, quas rure potissimum præsto sibi fore existimarent.

Jam in istorum velut Epicureorum censu ponendum fore Theocritum cogor vel invitus fateri, partim quia pastores ejus solent dicenda tacenda proloqui, sine modo, sine religione; quæ res cum in Virgilio atque in cæteris sit molestissima, at parcius tamen multo adhibetur quam in hujus nostri Idylliis. Dicas plane illos ex formula quadam loqui, atque ex imitandi necessitate: Theocritum Genio magis suo indulgere.

Est præterea, quo in hac re maxime me commoveri fateor, (etsi nequeo, quod dicitur, monstrare, et sentio tantum,) est color quidam per omnia ferme ejus scriptoris opera diffusus; non inurbanus ille quidem, neque suo carens lepore; quem tamen cum in-

tegro et sincero naturæ studio minime convenire dixerim. Et quoniam in omni hoc genere optime semper docent exempla, videamus in eo poemate, cui nomine Θαλύσια, quibus potissimum oculis Theocritus ruris et Naturæ apparatum aspexerit. Non alio magis carmine declarat scriptor, quid sua poscat indoles; nusquam liberius vagari se sinit, pro varietate, ut fit, colloquii; nusquam numeris fluit facilior. His itaque res ea concluditur, habito prius certamine quodam musico, et sermone satis procaci [g]:

αὖταρ ἐγών τε καὶ Εὔκριτος ἐς Φρασιδάμω
στραφθέντες, χὡ καλὸς Ἀμύντιχος, ἔν τε βαθείαις
ἀδείας σχίνοιο χαμευνίσιν ἐκλίνθημες,
ἔν τε νεοτμάτοισι γεγαθότες οἰναρέοισι.
πολλαὶ δ' ἄμμιν ὕπερθε κατὰ κράτος δονέοντο
Αἴγειροι πτελέαι τε· τὸ δ' ἔγγυθεν ἱερὸν ὕδωρ
νυμφᾶν ἐξ ἄντροιο κατειβόμενον κελάρυσδε.
τοὶ δὲ ποτὶ σκιαραῖς ὀροδαμνίσιν αἰθαλίωνες
τέττιγες λαλαγεῦντες ἔχον πόνον· ἁ δ' ὀλολυγὼν
τηλόθεν ἐν πυκινῇσι βάτων τρύζεσκεν ἀκάνθαις·
ἄειδον κόρυδοι καὶ ἀκανθίδες,ἔστενε τρυγών·
πωτῶντο ξουθαὶ περὶ πίδακας ἀμφὶ μελίσσαι·
πάντ' ὦσδεν θέρεος μαλὰ πιόνος, ὦσδε δ' ὀπώρας·
ὄχναι μὲν πὰρ δ' ποσσὶ, παρὰ πλευρῇσι δὲ μᾶλα
δαψιλέως ἄμμιν ἐκυλίνδετο· τοὶ δ' ἐκέχυντο
ὅρπακες βραβύλοισι καταβρίθοντες ἔρασδε·
τετραένες δὲ πίθων ἀπελύετο κρατὸς ἄλειφαρ.

Deinde, quam urbane ludit in veterum fabularum memoria, atque in sonitu heroici carminis!

νύμφαι Κασταλίδες Παρνάσιον αἶπος ἔχοισαι,
ἆρα γέ πᾳ τοιόνδε Φόλω κατὰ λάϊνον ἄντρον
κρατῆρ' Ἡρακλῆϊ γέρων ἐστάσατο Χείρων;
ἆρά γε πᾳ τῆνον τὸν ποιμένα τὸν ποτ' Ἀνάπῳ,
τὸν κρατερὸν Πολύφαμον, ὃς ὤρεσι νᾶας ἔβαλλε,
τοῖον νέκταρ ἔπεισε κατ' αὔλια ποσσὶ χορεῦσαι,

[g] Theocr. *Idyll.* 7. 131.

οἷον δή τόκα πῶμα διεκρανώσατε, Νύμφαι,
βωμῷ πὰρ Δάματρος ἀλωάδος; ἇς ἐπὶ σωρῷ
αὖθις ἐγὼ πάξαιμι μέγα πτύον· ἁ δὲ γελάξαι,
δράγματα καὶ μάκωνας ἐν ἀμφοτέρῃσιν ἔχοισα.

Profecto ut ille apud Virgilium

Impiger hausit
Spumantem pateram et pleno se proluit auro,

sic cum illa pangebat carmina, hausit quodammodo Scriptor agrestes delicias, plenoque, ut ita dicam, se rure proluit: ita tamen, ut nemini sit obscurum, sensisse eum magis cum uno quovis aratore vel fossore, quam cum iis, qui ruri se dedunt latebrarum et perfugii causa, fessi vel studiis vel negotiis. Siquis igitur mecum judicaverit ex hoc uno maxime Idyllio petendum fore Theocriti exemplar et specimen, illi non erit in dubio, id quod hodie doceri volebam, Siculam Musam Virgilianæ non tam cantando præivisse, quam cantus materiam paravisse. Proinde Poeseos illius, quæ in rure et in natura versatur, initia non ab iis ducenda erunt, qui pastorales primi scripsere cantilenas, sed ab iis potius, qui primi nequierunt isto solatio carere: qui nemora, agros, prata non opulentiæ sed tranquillitatis ergo adamarunt.

Denique ne cui mirum esse videatur, qui scriptor et hodie legentes adeo vehementer commoveat, et Virgilio, tali viro, dederit magna ex parte origines carminum, illi denegari a nobis primariorum laudem; meminerint velim homines, vix fieri posse, in omni hac quæstione de re poetica, quin sæpius imprudentes et inscii misceant suos cum eorum qui scripserunt affectibus. Ut in venarum pulsu, non facile semper discernat aliquis, ad se an ad alium pertineant singuli ictus; sic ferme se res habet, in hac confusione

et commistione animorum. Quicunque vel aliqua dulcedine memoriæ, vel naturæ quasi quodam afflatu, ultro feruntur in rura atque in sylvas, his necesse est vel ipsa mentio rerum quas amant commoveant animos, quasi coram oculis spectatarum. Iidem mox scriptoris ingenio tribuent fortasse eum calorem, quem tamen pariter essent concepturi, quoquo forte modo coram se res adducerentur. Ita fiet, ut amore prosequatur mediocrem quoque Poetam maxima pars hominum, modo rustica rustice enarret, naturalia sincere; neque facile ferent, numero eorum qui nati sunt Vates talem eximi: qui tamen vix alio jure ascribi possit divino ordini, ac si colonorum unus sit aliquis, qui quæ narrentur, eadem præsens faciat. Verbi gratia: apud Theocritum canem suum increpat Pastor propter intempestivum somnum, plane ex usu quotidiano agrestium virorum [h].

> *ὦ Λάμπουρε κύων, οὕτω βαθὺς ὕπνος ἔχει τύ;*
> *οὐ χρὴ κοιμᾶσθαι βαθέως σὺν παιδὶ νέμοντα.*

Non potuit simplicius: eodem plane res redit, ac siquis eadem verba dici audiat, vel in stabulis vel in agro. Siquid igitur habet ille versus, quod animum commoveat quo more solet Poesis, quod habet certe pluribus de causis; erit in dubio, Poeticus ille sensus utrum ad Scriptorem an vero ad legentem pertineat. Atque hoc exemplum latissime patet: ut ne neget aliquis se intelligere admoventem alii stimulos quibus ipse careat; neve miretur, imitatorem Virgilium propius abesse a fontibus suæ Poeseos, quam Theocritum, generis auctorem et principem.

Vos autem, Academici juvenes, neutiquam eritis

[h] Theocr. *Idyll.* 8. 65.

a me admonendi, quam graviter intersit Poeticæ quoque hujus voluptatis, ut suum quisque animum tueatur omni modestia, simplicitate, castimonia. Sic enim ne jejuniorum quidem lectio carebit suo fructu: quod contra, voluptariis et impuris suos odores negabit et Natura et interpres Naturæ Poesis.

PRÆLECTIO TRIGESIMA SECUNDA.

Ejus Poeseos, quæ ad naturam pertinet, ponitur præcipua quædam partitio, datis in specimen hinc Lucretio, illinc Virgilio. Lucretio cum primis placere, siquid habet arcani et infiniti Natura; ætheris tum spatia tum candorem; ventorum atque lucis mobilitatem. Exinde adamasse eum Epicuri rationem.

NON sum nescius, Academici, subtiliorem plerumque esse ac tenuiorem poeticarum harum deliciarum rationem, quam quæ facile certa aliqua formula, verbisve conceptis contineri possit. Occurrit videlicet quoquo te vertas illud, *Quod nequeo monstrare, et sentio tantum.* Vereor autem, ne nulla ex parte magis laborare videantur ii, qui de hisce rebus edicta promulgare amant, quam ubi ventum est ad rem rusticam, atque ad eorum Poetarum causam, qui in fluminibus sylvisque versati sunt.

Nam curæ quidem hominum et negotia, tam bellica quam civilia, tam publica quam privata, habent suum sibi quodque; habent, quod proprium sit unicuique ac præcipuum. Dicas plane, hunc nautica, illum militari gloria capi, efferrique: huic gymnasium placere, alteri curiam, tertio, si fors ita tulerit,

Academi umbras. Contra, qui specie Naturæ pascunt oculos, eorum vel eadem ferme omnium ratio et indoles esse videatur, vel ita certe diversa, ut nullo unquam limite satis manifesto secernere possis unum ab altero.

Verum enimvero, sicut aiunt neminem omnium esse mortalium, qui non ipso quoque motu gestuque et perparvis ejusmodi notis differat plane a cæteris omnibus, ita qui ruris et naturæ amore contulerunt se ad carmina scribenda, necesse est habeant suam quisque indolem, quam primis certe lineamentis adumbrare possis: duntaxat ad hoc, ut semel depicto uno aliquo alteroque de primariis, extent quasi quædam exemplaria, quo referantur minorum formæ ac facies. Atque hoc illud erat, quod non ineptum fore putabam, si proponerem vobis hodie, conjectura quærendum, quid inter Virgilii et Lucretii rationes unum maxime interesse videatur. Nam antea docuimus, ex his duobus non male duci exordia ejus Poeseos, quæ unice pertinet ad cæli terræque faciem, atque ad Naturæ arcana.

Itaque ut illud statim attingam, quod in hac quæstione primas semper tenebit: duplici ferme ratione mentes atque affectus hominum acerrime commovere solet Naturæ facies; vel propter causas rerum penitus ferme latentes atque abditas, quas ubi semel divinare cœperit animus, expleri nequit, diu multumque mirando:—*τὸ γὰρ μανθάνειν ἡδὺ, καὶ τὸ θαυμάζειν*·—vel propter imaginem quandam quietis et otii, quo se refici tandem ac recreari sentiunt homines, siqui res gestas, vitæque negotia, aut semper oderint, aut satietate jam refugiant. Hos obscuriora, illos juvant secura: atque adeo videmus, qui homines identidem removere se soleant in rus-

ticæ vitæ secreta, eosdem plerumque se dedere partim indagandæ Naturæ, partim fruendæ.

Jam hoc ipso, ni fallor, discrimine, secernitur potissimum a Virgilio Lucretius, quod alter Naturam libens contemplatur, velut adytum quoddam arcanis religionibus plenum, quarum omnium ea sit ratio, ut neque ulli se ostendant, nisi bene purgato per philosophiam oculo, et optime etiam præparatis in infinitum abire videantur: alter, ipsa dulcedine captus, velut puer, nihil ultra quærit, modo liberis ferri possit campis, cæloque ac sole aperto, nulla solicitudine, nullo strepitu, spatiari. Illum intelligas, quacunque oculos circumferat, argumenta ac causas venari, quarum opera tueri possit magistri sui commenta semel a se adamata: hunc contra sinere in rus se deferri, quasi in portum aliquem, ut qui constantissime jubeat sua sibi habere, non divites modo et publici consilii participes, verum etiam philosophorum quoque catervas omnes et dialecticorum.

Quid multa? Virgilius ipse, ut opinor, tale aliquid non obscure significat, celebrato illo et pulcherrimo carmine,

> Felix qui potuit rerum cognoscere causas,
> Atque metus omnes et inexorabile fatum
> Subjecit pedibus, strepitumque Acherontis avari.
> Fortunatus et ille, Deos qui novit agrestes,
> Panaque, Sylvarumque senem, Nymphasque sorores.

Satin' manifesto declarare nobis videtur duplicem illam quam quærimus vim ejus Poeseos, quæ ad Naturam pertinet? Quasi dicat, "Vellem equidem, si per mediocritatem meam liceret, Lucretianis me adjungere partibus. Verum sentio, diversam omnino commendari mihi a Natura provinciam: dulcia videlicet, pulchra, tenera, quæ circum undequaque in-

currere solent in oculos; his me consolabor, ad hæc refugiam, misso genere illo profundo, gravi, severo."

Quo in loco animadvertatis velim significationem minime dubiam εἰρωνείας, quam vocant, Virgilianæ. Nimirum ea gravitate ac sonitu verborum negat Poeta se isti argumento sufficere, ut palam fiat, eum, modo velit, in illo quoque plurimum posse.

> Me vero primum dulces ante omnia Musæ,
> Quarum sacra fero ingenti perculsus amore,
> Accipiant, cælique vias ac sidera monstrent,
> Unde tremor terris, qua vi maria alta tumescant
> Objicibus ruptis, rursusque in se ipsa residant,
> Quid tantum Oceano properent se tingere soles
> Hyberni, vel quæ tardis mora noctibus obstet.

Eas videtur sibi partes eligere disputationis universæ de rerum natura, quas vel omiserit Lucretius, vel minus accurate tractaverit. Sed tentatis modo paulisper viribus, se in sua lætus lubensque recipit.

> Sin, has ne possim Naturæ accedere partes,
> Frigidus obstiterit circum præcordia sanguis,
> Rura mihi et rigui placeant in vallibus amnes,
> Flumina amem sylvasque inglorius.

Hæc trita et pervulgata omnibus idcirco memoravi hoc loco, quod scilicet e re nostra fore putabam, si Virgilium ipsum excitare possem, idoneum sane de se et Lucretio testem. Jam, quod ad summam Lucretiani poematis attinet, intelligo duplicem ferme causam hodie a nobis suscipi. Primo docemus, haberi debere illum in numero eorum, quibus fuerit præcipuus Naturæ ac ruris amor: deinde ex ea potissimum parte Naturam ipsam ab eo spectari, quæ præ se fert arcanum ac dubium aliquid, incerta lege, limite infinito, obscuris ut plurimum partitionibus. Nam utrique parti hujus sententiæ non deest quod opponi et objici possit.

Principio, cui non statim occurrat, obscuriorem esse universam hanc de rerum natura *θεωρίαν*, et alieniorem ab omni poetico sensu, cum nihil in se habere videatur eorum quæ agunt homines, magnam vero partem in eo versetur, ut mentes nostras ab aurium oculorumque judicio, atque ab omni hac rerum externa specie revocet, et in exilia quædam philosophiæ spatia convertat? Verbo dicam: omnia profecto ponas licet in hoc argumento, quæ dici solent, quoties disputatur de mathematicis physicisque rebus, deque implacabili (sic enim loquuntur) discidio, quo genus illud omne a Poetarum studiis et rationibus separatur.

Neque vero in illud effugere licebit, ut dicamus, indolem propriam Poetæ non bene cum materie carminis convenire; itaque diverticula omnia et exitus ab eo cupide arripi, si qua possit identidem elabi, seque in loca desiderata conferre: sicut in Æneide sua fecit Virgilius ut inter bella et heroicos tumultus tacita quadam ruris memoria se delectaret. Hujusmodi, inquit, effugium parare non sinit nos Lucretii causa: quippe qui formulam semel conceptam, siquis alius, ex animi sententia tenere, inculcare, augere soleat; neque unquam ulla re facile patiatur a sua philosophia diutius se distineri. Immo etiam (qua re mirifice eum a Virgilio differre dixerim) nullo quod sciam tempore, ne animi quidem causa, præbere videtur significationem ullam ludentis. Velis equisque, ut aiunt, renuit refugitque omnem omnino *εἰρωνείαν*. Nunquam videas ludere eum cum simulacris et corpusculis suis, velut cum apibus cumque armentis Virgilium. Immo in his rebus severissimum ubique agit magistrum; quasi qui plane significet, non facile se laturum, si quis ludibundus ad

eam aggrediatur materiam. Atque hoc fortasse latius patet: nunc id tantum moneo, magnam inde significationem dari, fuisse Lucretium, ut qui maxime, serio intentum in suam qualemcunque philosophiam; non itaque ejus tædio recepisse se in flumina ac sylvas.

Quid si doceo, necessitudine non levi conjuncta fuisse duo hæc genera, neque aliam ferme ob causam placuisse Lucretio Epicurea ista somnia, atque universam hanc terrarum cælique faciem? Omnino, qui propius paullo inspiciet, inveniet eum ita se Naturæ addicere, ut non tam libenter adumbrare soleat delicatos ejus flexus, tenera colorum lumina, ridentes angulos, quam si quæ vasta sint, profunda, obscura, infinita; si ab aspectu ejus longe lateque in omnes partes exire videantur; si cæco itinere pervadant rerum latebras; si foraminibus nescio quibus se erumpant identidem, incerto tempore. Quid quæritis? *τὸ ἄπειρον* omni desiderio ac mente prosequitur.

Videte vero, an tale aliquid significent eximii de Summa (quam vocat) Summarum versus; quorum liceat hic ponere de pluribus unum atque alterum [a].

Ante oculos rem res finire videtur:
Aer dissepit Colles, atque Aera montes;
Terra mare, et contra mare terras terminat omnes:
OMNE quidem vero nihil est quod finiat extra.
Est igitur natura loci, spatiumque profundi,
Quod neque clara suo percurrere flumina cursu
Perpetuo possint ævi labentia tractu;
Nec prorsum facere, ut restet minus ire, meando:
Usque adeo passim patet ingens copia rebus,
Finibus exemptis in cunctas undique partes.

Proinde imagine hac semel concepta Loci nullis

[a] Lucr. I. 997.

terminis circumscripti mirum quantum se delectare soleat, quasi qui libero ac soluto cursu emitti se sentiat, et ferri per immensum Inane: quæ ratio est ejus voluptatis (si tamen ea voluptas est appellanda) qua fruuntur puerorum præsertim animi, quoties in specula quavis excelsa positis venit in mentem, ut fit, dejiciendi sese, atque insiliendi in Aera apertum, vacuumque. Hujusmodi certe φαντασίαν præ se ferunt ea, quibus argumentatus erat paullo superius in eodem de infinito spatio sermone [b].

Si jam finitum constituatur
Omne quod est spatium, si quis procurrat ad oras
Ultimus extremas, jaciatque volatile telum,
Id validis utrum contortum viribus ire
Quo fuerit missum mavis, longeque volare,
An prohibere aliquid censes, obstareque posse?
Alterutrum fatearis enim, sumasque necesse est,
Quorum utrumque tibi effugium præcludit, et Omne
Cogit ut exempta concedis fine patere.
Nam sive est aliquid, quod prohibeat, afficiatque,
Quo minu' quo missum 'st veniat, finique locet se,
Sive foras fertur, non est ea fini' profecto.
Hoc pacto sequar, atque oras ubicunque locaris
Extremas, quæram quid telo denique fiat.
Fiet uti nusquam possit consistere finis,
Effugiumque fugæ prolatet copia semper.

Qui ista cecinit, facile eum crediderim, sicut puerum sub dio, cum voluptate per extremas rerum oras exspatiari, ipso liberi vagique impetus amore.

Quid, quod in cælo seu nubibus operto sive liquido et sereno tam cupide semper defigit oculos? quod delectatione satiari non potest, quoties aspiciendum est "hoc sublime candens," ut cum Ennio magistro ejus loquar? Atque etiam quodam loco mirari se ait, quo tandem fiat pacto, ut ullo tempore desinant

[b] Lucr. 1. 967.

homines spectare cælum cum stupore quodam et gaudio [c].

Nil adeo magnum, nec tam mirabile quicquam
Principio, quod non minuant mirarier omnes
Paullatim: ut Cæli clarum, purumque colorem,
Quemque in se cohibent palantia sidera passim,
Lunæque, et solis præclara luce nitorem:
Omnia quæ si nunc primum mortalibus adsint,
Ex improviso ceu sint objecta repente,
Quid magis his rebus poterat mirabile dici,
Aut minus ante quod auderent fore credere gentes?
Nil, ut opinor; ita hæc species miranda fuisset:
Quum tibi jam nemo, fessus satiate videndi,
Suspicere in cæli dignatur lucida templa.

Profecto hæc quamvis Epicurea multis numeris antecellunt Stoicum illud, *Nil admirari.* Quam formulam, ut breviter admoneam, Horatius quoque videtur perstringere. Queritur enim, pervagata sententiola, esse

Qui formidine nulla
Imbuti spectent....................
.... Hunc solem, et stellas, et decedentia certis
Tempora momentis,

cum tamen idem attoniti stupeant terræ et oceani muneribus, purpuræ, gemmarum, aurique gazis. Quod si pinguis ille ac nitidus, vereque dictus Epicuri de grege, non tulit ἀπαθείᾳ minui et extingui naturæ hujus universæ amorem; quid, obsecro, his hominibus facturum esse censetis Lucretium, talem virum, tam acri animo, tam vehementer in quaslibet partes commoto? Immo ut id quod sentiam dicam, quis scit, an id ipsum cumprimis fuerit in causa, cur apud veteres elegantior quisque facilius plerumque se adjunxerit Epicuri partibus, quam Zenonis? Illa certe ratio, quæ tantam posuit operam in externo hoc rerum ordine describendo, etsi plus æquo

[c] Lucr. 2. 1027.

tribuerit sensibus, accessisse tamen propius putanda est ad studia et indolem Poetarum, quam ea, quæ totam ferme se jejuna quadam subtilitate verborum implicuit. Physicorum, ut uno verbo dicam, arctior multo erat necessitudo cum Musis, quam Dialecticorum.

Sed revertamur ad Lucretium, atque in ejus indolis specimen pauca jam adducamus alia, quibus ille laudes canebat infiniti atque lucidi Ætheris; ut qui mirifice delectaretur partim puro ejus candore, partim immenso sine mora et limite spatio. Itaque audite in quinto libro origines ejus, quasi carmine matutino, narrantem [d].

Per rara foramina terræ
Partibus erumpens primus se sustulit Æther
Signifer, et multos secum levis abstulit ignes:
Non alia longe ratione, ac sæpe videmus,
Aurea cum primum gemmantes rore per herbas
Matutina rubent radiati lumina Solis,
Exhalantque lacus nebulam, fluviique perennes;
Ipsa quoque interdum Tellus fumare videtur:
Omnia quæ sursum cum conciliantur in alto,
Corpore concreto subtexunt nubila cælum.
Sic igitur tum se levis ac diffusilis Æther
Corpore concreto circumdatus undique sepsit,
Et late diffusus in omnes undique partes,
Omnia sic avido complexu cætera sepsit.

Hæc ipsam quodammodo redolere dixeris Auroram: deinde post paullo summi ejus Orbis tranquillitatem mollissimo illo carmine prædicat.

Inde mare, inde aer, inde Æther ignifer ipse,
Corporibus liquidis sunt omnia pura relicta;
Et leviora aliis alia, et liquidissimus Æther,
Atque levissimus aërias super influit auras;
Nec liquidum corpus turbantibus aëris auris
Commiscet; sinit hæc violentis omnia verti
Turbinibus; sinit incertis turbare procellis:
Ipse suos ignes certo fert impete labens.

[d] Lucr. 5. 458.

Nam modice fluere, atque uno posse Æthera nisu,
Significat ponti mare, certo quod fluit æstu,
Unum labendi conservans usque tenorem.

Hæc more tantum non Aristotelico extulit. Quippe Aristotelis sententia erat, nulli unquam mutationi obnoxium fore neque orbem supernum neque ullos ejus incolas [e]. *Οὐδ' ἔστιν οὐδενὸς οὐδεμία μεταβολὴ τῶν ὑπὸ τὴν ἐξωτάτω τεταγμένων φοράν· ἀλλ' ἀναλλοίωτα καὶ ἀπαθῆ, τὴν ἀρίστην ἔχοντα ζώην καὶ τὴν αὐταρκεστάτην διατελεῖ τὸν ἅπαντα αἰῶνα.* Adeo somniantium quoque philosophorum placita divinitus quodammodo præ se ferebant significationem aliquam sanctissimæ veritatis.

Neque alio pertinere videbitur decantatum illud de Diis Epicuri carmen [f].

Omnis enim per se Divum natura necesse est
Immortali ævo summa cum pace fruatur.
Nam privata dolore omni, privata periclis,
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.

Porro, qui tam cupido cursu prosilit quodammodo in spatium inane cælorum, mirum ni idem præcipue gaudeat luce etiam eorum et simplici nitore. Qua in materie primarium illud de continuo radiorum fluxu; quod etiam, sicut multa apud nostrum, non male quadrare videtur cum hodierna physicorum ratione [g].

Quodcunque fluit de rebus, id omne
Aeris in magnum fertur mare: qui nisi contra
Corpora retribuat rebus, recreetque fluentes,
Omnia jam resoluta forent, et in aëra versa.
Haud igitur cessat gigni de rebus, et in res
Recidere assidue, quoniam fluere omnia constat.
Largus item liquidi fons luminis, Ætherius Sol,
Irrigat assidua cælum candore recenti,
Suppeditatque novo confestim lumine lumen.

[e] *De Mundo.* [f] Lucr. I. 57. [g] *Ibid.* V. 276.

Est etiam quod miris modis capiat animum et in sublime erigat, ubi de sideribus tanquam aere palantibus diversa hæc quasi proponit auguria; proferam enim pauca de multis [h].

Est etiam quoque, uti possit cælum omne manere
In statione, tamen cum lucida signa ferantur.
Sive quod inclusi rapidi sunt Ætheris æstus,
Quærentesque viam circumversantur, et ignes
Passim per cæli volvunt se immania templa;
Sive aliunde fluens alicunde extrinsecus aër
Versat agens ignes; sive ipsi serpere possunt,
Quo cujusque cibus vocat, atque invitat euntes,
Flammea per cælum parcentes corpora passim.

Cui non eximia videatur species illa quasi gregis latissime dispersi per immensum Ætheris campum? præsertim si quibus idem ultro, puerili fortasse ætate, in mentem venerit: id quod bene multis accidisse crediderim.

Denique non leviter arrigit se Lucretius, lætusque ac lubens ex se quodammodo eripitur, quoties velocissimi motus forte incidit mentio. Itaque tertia illa species non inepte conjungi possit cum iis quæ modo memoravimus: cum liquida videlicet luce, spatioque infinito. Verbi gratia, accipite lucidissimum carmen de mobilitate materiæ; quod et ipsum habet rationem matutinæ cantilenæ [i].

Primum Aurora novo cum spargit lumine terras,
Et variæ volucres nemora avia pervolitantes,
Aera per tenuem liquidis loca vocibus opplent,
Quam subito soleat Sol ortus tempore tali
Convertire sua perfundens omnia luce,
Omnibus in promptu, manifestumque esse videmus.
At vapor in quem Sol mittit, lumenque serenum,
Non per inane meat vacuum, quo tardius ire
Cogitur, aërias quasi cum diverberet nudas;
Nec singillatim corpuscula quæque vaporis,
Sed complexa meant inter se, conque globata.

[h] Lucr. 5. 518.

[i] *Ibid.* 2. 143.

Quapropter simul inter se retrahuntur, et extra
Officiuntur, uti cogantur tardius ire.
At quæ sunt solida primordia simplicitate,
Cum per inane meant vacuum, nec res remoratur
Ulla foris, atque ipsa suis e partibus unum,
Unum in quem cœpere locum connixa feruntur,
Debent nimirum præcellere mobilitate,
Et multo citius ferri, quam lumina Solis.

Ex his omnibus effici videtur id, quod jamdiu spectat oratio hæc nostra: ideo fortasse Lucretio placuisse Epicurea illa de summa rerum commenta, quæ nobis meliora edoctis tam frigida ac jejuna solent videri, quod sibi quodammodo cognata et commista habeant somnia, seu potius simulacra appelles, ab eo tam vehementer adamata, de spatio illo infinito, profunda luce, multitudine prorsus innumerabili. Fingamus videlicet insuevisse eum, puer cum esset, aeriis editisque locis, unde prospectus sive in Oceani sive in cælorum profunda latissimus pateret. Num cui dubium erit, voluptarium quoddam ei fuisse, quoties propius cogitando intueretur liberum illud vastumque Inane, cujus tantæ sunt partes in doctrina ac literis Epicuri? Fuerit rursus idem elegans, ut ita dicam, ætheris solisque spectator; fuerit istis præditus oculis, qui avide prosequantur diei vel ortum vel occasum: crediderim ea cum primis illi viro placitura, quibus se sedulo exercebat Epicuri schola, postquam ei semel occurrerat somnium illud de simulacris et imaginibus, e quaque re huc illuc emissis. Jam, quod ad mobilitatem attinet, minime vos eritis a me docendi, fuisse in rapidissimo illo Seminum quæ vocantur cursu, quod altius insidere debuerit in mentem ejus Poetæ, cui fuerint in deliciis ii motus, quos habet cunque velocissimos universa Natura: tempestatum videlicet, fulminum, radiorum lucis.

Denique omnem hanc Epicuri quasi machinam agitat alitque nescio quæ vis, quam qui fatalem esse negant, veram tamen sentiunt, omnique potentia majorem: quî ergo fieri potuit, quin ea se delectaret, qui obscurarum Naturæ virium significationes longe lateque dispersas cupide accipere solitus esset a primis præsertim annis? Verbi gratia: considerate, quæso, quæ habentur ipso totius disputationis exordio de cœca ventorum potestate [k].

Principio, Venti vis verberat incita pontum,
Ingentesque ruit naves, et nubila differt:
Interdum rapido percurrens turbine campos
Arboribus magnis sternit, montesque supremos
Silvifragis vexat flabris; ita perfurit acri
Cum fremitu, sævitque minaci murmure pontus.
Sunt igitur Venti nimirum corpora cœca,
Quæ mare, quæ terras, quæ denique nubila cæli
Verrunt, ac subito vexantia turbine raptant.

Deinde cum aquarum decursu rem comparat, velut is, cujus aures bene didicerint, optime concordare sonitus sylvarum marisque, cum utrique insint indicia non dubia virium plusquam humanarum.

Nec ratione fluunt alia, stragemque propagant,
Quam cum mollis aquæ fertur natura repente
Flumine abundanti, quod largis imbribus auget
Montibus ex altis magnus decursus aquaï,
Fragmina conjiciens sylvarum, arbustaque tota....
Dat sonitu magno stragem, volvitque sub undis
Grandia saxa, ruit, qua quicquid fluctibus obstat.
Sic igitur debent Venti quoque flamina ferri,
Quæ veluti validum flumen, cum procubuere
Quamlibet in partem, trudunt res ante, ruuntque
Impetibus crebris: interdum vortice torto
Corripiunt, rapidoque rotantia turbine portant.

Quinetiam, ni fallor, fatetur ipse Lucretius, propterea se, amore quodam præcipuo, in Epicuri castra

[k] Lucr. I. 272.

ferri, quod in hoc, quod diximus, genere immenso et infinito versetur potissimum ejus viri philosophia. Hinc toties repetitum illud [l],

Ergo vivida vis animi pervicit, ex extra
Processit longe flammantia mœnia Mundi,
Atque omne immensum peragravit mente animoque.

Porro, quæ maxime res magistro laudi fuerit, eandem docet discipulis fore solatio [m].

Diffugiunt animi terrores; mœnia mundi
Dissiliunt; totum video per Inane geri res.
Apparet Divum numen, sedesque quietæ,
Quas neque concutiunt venti, neque nubila nimbis
Adspergunt, neque nix acri concreta pruina
Cana cadens violat, semperque innubilus æther
Integit, et large diffuso lumine ridet.

Deinde gratulatur, duce eo atque inventore, viam patere non in excelsa solum, verum etiam in profunda et abdita.

Nec Tellus obstat, quin omnia dispiciantur
Sub pedibus quæcunque infra per inane geruntur.
His tibi me rebus quædam divina voluptas
Percipit, atque horror, quod sic Natura tua vi
Tam manifesta patet ex omni parte retecta.

Habetis, Academici, Poetæ ipsius disertum prope de se suisque carminibus testimonium. Plana jam res est. Addixerat se Epicuro non aliam magis ob causam, quam quod apud illius familiam egregias sibi visus est reperire *φαντασίας*, quarum ope contemplari posset infinitam illam vagamque regionem, immensa ac lucida spatia, incredibilem celeritatem. Merito itaque Ille reponendus est in numero Naturæ amantium, quem ad philosophiam excolendam evocarint ea præsertim, quæ communia videbantur illius philosophiæ cum externa hac terrarum et cæli facie.

[l] Lucr. I. 73. [m] 3. 16.

Quod si conjectura satis probabili retulimus ad amorem naturæ ipsam ferme Lucretianæ Poeseos summam, nihil opus erunt, opinor, permulta exempla in usitato illo genere, quo solent scriptores ejusmodi suam plerumque declarare indolem: qualia nec rara habet Noster, neque ipso (pæne dicam) Virgilio minus Virgiliana. Ecquis omnium exquisita magis arte tetigit in re quaque naturali unicam illam, ut ita nominem, Chordam, qua semel icta, sentimus extemplo universi, resonare quodammodo intus animum nostrum; nisi si quis durior forte exstet, et ad omne hoc deliciarum genus ineptior? Velut in musicis, doctarum aurium judicio, singuli pene sonitus dare dicuntur totius harmoniæ significationem minime incertam. Quo in genere præclarum est illud [n],

—— totum *circumtremere* Æthera signis.

Atque etiam illud de Lychnis,

tremere ignibus instant,
Instant, nec loca lux inter quasi rupta relinquit.

Fortasse etiam non male addideris ea, quæ aliquo in loco sunt dicta de humore sublato ex superficie maris [o];

validi *verrentes* æquora venti
Deminuunt, radiisque *retexens* ætherius Sol:

siquidem credibile est, non temere poni verbum illud "retexens," quin ejus ope rem deduci ad ipsum oculorum judicium. Quippe pertinet ad vaporis quasi fila, quæ cernimus plerumque ab Oceano trahi versus inferiorem nubis oram, qua sub nube Solem ipsum latere novimus: adeo lucidæ istæ lineæ speciem quandam præ se ferunt telam retexentis et singula evellentis fila.

[n] Lucr. I. 1088. [o] 5. 267.

Quod si cui longius hæc esse repetita videantur, in ea tamen laude consentientes habebo omnes, ut prædicent Lucretium nulli secundum, vel facilitate qua viget unica, depingendi versu omnia quæ velit, vel quia parce adeo ac modeste se gerit in ea provincia. Nam et pauca de multis eligit, et ea, quæ coram statim intueatur simplex et virilis indoles. Non suas sectatur delicias: veretur, si fas est dicere, Naturæ majestatem. Itaque duobus maximis viris, utrique in suo genere, palmam præripuit: qui et Virgilium delectu, et facilitate æquiparaverit Ovidium.

Quod superest, quoniam neque pauca sunt, Academici, neque, ut mihi quidem videtur, levia, quæ dici præterea de Lucretio velim; liceat hodierno sermoni velut clausulam addere, quæ habet ille suavissima tum de vita agresti, tum de immatura patrisfamiliæ morte, qui alter ferme est Poetarum campus. Quæ quoties perlego, soleo equidem mirari acutissimam hominis prudentiam, manum de tabula, quod aiunt, ipso tempore summoventis; verum multo acrius me percellit ingenuus ille meræ Naturæ, sine fuco et fallaciis, amor. Audite vero [p]:

Si non aurea sunt juvenum simulacra per ædes
Lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturnis epulis ut suppeditentur,
Nec domus argento fulget, auroque renidet,
Nec citharis reboant laqueata aurataque templa;
At tamen inter se prostrati in gramine molli
Propter aquæ rivum, sub ramis arboris altæ,
Non magnis opibus jucunde corpora curant,
Præsertim cum tempestas arridet, et anni
Tempora conspergunt viridantes floribus herbas.

Postremo, omnium ferme quæ unquam exstiterunt

p Lucr. 2. 24.

super mortuis næniarum vitalem quodammodo saporem sensumque habet brevis illa dulcisque cantilena [q],

"At jam non domus accipiet te læta, neque uxor
Optima, nec dulces occurrent oscula nati
Præripere, et tacita pectus dulcedine tangent:
Non poteris factis tibi fortibus esse, tuisque
Præsidio: miser, O miser," aiunt, "omnia ademit
Una dies infesta tibi tot præmia vitæ."

[q] Lucr. 3. 907.

PRÆLECTIO TRIGESIMA TERTIA.

Lucretium simplicissimo usum fuisse instrumento. Describi a Poetis vel fabulosa vel peregrina, partim ἀναλογίᾳ adhibita, partim propriis communiter dicendis. Exempla ejus peritiæ, sed rariora, apud Lucretium. Delectari eum præsertim nubibus, sylvisque contemplandis. Componi posse eum aliqua ex parte cum laudato Florentino, Dante.

VIDEO me imprudentem ferme in id incidisse, Academici, ut, ubi docerem Lucretio cumprimis placuisse hanc cæli ac terrarum speciem,—quod primum caput erat disputationis de eo susceptæ,—non pauca attulerim, quæ pertinerent ad alteram quoque ejus partem; cujus summa erat, ideo maxime Naturæ se addixisse memorabilem virum, quod apud eam occurreret undequaque nescio quid infinitum et obscurum: vel quoniam, Epicuri certe judicio, potuit mens libera ac soluta vagari per immensa illa et vasta sine limite spatia, "ultra longe flammantia mœnia mundi:" vel propter innumerabilem atomorum chorum, huc illuc in vacuo volitantium: vel denique miræ celeritatis causa, qua ferri agique res omnes omni tempore fuit opinio. Jam aggre-

diamur ad alia quædam, neque hujus materiæ aliena, neque, uti spero, per se prorsus injucunda.

Ac primum illud animadvertamus licet, fieri potuisse ut magna ex parte careret Lucretius non invitus vario illo ac multiplici recentium Poetarum instrumento: quorum videlicet is plerumque est tenor, ut in Natura laudanda nihil ferme se putent egisse, ni inauditum proferant aliquid, suisque tandem aliquando compertum oculis; aut certe singula longe longeque ultra communem modum efferant. Hinc illa tam procul arcessita, nunc ab Indis, nunc ab extremo Occidente: velut ubi vel Ficus Indica[a], vel Americanæ describuntur aves, vel siquid aliud præcipue commendaverit doctis hominibus multorum librorum lectio.

Non quo negaverim, amœnissimam aliquando Poesin in iis plurimum versari rebus, quæ in eorum, qui scripserint, aspectum nullo unquam tempore venerint. Ecquis ferat sententiam adeo ineptam? præsertim apud nos, qui in omni hac materie soleamus Phantasiæ partes vel primas vel certe præcipuas tribuere. Sed hoc ferme intelligo; si qui scriptores in hoc genere carminum egregie præ cæteris placuerint, duabus maxime de causis placuisse; vel quia propria illa semper in se habeant aliquod, quod omnium commune esse videatur et gentium et locorum; vel quia lege quadam (quam vocant) ἀναλογίας notæ res et ignotæ mutuo inter se respondeant.

Atque ut paucis primo explicemus, quid sibi velit hæc quam dicimus ἀναλογία, videmus utique ita variari tum naturalium rerum indolem, tum mores, ingenia, religiones hominum, pro habitu gentis cu-

[a] Vid. *Curse of Kehama*, xiii.

jusque, pro situ locorum, pro fortunarum tenore, ut ad imum tamen servetur mira quædam omnium similitudo. Ex quo efficitur, monstrato quid quisque egerit, non obscurum fore quid idem esset acturus, mutata scilicet ratione rerum ac temporum. Verbi gratia, nemo omnium hac memoria Poetarum propius tetigit affectus hominum, quam Ille qui Thalabæ cecinit pueritiam, errores, redemptam morte victoriam. Atqui is est universæ ejus fabulæ tenor, ut verbo tenus commendet scilicet Turcarum religiones, et Mahumedis portenta. Placuit tamen eadem, semperque, ut opinor, placebit, iis etiam, qui unice colunt piam castamque veritatem: maxime, ni fallor, ob tacitam quandam, ut ita dicam, comparationem, quam mens ultro sibi solet instituere. Dum legimus, sentimus videlicet, qui hoc illove modo fuerit affectus in commentitiis illis sacris, quo animo futurus esset idem, postquam semel solidam ac puram pietatem gustaverit. Immo non alia ferme lege placent sibi hodie pii sanctique viri veterum Poetarum lectione, quam ut liceat uti conversione quadam tacita, quæque apud Homerum fortasse vel Pindarum dicuntur in laudem commentitii Jovis, ea sic accipere, quasi sint obscurius dicta de D. O. M. de vaticiniis Ejus, veroque sacrificio. Adeo utrinque consulitur religioso pudori; vitat oculos germana Pietas, et lucem forensem, velaturque pro re ac tempore, nunc veterum Graiorum apparatu, nunc eorum, qui vel hodie versantur in errore.

Sed infinitus essem, si omnia proferrem, quæ in hac causa dici possent. Nam genus id latissime patet, neque in solis dominatur carminibus, verum in omnibus quoque deliciis, quæ ad humanitatem pertinent. Quorsum illud, (e. g.) quod veterum Tem-

plorum rudera, "religione patrum multos servata per annos," intuentur cum desiderio quodam vel ii, qui numina ipsa et cærimonias, ut qui maxime, metuere solent et odisse? Nempe agnoscunt cœca quædam suæ (quod ait ille) *flammæ vestigia.*

Quid, qui vel tenebris iter faciunt, vel maligna et parca luce, per vias nunquam sibi prius tentatas? Nonne id agunt plerumque, ut regionum, quas prius dilexerint, quærant obscuram quandam similitudinem? Atque adeo magis delectari solent, quam pro rerum ipsarum pulchritudine.

Jam non alia penitus eorum Poetarum est ratio, qui carminibus depingi curant sive arbores seu feras, sive officia hominum seu situs locorum, dimidia parte orbis terrarum, si res ita tulerit, a se suaque notitia dissitos. Vigent præsertim in ea provincia, non qui manu quam laboriosissima nativos ponunt colores habitusque rerum, sed ii magis, qui semel atque iterum exsequi noverunt, tanquam penicilli jactu, ea potissimum, quæ intuentibus carum aliquid ac familiare in animos revocent; tenuiter fortasse et languide, sed revocent tamen. Hoc illud est, ut mihi quidem videtur, quod Virgilianus ille de apibus liber tanta dulcedine animos capit.

Hactenus de ἀναλογίᾳ illa, quæ recte ac bene servata vel maxime videtur esse in causa, cur Poetis aliquando non infeliciter cesserit opera, quam summam posuerint in curiosa illa pictura rerum neque sibi nec suis unquam visarum. Nunc de altero capite videamus, quod ad eosdem pertinere dicebam. Magnum habet poeticæ facultatis argumentum, si fides Horatio, "proprie communia dicere:" nobis autem hodie quodammodo invertendum erit id præceptum, atque illud potius in laude ponendum scriptori-

bus, siquis communiter dixerit propria. Jam, quid sibi velit hoc, communiter propria dicere, exemplis doceam. Fingamus poni ab aliquo Pictore Anglico arbores, feras, oppida, facies hominum atque habitus, quales ipse auguratur fore sive in Africa seu in alia quavis regione. At toti tamen aderit operi superfusus quidam color ejus Naturæ, quæ omnium pariter regionum est et locorum. Aderit cælorum Solisque lumen, maris æquor, flos herbarum, radiorum umbræque alterni lusus. Ita fiet, ut e singulis in universa excurrat animus, neve in frigido moremur et jejuno orbe. Credibile est, eandem fore Poeseos etiam rationem: nempe ita laudari posse ac placere ea carmina, quæ in rure ac natura versantur, si non penitus desit earum rerum obscura quamvis mentio, quæ omni cum sint terrarum orbe diffusæ, omnium pariter commovere solent animos: profundi videlicet vel ætheris vel Oceani, sonantium sylvarum, liquidi aquarum lapsus. Exempli loco nobilissima sit apud ipsum Virgilium pictura, harum omnium rerum Coryphæum [b].

> Est etiam ille malus Calabris in saltibus anguis,
> Squamea convolvens sublato pectore terga
> Atque notis longam maculosus grandibus alvum:
> Qui, dum amnes ulli rumpuntur fontibus, et dum
> Vere madent udo terræ ac pluvialibus Austris,
> Stagna colit, ripisque habitans, hic piscibus atram
> Improbus ingluviem ranisque loquacibus explet.
> Postquam exusta palus, terræque ardore dehiscunt,
> Exilit in siccum, et flammantia lumina torquens
> Sævit agris, asperque siti atque exterritus æstu.

Oculis profecto videre videmur illabentem: ut verum tamen fatear, desidero adhuc aliquid, quod Poetæ

[b] *Georg.* 3. 425.

non Physici more hæc omnia narrari significet. Id proximi versus addunt, et pulcherrime quidem:

> Ne mihi tum molles sub dio carpere somnos,
> Neu dorso nemoris libeat jacuisse per herbam,
> Cum positis novus exuviis, nitidusque juventa,
> Volvitur, aut catulos tectis aut ova relinquens,
> Arduus ad Solem, et linguis micat ore trisulcis.

Illud, *sub dio*, et *dorso nemoris jacuisse per herbam*, nescio quomodo rem revocat in communem omnium provinciam: non alia ferme ratione, ac solent interdum Musici simplicem aliquam cantilenam omnibusque decantatam intexere modis delicatissimo artificio confectis. Ex quo efficitur, amore quodam tangi, qui alias frigide tantum erant laudaturi.

Porro non pauca habet Ovidius, quæ in hac causa non male conferat aliquis cum Virgilianis. Diis geniti, apud utrumque, quærunt mortales avitam domum; apud hunc Phaëton, apud illum Aristæus. Uterque divinas depingit ædes, hic Solis, ille Nereidum. Videte vero, quantum inter eos intersit. Fulgent, micant, resonant Ovidiana: nihil ibi non peregrinum, immo prodigiosum [c].

> Regia Solis erat sublimibus apta columnis,
> Clara micante auro, flammasque imitante pyropo;
> Cujus ebur nitidum fastigia summa tenebat,
> Argenti bifores radiabant lumine valvæ:
> Materiem superabat opus; nam Muciber illic
> Æquora cælarat medias cingentia terras,
> Terrarumque orbem, cælumque, quod imminet orbi....
> Hæc super imposita est cæli fulgentis imago,
> Signaque sex foribus dextris, totidemque sinistris.

Tum post paullo,

> Purpurea velatus veste sedebat
> In solio Phœbus claris lucente smaragdis.

[c] *Metamorph.* 2. 1.

Ne verbum quidem additur, quod significationem habeat ullam quotidiani hujus terrarum cælique aspectus, quem et norunt et amant omnes: nisi forte credibile videatur, Ovidium, cum istam caneret cantilenam, mentis oculis matutinum vidisse cælum, cum aureis suis splendoribus atque igneis. Profecto tale aliquid non prorsus inepte declarat sublimium columnarum mentio, insigni fulgore, habentium ex utraque parte quasi fores apertas, candidissimo argento, superne autem marmoreum vel eburneum æthera. Deinde, quod illic cælari fingit Poeta cælum, mare, terras, cum formis Nympharum, cæteroque universi hujus mundi, quem oculis aspicimus, instrumento; voluit fortasse per ambages quasdam monstrare mirificam illam formarum varietatem, quam in nubibus præsertim matutinis vel cernere solet vel fingere oculus paullo in ejusmodi lusu exercitatior. Durior fortassis interpretatio; sed concedamus, eam fuisse mentem Poetæ: at nondum tamen efficitur, cadere in illud carmen eam quam nos hoc tempore statuimus formulam. Debuit enim excidere scribenti indicium certe aliquod, breve quamvis et exiguum, quod eo posset revocare legentium animos. Sed nihil tale habetur, ne tantillum quidem. Quare ita laudandus erit, ut qui mirifica et rara ingeniose, non ut qui notas carasque res cum amore et affectu cecinerit.

Conferamus jam cum his Virgiliana [d].

> Duc, age, duc ad nos: fas illi limina Divum
> Tangere, ait. Simul alta jubet discedere late
> Flumina, qua juvenis gressus inferret: at illum
> Curvata in montis faciem circumstetit unda,
> Accepitque sinu vasto, misitque sub amnem.
> Jamque domum mirans genitricis, et humida regna,

[d] *Georg.* 4. 358.

Speluncisque locus clausos, lucosque sonantes,
Ibat, et ingenti motu stupefactus aquarum
Omnia sub magna labentia flumina terra
Spectabat diversa locis, Phasimque Lycumque,
Et caput unde altus primum se erumpit Enipeus,
Unde pater Tiberinus, et unde Aniena fluenta,
Saxosumque sonans Hypanis, Mysusque Caicus,
Et gemina auratus taurino cornua vultu
Eridanus, quo non alius per pinguia culta
In mare purpureum violentior influit amnis.

Hæc omnia de latebris aquarum non minus, opinor, fabulam redolent, neque parcius recedunt ab oculorum judicio, atque a consueto vivendi tenore, quam illa Ovidiana de superna ignium domo. Fecit autem suavissimus artifex, ut injecta speluncarum mentione, rem omnem quasi traderet ac commendaret omnibus, qui ullo tempore habuerint in deliciis antra et "fontes vivoque sedilia saxo," et cætera omnia, quorum opera mulcere ac capere solent mortalium animos vacua littorum spatia, et Oceani sonitus, quin et undarum ille pulsus et surdus nescio qui tremor, quo penitus compleri novimus ejusmodi loca: ne forte non tactus etiam, præter oculos atque aures, infinitum aliquod proxime abesse doceat. Harum, inquam, deliciarum mentione mitigavit quodammodo Scriptor fabulam suam, et in eam regionem transtulit, ubi ultro spatiantur homines.

Ex his intelligimus, si qua occurrerit pictura quæ per se vel peregrina vel nimium fortasse sit fabulosa, mederi voluisse magnos olim scriptores isti incommodo, duplici ferme formula: cum partim rem universam ornarent luce quadam ejus, quam diximus, Analogiæ, partim bono lumine, quasi fortuito, collocarent hinc inde consuetas et domesticas res. Nunc redeamus ad Lucretium: qui etsi non multa habeat, quæ aut fabulosa sint aut peregrina, non tamen om-

nino caret exemplis, quæ ad istiusmodi solertiam pertinere videantur. Multus est quodam loco et splendidus in depingendo Magnæ Matris sacro; postquam autem bene multa ibi narraverat, quæ prorsus abhorrerent a suorum moribus, videte quam feliciter rem reduxerit ad affectus hosce pervagatos, positos palam in medio omnibus: facta videlicet pueritiæ mentione, ejusque lusus, qui in omnes pueros cadat[e].

Hic armata manus, Curetas nomine Graii
Quos memorant Phrygios, inter se forte catenas
Ludunt, in numerumque exultant sanguine læti; et
Terrificas capitum quatientes vertice cristas
Dictæos referunt Curetas, qui Jovis illum
Vagitum in Creta quondam occultasse feruntur,
Cum pueri circum puerum pernice chorea
Armati in numerum pulsarent æribus æra,
Ne Saturnus eam malis mandaret adeptus,
Æternumque daret Matri sub pectore vulnus.

Porro autem, Analogia quid valeat in istiusmodi nodo, tum alias ostendit ubi abstrusior fit argumentatio, tum præsertim ubi terræ motus, calamitatis apud Romam ferme incognitæ, afferenda erat causa, cœca ventorum vis[f].

Quas exitus hic animai
Disturbat urbes, et Terræ motus obortus!
Quod nisi prorumpit, tamen impetus ipse Animai
Et fera vis venti per crebra foramina terræ
Dispertitur, ut horror, et incutit inde tremorem,
Frigus uti nostros penitus cum venit in artus,
Concutit invitos cogens tremere atque moveri.

Exquisite illud quidem factum, quod rigorem nescio quem tribuit orbi terrarum, tanquam animali; ac proinde rem rarissimam et inassuetam coram producit quodammodo, et ipsis pæne sensibus subjicit.

Verum, ut diximus, apud Lucretium rariora sunt

[e] Lucr. 2. 629.

[f] 6. 585.

hujusmodi exempla; quippe qui libentius plerumque in usitata ac vulgari omnium regione versetur. Vix quenquam invenias tam parca supellectili contentum: des ætheris modo aliquantulum et Oceani, non deerit ubi vel se delectare poterit, vel argumenta ac locos venari, quibus Epicuri sui philosophiam tueatur. Nimirum, quocunque se verterit aliquis, plena sunt omnia arcanis altisque documentis. Nihil opus sunt longinquæ peregrinationes, nihil magna librorum copia, nihil curiosior historiæ veteris inquisitio: circumferas modo oculos, aderit materia, postquam semel se penitus imbuerit animus certa quadam sive doctrina seu somniorum serie, doctrinæ similium. Immo cum eximia quadam voluptate et concipere solemus et fovere eas præsertim opiniones, quæ et vulgi captum transcendere videantur, et ad eas tamen res pertineant, quæ in oculis atque ore sunt omnium. Nempe mirifice sibi placet, qui in rebus etiam peregrinis atque obsoletis acutius quiddam excogitaverit; sed novo ac proprio lumine donare pervagatam aliquam ac tritam provinciam, id vero singularis sapientiæ ac tantum non divinæ fore auguramur. Quin alio pæne sensu, præter illos quinque, quos novit Natura, præditus esse videatur, qui in universo hoc orbe, sole, cælo, aquarum aerisque motu, potentiam quandam occultam non modo sentire, verum ad legitimum quoque modulum, certasque agendi rationes exigere possit. Ne forte miretur aliquis, quem nos obscuri et infiniti præ cæteris amantem fuisse judicavimus, eundem in apertissimis campis, atque in trivio, ut ita dicam, maximam partem ultro versatum fuisse.

"At enim non invitus moratur interdum Lucretius noster in materie satis impedita et multiplici.

Verbi gratia, nubium, ut nemo, formas, colores, motus exquisite adumbrat. Præterea non dubie significat, vagari se cum amore quodam præcipuo in sylvis atque in densissimo arborum cœtu. Horum autem generum utriusque, primo aspectu, contraria videtur esse ratio, atque eorum, quæ prius tetigi; aperti videlicet ætheris, immensi oceani, puræ sine labe lucis et coloris matutini.

Verum enimvero ex hac quoque parte Lucretium satis sibi constare dixerim. Nam et in nubibus et in sylvis vagantur incertis quodammodo itineribus oculi, neque ullo limite satis finito et certo circumscribi poterunt. Ad nubes quod attinet, mutantur perpetuo omnia, nobis etiamnum intuentibus. Siquis autem locus paullo sit arboribus densior, neque aspectui, ne in hieme quidem, pervius, quis nescit commoveri animos non mediocriter, mirantes quid ultra lateat, quave tandem regione sit exeundum? Quod si longiore, ut fit, ordine, alius post alium veniant istiusmodi secessus, tum vero multo magis cæco quodam sensu affici homines, velut qui propius propiusque ad arcanum aliquem sanctumque angulum accedant. Quid multa? videtis utrinque, tum in nubibus tum in sylvis, esse quod eorum præsertim capiat animos, qui amant obscura et infinita: cum nullo unquam temporis puncto scire possis quid proxime sit adfuturum.

His animadversis, constabit fortasse de ratione ejus Poeseos, quæ etsi simplicissimo gaudeat apparatu, habet tamen in deliciis varias tam nubium formas quam nemorum anfractus; genus, siquid aliud, vagum et fusum et multiplex. Exempla jam apud ipsum Lucretium quæramus.

Ac primum quidem ea quæ ad nubes pertinent

videamus; qui campus propior quodammodo videtur esse indolis Lucretianæ. Nam et omnium æque locorum, et in omnium oculis est situs. Habet porro ea, quæ diligit Lucretius, elementa; cælum profundum, aera seu tenebrosum sive lucidum, commistas aquas, celerrimum motum. Denique ita comparata sunt omnia, ut speciem ea regio nemini oculato neget, intimam veramque sui rationem universos pariter celet. Inest etiam alterum illud, peculiare ac præcipuum, nubibus, quod nescio an nulla verba planius et melius ipso carmine possint declarare. Ne forte, ait Lucretius [g],

Putes ea demum sola vagare,
Quæcunque ab rebus rerum simulacra recedunt,
Sunt etiam, quæ sponte sua gignuntur, et ipsa
Constituuntur in hoc cælo, qui dicitur aer,
Quæ multis formata modis sublime feruntur,
Nec speciem mutare suam liquentia cessant,
Et quojusque modi formarum vertere in ora.
Ut nubes facile interdum concrescere in alto
Cernimus, et mundi speciem violare serenam,
Aera mulcentes motu.

Nequeo hic mihi temperare, Academici, quin illud, *Aera mulcentes motu,* præ cæteris vobis commendem, quippe quo nihil unquam dulcius expresserit imaginem indolis vehementer huic rei studentis. Facile intelligas, talem fuisse, qui se detineri atque abripi sinat ipso qualicunque terrarum cælique aspectu, velut qui secundo flumine non invitus labatur. Sed cum ipso carmine pergamus.

Nam sæpe Gigantum
Ora volare videntur, et umbram ducere late:
Interdum magni montes, avolsaque saxa,
Montibus anteire, et solem succedere præter;
Inde alios trahere atque inducere bellua nimbos.

[g] Lucr. 4. 130.

Fuerunt qui putarent hæc de Aristophane esse sumpta, qui ludit alicubi festivissime in formis Nubium [h].

ἤδη ποτ' ἀναβλέψας εἶδες νεφέλην Κενταύρῳ ὁμοίαν,
ἢ παρδάλει, ἢ λύκῳ, ἢ ταύρῳ; Νὴ Δί' ἔγωγ'. εἶτα τί τοῦτο;
Γίνονται πάνθ' ὅ, τι ἂν βούλωνται· κἂν μὲν ἴδωσι κομήτην
ἄγριόν τινα τῶν λασίων τούτων, οἷόνπερ τὸν Ξενοφάντου,
σκώπτουσαι τὴν μανίαν αὐτοῦ, Κενταύροις εἴκασαν αὐτάς.
Τί γὰρ ἂν ἅρπαγα τῶν δημοσίων κατίδωσι Σίμωνα, τί δρῶσιν;
Ἀποφαίνουσαι τὴν φύσιν αὐτοῦ, λύκοι ἐξαίφνης ἐγένοντο.

Mihi vero magis credibile est, utrumque scriptorem ista hausisse ex nativa et propria vena. Etenim quidni judicemus, utrumque, qua erat elegantia, solitum fuisse sæpius contemplari miracula hæc labentium nubium, sive tranquillo seu commoto cælo?

Verum hæc missa facio. Illud consideretis velim, an cognatum aliquod habuerit species hæc mutabilis et scena nubium, cum Epicurea de Simulacris opinione; similiter ferme atque intuentibus profunda ætheris et Oceani æquora poterat interdum venire in mentem vasti illius et infiniti Inanis cogitatio. Mirum itaque, ni utramque materiem arripiat statim Lucretius, habeatque in deliciis, Naturæ pariter et Epicuro deditus.

Sed initio sexti libri impensius declarat Poeta suum studium, ut qui non mediocri tum aurium tum animi quoque labore et opera varios didicerit concurrentium nimborum sonitus; immo pro mutata nubium forma, motuque, sonitus cujusque rationem quandam reddiderit. Quo in argumento suum illud præ cæteris tenet Lucretius, quod similitudine aliqua de triviis ducta, rem unamquamque ita de cælo deducit, planamque facit, ut nihil tamen humile aut plebeium admisceat. Audite vero [i].

Dant etiam sonitum patuli super æquora mundi,

[h] *Nub.* 345.

[i] Lucr. 6. 107.

Carbasus ut quondam magnis intenta theatris
Dat crepitum malos inter jactata, trabesque:
Interdum perscissa furit petulantibus Euris,
Et fragiles sonitus chartarum commeditatur;
Id quoque enim genus in tonitru cognoscere possis;
Aut ubi suspensam vestem, chartasve volantes,
Verberibus venti versant, planguntque per auras.

Post paullo occurrunt quædam ita comparata, ut nubium ac sylvarum rationem inter se quodammodo conjungant.

Est etiam ratio, cum venti nubila perflant,
Cur sonitus faciant: etenim ramosa videmus
Nubila sæpe modis multis, atque aspera ferri.
Scilicet ut crebram sylvam cum flamina Cauri
Perflant, dant sonitum frondes, ramique fragorem.
Fit quoque, ut interdum validi vis incita venti
Perscindat nubem perfringens impete recto.
Nam quid possit ibi flatus, manifesta docet res,
Hic, ubi lenior est, in terra cum tamen alta
Arbusta evolvens radicibus haurit ab imis.

Accedant et illa, quæ cum multis aliis Lucretium nobis sistunt subtilissimum, si quis alius, Naturæ spectatorem.

Aridior porro si nubes accipit ignem,
Uritur ingenti sonitu succensa repente:
Lauricomos ut si per montes flamma vagetur,
Turbine ventorum comburens impete magno:
Nec res ulla magis, quam Phœbi Delphici laurus,
Terribili sonitu flamma crepitante crematur.

Facilis, opinor, ex his erit transitus in alterum illud caput, de sylvarum deliciis; ubi non invitum commorari debere Poetam, obscuri præsertim et infiniti amantem, nos jam ante statuimus. Satis autem declarare videatur mentem ejus in hac causa vel illud non semel adhibitum, de propria ac præcipua dulcedine, quam soleat percipere ex ipsa sola operis sui novitate [f].

Avia Pieridum peragro loca nullius ante

[f] Lucr. 4. 1.

Trita solo: juvat integros accedere fontes
Atque haurire: juvatque novos decerpere flores,
Insignemque meo capiti petere inde coronam,
Unde prius nulli velarint tempora Musæ.

Ecquis unquam, obsecro, aut verius aut suavius explicuit eorum mentem, qui in nemore vagantur æstivo, placentque sibi in devio quoque itinere, quasi jam tandem se recepturi sint in latebras aliquas prius intactas hominibus?

Quid, quod Numina sylvestria lubens nominat, ac vocat in partes suas, qui alias in sua carmina fabulas ejusmodi rarissime admittere soleat[k]?

Hæc loca capripedes Satyros, Nymphasque tenere
Finitimi fingunt, et Faunos esse loquuntur,
Quorum noctivago strepitu, ludoque jocanti
Affirmant vulgo taciturna silentia rumpi,
Chordarumque sonos fieri, dulcesque querelas,
Tibia quas fundit, digitis pulsata canentum:
Et genus agricolum late sentiscere, cum Pan,
Pinea semiferi capitis velamina quassans,
Unco sæpe labro calamos percurrit hiantes,
Fistula silvestrem ne cesset fundere Musam.

Alia porro habet, quæ non dubie significent cupide aliquando versatum in nemoroso quodam monte, Apennino fortasse, sive Pelio[l].

At sæpe in magnis fit montibus, inquis, ut altis
Arboribus vicina cacumina summa terantur
Inter se, validis facere id cogentibus Austris,
Donec fulserunt flammæ fulgore coorto.
Scilicet: et non est lignis tamen insitus ignis;
Verum semina sunt ardoris multa, terendo
Quæ cum confluxere, creant incendia sylvis.
Quod si tanta foret sylvis abscondita flamma,
Non possent ullum tempus celarier ignes,
Conficerent vulgo sylvas, arbusta cremarent.

Videtisne eundem servari a Lucretio tenorem, sive de cælis agatur, sive de sylvis? Arcana semper, in-

[k] Lucr. 4. 584. [l] 1. 896.

finita, obscura, verbo dicam, ea quæ dicuntur *μυστήρια*, aut arripit occurrentia, aut procul visa venatur.

Jam ne dicat aliquis fuisse id Lucretio proprium, cum magnus esset in simplici illo genere, ut lubens tamen saltibus et sylvarum involucris frueretur; quid si docebo, tale aliquid evenisse apud alium quoque Poetam, qui proxime omnium tangere videatur Lucretium, quod ad ea attinet, quæ obscura sunt et infinita? Intelligo Florentinum Illum, triplici carmine nobilem, de triplici mortuorum statu. Quanto ille vir splendidissimæ Poeseos apparatu variaverit instrumentum satis per se exile, partim musicorum modorum, partim radiorum supernæ lucis, partim nescio quo orbe mirifice saltantium, novit unusquisque, qui primis modo labris fontem ejus plane divinum hauserit. Atque ut ea sola memorem, quæ ad cælestem Lucem pertinent; quale illud, quod Virgo laudatissima, qua duce usurus erat Poeta per regionem beatorum, oculis modo in Solem fixis, et illum mutare potuit et in cælum ipsa eniti [m]! Quid, quod piæ cujusque animæ accessu rident quodammodo, si fides Poetæ, novaque se luce vestiunt singulæ tum stellæ tum Sanctorum quoque umbræ [n]? Quid? commentum illud singulare de Choro beatorum Manium, qui velut sidera quædam componuntur nunc in Aquilæ nunc in Coronæ formam [o], nonne optime convenire videtur cum excelsa illa ac purissima cæli regione? Dies profecto me deficeret, narrantem omnia quæ habet ejusmodi Comœdia illa vere Divina. Ex quibus effectum est, ut qua materia turpissime labi soleat vulgus scriptorum, in ea

[m] Dante, *Paradiso*, 2. 22—30. et alibi. [n] E. g. *Ibid.* 5. 106.
[o] *Ibid.* 18. 100—108; 10. 64.

solus ferme recte se habuerit Dantes. Cum enim illis plerumque moris sit, crassa ac terrena transferre in Elysia sua ac Paradisos, hic ne hortorum quidem amœnitates, neque castissimam formarum pulchritudinem, ullo tempore admittit in suum æthera: tribus illis, ut dicebam, ferme contentus; Luce, Motu, Cantu.

Jam vero, cui suffecit ut plurimum supellex adeo brevis et angusta, idem alioqui significat se non modice delectari sylvarum flexibus, obscuroque ac dubio per nemora ac saltus itinere: velut ubi, sub ipso operis initio, narrat se via erravisse in valle nescio qua sylvestri et horrida: vel multo etiam magis in suavissimo carmine [p], quo Terrestris adumbratur Paradisus.

Immo etiam, ut id quod sentio dicam, qui Dantem in deliciis habent, non alia, maximam partem, voluptate fruuntur, atque ii qui libere per nemora avia gradiuntur, incerti quid quoque tempore futurum sit obvium. Adeo non incredibile videtur id quod in Lucretio modo docebam: si quem commovere soleant amore quodam obscuræ et infinitæ res, eidem scriptori cordi fore non apertum modo æquora, ignesque sidereos, verum etiam nubium profunda et secretos sylvarum calles.

Verum hæc semel animadvertisse satis sit. Sibi quisque volo venetur exempla, modo hoc teneat, neque tempori nec labori parcendum, si quis se ex animo accingat ad ejus Poematis lectionem. Neque porro refugiendum putet ob duo quædam vel tria, quæ severius paullo sonare, ne dicam horridius, videantur. Nobis revertendum est illuc unde erat di-

[p] Dante, *Purgatorio*, 28.

versum. Video autem de Lucretio superesse adhuc gravissimam omnium quæstionem. Credo enim complures mirari, quonam modo fiat ut is scriptor, qui non religiones modo receptas verum etiam omnem penitus tollat religionem, tam excelso potitus sit gradu in sanctorum Poetarum concilio. Huic igitur quæstioni, Academici, proximo loco, pro viribus respondeam.

PRÆLECTIO TRIGESIMA QUARTA.

Quid sit, quod Lucretium Epicureum Christiani benignius, quam sui, toleraverint. Excusari posse partim ejus amentiam: comprobari eam tum testimoniis, tum signis. Quænam in laudata Poesi amentiæ sit vis.

QUOD in amicitiis et convictu mortalium maxime plerisque mirum videtur, conjungi aliquando, eximia quadam caritate, homines infami nota cum iis qui meliora et sentiunt et agunt; idem ferme in re Poetica vel sæpius fieri noverunt omnes, qui sese modo leviter hujusmodi deliciis imbuerint. Non dubitabit videlicet vir bonus et frugi ne eorum quidem delectari carminibus, quorum in colloquium et congressum nullo unquam tempore lubens venerit. Etenim, ut missam faciamus pervagatam illam humanæ indolis inconstantiam, ex qua sæpius effectum est, ut alternis fere diebus commutarent nonnulli optima cum pessimis, tam vita quam scriptis suis; ecquis non intelligit adumbrari posse cælestia terrenis, divina humanis, pæne dixeram casta incestis? Verum id ita fit plerumque, ut ne tamen dedita opera ruant in pejora scriptores. Solent ut plurimum præ se ferre speciem quandam pudoris et pie-

tatis. Numen etsi non palam laudant, et esse tamen et adesse non raro significant. Quod contra Lucretius noster (nam ad eum spectat universa hæc disputatio) disertis verbis negat existere in cælis aliquod, cujus ope terrestres et humanæ res temperentur. Insaniam porro istam non semel modo iterumque, velut qui aliud agit, fatetur; immo partes ea vel præcipuas sibi vindicat totius Poematis argumenti [a].

Humana ante oculos fœde cum vita jaceret
In terris oppressa gravi sub religione,
Quæ caput e cæli regionibus ostendebat,
Horribili super aspectu mortalibus instans,
Primum Graius homo mortales tollere contra
Est oculos ausus, primusque obsistere contra:
Quem nec fama Deum, nec fulgura, nec minitanti
Murmure compressit cælum, sed eo magis acrem
Virtutem irritat animi, confringere ut arcta
Naturæ primus portarum claustra cupiret.
Ergo vivida vis animi pervicit, et extra
Processit longe flammantia mœnia mundi,
Atque omne immensum peragravit mente animoque:
Unde refert nobis victor quid possit oriri,
Quid nequeat; finita potestas denique quoique
Quanam sit ratione, atque alte terminus hærens.
Quare Religio pedibus subjecta vicissim
Obteritur; nos exæquat victoria cælo.

Hoc illud erat, quod apud eum cara ac venerabilis habebatur Epicuri familia: hanc admiratur, hanc amat, hujus rationem pueris senibusque commendare et tradere solet. O rem odiosam et molestam!—quis neget?—at legitur tamen, at ediscitur, at recitatur: immo locum sibi meruit vix uni atque alteri secundum apud fautores Poeseos vere divinæ. Is denique optimus habetur Naturæ minister et interpres, qui et principio omni et exitu nullum se novisse significet ejusdem Naturæ Auctorem et Arbitrum. Plana

[a] Lucr. I. 63.

res est, ne dicat aliquis incredibilem. Pauca quædam de causis ejus hoc tempore disserere libet.

Quæ quidem satis erunt in promptu, modo nos illud non male statuerimus, summam Lucretianæ Poeseos amore quodam *τοῦ ἀπείρου* contineri: placuisse illi viro præ cæteris obscura, immensa, infinita omnia: itaque adamari ab eo Philosophiam illam, quæ in istiusmodi regionibus jure quodam suo vagari soleat. Hæc pluribus erunt explicanda, si nonnulla alia prius attulero, quæ a nobis excusanda erunt, si cui nimium patientes videbimur in nefanda et impia Epicureorum ratione.

Primo, quis non intelligit, disparem omnino fore causam eorum, qui tunc temporis negabant, Deos ullam impendere curam mortalibus, atque eorum qui hodie negant, post tot divinæ bonitatis miracula? Habuit certe multa, quæ posset proferre, vetus ille Epicuri grex, quorum nihil, hoc tempore, quilibet bonus in se admitteret.

Atque haud scio, an eo facilius ignoscat aliquis illorum dementiæ, quo sit ipse veritati sacrosanctæ addictior. Noverunt certe, qui tali sunt animo, multo melius quam vulgus hominum, quantis subsidiis caruerint veteres, non sua (sic enim videtur) sed temporum culpa. Fieri itaque potest, ut interdum plus æquo indulgeant priscis scriptoribus, male de Diis sentientibus. Immo (dicam enim, bona recentiorum venia) quoties agitur de portentis illis Epicuri, gravius pæne quiddam ac severius sonare videtur M. Tullius, quam eorum cathedræ, qui apud nos Philosophi habentur. Hoc illud erat fortasse, quod is Lucretium nullo unquam tempore, quod sciam, nominat in philosophicis suis: cum tamen curiosius quodam loco eorum seriem exsequatur, qui Epicuri

et suorum commenta Latinis literis commendare voluissent. Ait extitisse Cicero quendam Amafinium, quo tempore primum Philosophiæ dabant operam Romani [b], "cujus libris editis commota multitudo contulit se ad eandem potissimum disciplinam; sive quod erat cognitu perfacilis, sive quod invitabatur illecebris blandis voluptatis; sive etiam, quia nihil prolatum erat melius, illud, quod erat, tenebant." Videtisne quam nihili æstimet vulgi de ea re judicium? Pergit deinde suam de doctoribus sententiam explicare. "Post Amafinium multi ejusdem æmuli rationis multa cum scripsissent, Italiam totam occupaverunt; quodque maximum argumentum est, non dici illa subtiliter, quod et facile ediscantur, et ab indoctis probentur, id illi firmamentum esse disciplinæ putant."

Hæc cum scriberet Cicero, credibile est, Romæ jam in manibus fuisse Lucretii carmina, multis, ut opinor, lecta atque laudata; siquidem paucis post annis imitatorem meruere Virgilium. Immo Ciceroni ipsi venerant in manus; quippe ab eo memorata in epistola quadam sua ad Quintum Fratrem [c]: "Lucretii," inquit, "poemata, ut scribis, ita sunt: multis luminibus ingenii, multæ tamen artis." Quidni judicemus, de illis eum loqui voluisse ista sententiola, quam nos modo jam a Tusculanis deprompsimus, scriptoris solum nomine celato? Quod nisi ille genus id omne, religionis causa, tanquam odiosum et molestum, percurreret, vix equidem video quî fieri potuerit, ut auctorem tam gravem, præsertim qui pertineret omnino ad Latium et ad Latinos, alto silentio præteriret.

Verum quid quæritis? innumeras habent Cicero-

[b] *Tusc. Disp.* 4. 3.

[c] *Ad Quint. Fratr.* ii. 11.

niani libri significationes, non bene ferri a piis bonisque viris vel ipsam Epicuri mentionem, ejusque de Diis immortalibus sententiæ. Lenius multo plerumque nostri: quippe qui e longinquo rem spectent; Epicureos, Stoicos, unamquamque veterum familiam, pari ferme affectu contemplari soleant; misereantur potius omnium, quam ullis irascantur.

Quod si qui ferendos judicant illos etiam, qui frigide disputant, more scholarum, ex Epicuri edicto et formula; multo magis, opinor, tolerabilis erit in eodem argumento Poeta: qui primo tot habet diverticula et discursus, quorum opera quasi in umbra collocari possint odiosiora quæque: deinde ex lege et præscripto operis sui, licentiam habet aliud agendi, atque illud, quod præ se fert et ostentat. Ex quo efficitur, fieri posse, ut summa poematis palam et aperte neget esse vel Manes vel Deos, cum tamen omnis ejus tenor atque indoles faciat cum iis qui pietatem amant.

Habetis, Academici, cur crediderim, Lucretium, cum et Poeta extiterit, et eo viguerit tempore, quo nondum eluxerat ratio vere divina, judicibus usurum paullo benignioribus. Præterea, vetus est opinio, fuisse illum virum ita captum mente et animo, ut sæpius tamen frueretur sanitate et requie, morbumque gravissimum, per ista intervalla, cantando et philosophando quasi falleret. Eusebii, diligentis sane auctoris, disertum de ea re testimonium extat. Is, eo anno quo Triumviris, Cæsari, Pompeio, Crasso, prorogabatur imperium, mortuum esse dicit T. Lucretium, Poetam, qui "poculo amatorio in furorem versus, cum aliquot libros per intervalla insaniæ con-

scripsisset, propria se manu interfecit, anno ætatis quadragesimo quarto [d]."

Quod autem ait idem, Ciceronem postea emendavisse Lucretii libros, nescio an eo veri videatur similius, quod in epistola jam ante a nobis memorata, significat ipse Cicero, se modo jam ejus viri versus legisse; mentione simul facta Sallustii nescio cujus, qui scripserat Empedoclea quædam, carmen a Lucretianis haud omnino alienum, quod ad materiem certe attinet: modo satis recte conjectura capiatur e nomine.

Sed redeamus ad insaniam Lucretii: quæ cum expressis verbis ab Eusebio narratur, tum credibile est, tangi eam a Statio, recensente magna Poetarum Latinorum nomina [e]:

Cedit Musa rudis ferocis Enni,
Et docti *furor arduus* Lucreti,
Et qui per freta ducit Argonautas,
Et qui corpora prima transfigurat.
Quin magis loquor: ipsa te Latinis
Æneis venerabitur canentem.

Hæc ille, Lucanum laudibus efferens, collatis qui antea maxime placuerant, Ennio, Lucretio, Valerio Flacco, Ovidio; immo ne Virgilium quidem ipsum ab illa comparatione eximendum putat. Quod autem Lucretio nostro tribuit tum doctrinam, tum arduum quendam furorem, videtis id profecto non male in eum convenire, qui scripserit, ut ait Eusebius, alienata mente, per intervalla morbi.

Neque vero quidquam habet ea narratio, quod prorsus discrepet ab ipsius carminum tenore. Nam quod rem omnem exsequitur justo ordine, subtilissimis argumentis, exquisito ac limato dicendi genere;

[d] Euseb. ap. Hieronym. Ol. 171. 4. t. 8. 591. [e] *Sylv.* 2. 7. 75.

norunt omnes fieri posse, ut qui vel certis temporibus, vel in uno aliquo genere, desipiant ac delirent, iidem alia vel hora vel materia sermones usurpent sapiente viro dignissimos. Immo etiam, maximam partem, ipsam illam furoris sui quasi provinciam via et ordine, severe ac solide tractant. Adeo sæpius cum ratione (ut dicitur) insaniunt homines. Concedas modo principium et caput erroris, sequentur alia omnia suo quæque loco, pulcherrima serie, callidissima junctura. Quare non erit cur incredulus miretur aliquis, insanire qui tam egregie sua rationibus et argumentis confirmat.

Deinde, quod nulla unquam *εἰρωνείᾳ* (quæ dicitur) gaudeat; nihil agat cum ludo atque joco, in hoc prorsus Virgilii dissimilis; nihil dubitanter afferat, nihil verecunde; quin rebus maxime arcanis, et remotis ex hominum sensu, adhibeat, tanquam ex adyto, magistri effata: id vero omne genus ita convenit, ut nihil magis, cum statu et moribus eorum qui mente sunt capti.

Jam autem ponamus laborasse eo morbo Lucretium: docebit, opinor, communis hominum sensus quantum valeat ea res ad impetrandam apud omnes veniam, tum ob alia quævis peccata, tum ob immanem quoque doctrinam et impietatis propiorem. Nam et misericordiam allicit, et conjecturam facit nonnullam, non sponte sed fato quodam peccasse hominem.

Vellem equidem hæc nostra memoria careret exemplis, quæ in hanc rem possent afferri. Sed in promptu sunt mœsta atque magna. Nondum, credo, sumus obliti primarii illius tam genere quam ingenio viri, qui, nobis adolescentibus, poeticæ artis palmam omnibus ferme præripuisse est judicatus. Fervidam

ille, si quis alius, et profundam Poeseos venam corrupit, admixtis eorum commentis, qui vel nullo vel malo Numine regi hæc omnia nescio an existiment, volunt certe quidem. Ex quo effectum est, ut qui sanctioris Naturæ arcanorum debuit esse minister et interpres, is vehementi satis ac vario carmine repræsentaret nobis nullam ferme nisi suæ mentis imaginem, nunc torva quadam acerbitate, nunc elatione voluptaria commotæ. Ejusdem tamen versus mirum quam alacriter in manus identidem acceperint, immo schedis commiserint, amore quodam, elegantiores non solum viri, sed et fœminæ quoque: cum ne somniarentur quidem, se in pietatem peccare aliquid. Dederat, credo, tunc etiam temporis, Poeta cœcam aliquam significationem animi non bene sui compotis. Itaque, qui benigniore erant indole, si quod ejus improbum sonaret et impium, acceptum referebant non ipsius culpæ, sed morbo cœlitus immisso.

Hunc secutus est alter, lingua, quod ad istam insanientem sapientiam attinet, magis audaci et effrænata, verum cum verbis numerisque facilior, tum animo, ut videtur, non paullo teneriore. Sed et illum vix suæ mentis fuisse probabilis aderat conjectura. Quid multa? ferebant homines utrumque, hodieque ferunt, tanquam miseros magis quam impios. Ex quo intelligi fortasse debet, quanta vis sit naturæ humanæ in bonam piamque partem: nam qua suspicione solent plerumque refugere et horrescere animi, in eam ultro se recipiunt, modo ne adducantur ut credant, Deum a sobrio aliquo ac vigilante ullo tempore negari potuisse. Amentes esse volunt, ne fiant scelesti et immanes.

"At enim ecquis unquam patiatur frigidæ adeo ac

jejunæ philosophiæ documenta—Atomos, Inane, Simulacra, Indolentiam—perturbatæ mentis remedium quærenti satisfacere? Nonne frigidus ipse evaserit et jejunus necesse est, cui vel somnianti placuerint istiusmodi nugæ? nedum ut solatio sint, gravissima cura et dolore confectis."

Fateor profecto: at videte, obsecro, an alia prorsus Lucretii nostri sit causa. Si vera de eo narrantur, crediderim ei non invito in mentem venisse mundos illos infinitos et cursus atomorum, quærenti videlicet non stabilem veramque tranquillitatem, sed ea potius, quæ per intervalla morbi possent levamen pro tempore afferre, mulcere curas, spe quamvis tenui fovere. Verbo dicam: aliam prorsus intelligimus Democriti et Epicuri culpam, siccis, ut aiunt, oculis contemplantium sterilem illam et informem mundi, negata προνοίᾳ, scenam; aliam turbatæ et ægræ mentis, cessante ad tempus malo, tranquilla modo spatia sibi indagantis, ne forte solito citius iterum de statu suo dejiciatur.

Jam autem vel hisce vel aliis de causis mitigato semel judicio de Lucretiana erga Deos insolentia, videndum an forte habeat aliquid ipsum illud, Insanire, quod arripiat mentes hominum, et in tempus detineat, tanquam Tragœdiæ, grato quodam terrore, intentos. Pendemus videlicet ab insanientium ore, incerti quid singula proferant momenta. Quamvis autem in re ac veritate periculosa sit ea dubitatio ac molesta, in scena tamen atque in literis delectatione sua non caret: plane sicut apud histriones toleramus facinora, flagitia, cædes, pestes, immania omnia, quæ nihil unquam in vita promereri sibi possint, præter atrox et capitale odium. Hinc illa apud Shaksperum nunc patris indigne mulcati, nunc virginis amore

tabescentis querimoniæ, quæ in ore sunt ferme omnibus. Quid enim dicam de ipsius Hamlethi gravissima persona, verique præ cæteris simillima? quæ nescio an nulla magis re commendet se nobis, penitusque in mentes insinuet, quam obscuris illis amentiæ quasi præludiis, quæ in hunc usque diem tantis litibus Criticorum, qui appellantur, catervas agitare solent.

Horum, opinor, non male meminerit, qui recte et ordine velit Lucretiani carminis filum tenere. Meminerit, sibi rem esse cum scriptore acutissimo illo quidem, sed qui nihil non aspiciat quasi nebula quadam inducta, quæ formas rerum et magnitudines prodigialiter quodammodo variet. Immo omni lectione meminerit miserorum et ægrorum mortalium, quorum vel optimi fructus ingeniorum tam prope ab alienata mente absint. Non injucunda, ni fallor, neque prorsus inutilis erit ista miseratio, præter illam amplissimam nunc tenerrimæ nunc severissimæ Poeseos copiam, quæ manat usquequaque e fontibus Lucretianis.

Sed fuerit fortasse operæ pretium, si pauca quædam hoc loco addam, quæ significationem nonnullam insaniæ, qualem nos diximus, habere videantur.

Principio, miretur aliquis non injuria, tantis ab eo laudibus efferri Epicurum, virum, ut videtur, siquis alius, maxime alienum a Poetarum deliciis; exilem, frigidum, inamœnum; nulla admodum vivida vi mentis, nullo amoris æstu, nullis styli luminibus: modo conjecturam capere liceat a reliquiis ipsius, veterumque de eo judiciis. En vero ejusdem præconia, pauca de multis[f].

E tenebris tantis tam clarum extollere lumen

[f] Lucr. 3. 1.

Qui primus potuisti, illustrans commoda vitæ,
Te sequor, O Graiæ gentis decus, inque tuis nunc
Fixa pedum pono pressis vestigia signis,
Non ita certandi cupidus, quam propter amorem,
Quod te imitari aveo : quid enim contendat hirundo
Cycnis ? aut quidnam tremulis facere artubus hœdi
Consimile in cursu possint, ac fortis equi vis ?
Tu Pater, et rerum Inventor : tu patria nobis
Suppeditas præcepta : tuisque ex, inclute, chartis,
Floriferis ut apes in saltibus omnia limant,
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta,
Aurea, perpetua semper dignissima vita.

Etiam in quodam suo epilogo mortem contemnendam esse docet, quoniam scilicet, præter Homerum, cæterosque heroas [g],

Ipse Epicurus obit decurso lumine vitæ,
Qui genus humanum ingenio superavit, et omnes
Præstinxit, stellas exortus uti ætherius Sol.

Equidem quoties vel apud Platonem Sophistæ vel apud Ciceronem Epicurei canunt de patronis suis ejusmodi cantilenas, rem plane ridiculam et fatuam esse intelligo ; quippe quæ apud ridiculos agatur homines. Verum ubi ventum est ad Lucretium, nihil mihi quidem facile in mentem venit, nisi ut putem, qua erat ille vir vehementia, totum se dedisse eum somnio cuidam suo, sicut mos est ferme amentium.

Deinde illud animadvertendum arbitror, omnia durius ab eo et pertinacius defendi solere, quam pro rationum, quas attulerit, vi : infirma cum validis, dubia cum certis, mirandum in modum confundi et commisceri : plane quasi argumenta, ut aiunt, non pondere sed numero æstimet ; cum tamen neminem ferme omnium in his rebus acutiorem invenias. Omnia pari ferme confidentia, ne dicam temeritate, velut ex tripode vaticinia, pronuntiat. Nec dubie

[g] Lucr. 3. 1055.

significat, se vix placide laturum, siquis in sua et magistri sui verba juratum se addicere recusabit.

Videndum an huc forte pertineat, id quod ante jam nobis occurrit; nihil non serio atque ex animo, ut qui maxime, agere Lucretium; disciplinam ejus lusu illo faceto, vereque Virgiliano penitus carere. Expectes apud eum, vel in re quaque levissima, torvam nescio quam oculorum frontisque constantiam; qui vultus ut inter peritos significationem habet non levem commotæ mentis, ita, quod scribendi genus congruit præsertim cum istiusmodi aspectu, fastuosum illud, ac (pæne dicam) tyrannicum, non male fortasse referetur ad insaniæ notas.

Cum autem pertineat hæc res ad universi carminis colorem, videtis non eam esse, quæ commode per exempla confirmetur. Paucis tamen libet ostendere versibus, qua arrogantia rejiciat Lucretius aliorum commenta, suis fortasse probabiliora [h].

Quapropter, quoniam 'st Animi natura reperta,
Atque Animæ, quasi pars hominis; mitte Harmoniai
Nomen ab organico saltu delatum Heliconis,
Sive aliunde ipsi porro traxere, et in illam
Transtulerunt, proprio quæ tum res nomine egebat;
Quicquid id est, habeant: tu cætera percipe dicta.

Deinde, post paullo, sua videlicet ostentans:

Nunc igitur, quoniam 'st Animi natura reperta
Mobilis egregie, perquam constare necesse est
Corporibus parvis et lævibus, atque rotundis:
Quæ tibi cognita res in multis, O bone, rebus,
Utilis invenietur, et opportuna cluebit.

"[i] Fidenter sane" (liceat enim Ciceronis verba in re ferme eadem adhibere,) "fidenter, ut solent isti, nihil tam verens quam ne dubitare aliqua de re vide-

[h] Lucr. 3. 131.

[i] *De Nat. Deor.* 1. 8.

retur; tanquam modo ex Deorum concilio, et ex Epicuri intermundiis descendisset."

Hactenus de genere dicendi ac disputandi: nunc res ipsas recordemini velim, quarum cogitationi (sic enim nobis est visum) vacabat semper lubentissime Lucretius noster. Erant omnia infinita ac vaga: numero, spatio, motu, magnitudine: *ἄπειρα, ἀμέρη, ἀνάριθμα*: quod genus est, ubi semel cœperunt homines minus integro esse animo. Intus, ut plurimum, in se suaque arcana verti consueverunt. Retorquetur quodammodo et præstringitur (ut ita dicam) cogitantis oculus, præter solitum, præterque naturam; usque eo, dum plane amittat propriam ac nativam vim. Abstrusior nimirum illa Philosophiæ pars, quam appellant hodie Metaphysicam—qua potissimum delectatur Lucretius—semper videtur in se aliquid habuisse, quod intervallo non adeo ingenti ab insania quadam distineretur.

Ad summam, dicimus, Lucretii carmina non penitus carere signis ejus morbi, quo ipsum laborasse narrant Donatus et Eusebius: duntaxat ad hoc, ut misera magis quam indigna videri possit commentitia ejus impietas: deinde ut tragico quodam terrore, neque prorsus injucundo, tangantur legentium animi. Porro, (dicam enim quod sentio,) quid si forte suspicetur aliquis, inesse in iis qui capti sunt amentia, non sanctum dico aliquid ac providum, (quæ veterum Germanorum de fœminis erat opinio,) sed tamen obscura nescio quæ potentiæ plusquam humanæ indicia? cum id quidem ratum fixumque sit apud omnes, effari eos sua lingua sensus non suos; maxima vero pars hominum semper crediderit, id vel Numinis, vel Genii certe alicujus afflatu fieri.

Atque ob eam fortasse causam commune aliquod olim judicabant esse vinculum insanis cum vatum cumque poetarum natione; obscurum quidem illud ac cœcum, sed esse tamen.

Nolite autem putare, obsecro, evanidam prorsus et obsoletam evenisse hodie illam opinionem, postea videlicet quam se diffuderit universo orbe superna ac vera Lux. Nam primo, videndum ne sit alienior a provincia pietatis universa quæstio de genere causisque insaniæ. Non enim eo consilio venit in terras divina Veritas, ut difficiles solveret nodos, et præsto esset disputantibus de animæ natura, et de ratione morborum.

Deinde, quæ de istis rebus non tam demonstrant quam significant, velut aliud agendo, Sacrosancti Libri, ea sunt profecto, quæ sententiam popularem commendare, non conturbare, videantur. Quot ibi legimus historias hominum miserrime vexatorum a Dæmone vel uno vel pluribus! quorum quæ narrantur signa morborum cum illis plane congruunt, quæ in oculos quotidie incurrunt apud furiosos et amentes. Num igitur hos præstare audebit aliquis immunes a mala Dæmonum vi? hos, inquam, qui coram adsunt? Quanto magis credibile est, prisco illo tempore, nondum aperto cælo, fudisse identidem oracula quædam sua Genios seu noxios seu benignos, postquam semel potiti fuerant mente diviniore, et ore magna sonaturo, non penitus tamen sui compote! qualis erat, opinor, Lucretius.

Magna fuit antiquitus apud illos, qui plurimum videbant in rebus divinis, opinio, non sine Dæmonum ope responsa dari celeberrimis in adytis, Dodonæi Jovis, Apollinis Pythici, Trophonii, Ammonis,

cæterorum. Quidni judicemus, Philosophos interdum et Poetas sui quemque Genii edicta promulgasse? præsertim si qui propiores erant insaniæ.

Neque vero putandum, ex ejusmodi fonte nihil nisi fœdum impiumque manare potuisse: cum Summo atque Optimo Rectori id pæne solenne sit, ut sua confirmet atque prædicet inimicorum, velint nolint, testimonio, seu mortalium sive Dæmonum.

Hæc si cui non penitus inepta et futilia esse videbuntur, is nullo negotio intelliget, ita temperari potuisse Lucretii carmina, quamvis amentis, quamvis Epicurei et Deorum omnium contemptoris, ut ea non venia modo, verum etiam pio quodam amore prosequerentur boni atque frugi homines; immo illo quasi præcinente modos discerent, quibus optime pararentur pectora ad verba numerosque vere divinos. Id qua potissimum ratione factum sit, alias, uti potero, disseram. Sic enim aptissime concludentur Lucretiana nostra, longiore jam filo deducta.

PRÆLECTIO TRIGESIMA QUINTA.

Lucretium, ipsum imprudentem, religionibus inservire: primo, quod vitæ, voluptariæ quoque, curas inanes sæpissime deploret: deinde quod ea solatia afferat quæ manu quodammodo ad veritatem ducant; immo fateatur, desiderare se Deorum commercium: quod porro avide absentia arripiat, sermonis inopiam incuset, ludum atque jocum aversetur: maxime vero propter sensum illum, ubique diffusum, tum Infiniti ac Profundi, tum abditæ cujusdam et exactæ Pulchritudinis.

QUÆRENTIBUS nobis Lucretianæ Poeseos præcipuam ac propriam vim, Academici, visum erat, si meministis, nulla adeo re capi ac detineri Scriptoris animum, atque illo obscuro et infinito genere, latebris, ut ita dicam, et arcanis Naturæ. Deinde allatis in eam partem exemplis, quæstionem attigimus non minimam: quanam potissimum ratione sit factum, ut effugeret Scriptor τὸ μιαρὸν, (quod vocat Aristoteles); manante etiam per omnia ejus carmina, quasi quadam peste, eorum disciplina, qui verbis prædicant Deos, re plane tollunt. Qua in causa id erat caput, fieri potuisse, ut non sua penitus culpa, sed amentiæ suæ, peccaret in Deos Lucretius. Pauca itaque disputata sunt de

omni ratione amentiæ; quæ sit vis ejus in re poetica, quibusque ea maxime remediis et allevamentis soleat acerbum sui sensum mitigare. Denique in eam prope dubitationem incidimus, an quædam apud Lucretium tribuenda essent potentiæ plusquam humanæ: quæ fuit olim opinio, tum de insanis, si quid via ac ratione solito perfectius excogitavissent, tum etiam de Ethnicarum literarum et impiæ philosophiæ cultoribus. Credidit prisca ætas, utrique generi inesse vim aliquam arcanam, sive de Superis ea venerit, seu de Inferis. Concepta vero semel ea sententia, videtis utique, mutari ultro ac leniri eorum judicium, qui alias Lucretium, pietatis causa, ne legendum quidem existimarent. Nam alia longe, opinor, est ratio procacis et impiæ mortalium linguæ, quidlibet pro tempore garrientium; alia benigni Numinis, obscure tradentis optimam vitæ viam, voce vel insciorum vel etiam inimicorum.

Nolo autem existimet aliquis, pendere penitus nostram de Lucretio sententiam ex hujusmodi argumentis. Concedamus inepta fuisse et inania, quæ nos conjectura sumus augurati vel de alienata, quam perhibent, mente Scriptoris, vel certe de tacita quadam sed divina vi, oracula sua fundentis ex ore amentium. Missa faciamus hæc utraque, manebit tamen carminum indoles: plane sicut in ea philosophiæ parte, quæ pertinet ad motus siderum, sive hac utaris sive illa ratione, quod ad vim eorum latentem causasque attinet, seu denique ponas in dubio et incerto, quo more solet maxima pars hominum; non tamen idcirco putandum est, carere te omni intelligentia pulchritudinis hujus universæ, et arcani rerum naturalium sensus. Haud alia fortasse ratione fieri poterit, ut qui vel apud Lucretium signifi-

cationes desideret ejus quam perhibent insaniæ, vel ipsam insaniam putet non bene referri ad obscuram divinationem, ac Numen aliquod, idem tamen sentiat, ab illo Poeta, vel insciente, comprobari mirandum in modum, immo tradi ac commendari omnibus, eam religionem, quam verbis solet tollere.

Profecto non facile invenias apud quenquam eorum Poetarum, qui hac optima Luce caruerunt, tot versus tam laudatos, qui solidæ et sinceræ pietati testimonium quodammodo ultro impertiant. Nemo omnium plura scripsit, quæ in bonam sanctamque partem convertere posset, qui vellet, mutato modo hic illic uno atque altero verbo, servato tamen universæ sententiæ tenore. Quod genus ferme appellant Grammatici παρῳδίαν. Sed ea vox ut plurimum adhibetur in re sola ridicula ac faceta. Vim autem ejus extare in seriis quoque, sentient, opinor, ad unum omnes, qui paullo diligentius Poetarum, præsertim veterum, legent carmina.

Videamus autem in uno alteroque exemplo, quantas partes pietatis habeant revera Lucretiani libri, insciente et invito Poeta. Primo, quis non videt, jecisse eum fundamenta meliorum quam pro captu Epicuri sui, quod verbis numerisque adeo flebilibus miseram ægramque mortalium vitam deploraverit [a]?

> Si possent homines, proinde ac sentire videntur
> Pondus inesse animo quod se gravitate fatiget,
> Et quibus id fiat causis cognoscere, et unde
> Tanta mali tanquam moles in pectore constet;
> Haud ita vitam agerent, ut nunc plerumque videmus,
> Quid sibi quisque velit, nescire, et quærere semper,
> Commutare locum, quasi onus deponere possit.

Equidem omnes pæne, qui versus scripserunt, video

[a] Lucr. 3. 1066.

sese exercuisse in ea materia. Campus hic ferme nobilium est Poetarum, ut næmias canant ac querimonias de vitæ flore fragili ac caduco. Habet autem Lucretius noster illud, ni fallor, proprium ac modo non singulare, quod non tam breves et angustos incuset ævi in terris agendi limites, quam ipsum vitæ hujus statum, vel optime actæ: significet, rem eam unicuique hominum et fuisse, et fore semper, molestissimo omnium oneri. Recordamini, verbi gratia, quam fuerint horum dissimiles de morte Bionis Elegi, dulcissimi quidem certe[b].

> αἲ αἲ, ταὶ μαλαχαὶ μὲν ἔπαν κατὰ κᾶπον ὄλωνται,
> ἢ τὰ χλῶρα σέλινα, καὶ εὐθαλὲς, οὖλον ἄνηθον,
> ὕστερον αὖ ζώοντι, καὶ εἰς ἔτος ἄλλο φύοντι·
> ἄμμες δ', οἱ μεγάλοι καὶ καρτεροὶ ἢ σοφοὶ ἄνδρες,
> ὄπποτε πρᾶτα θάνωμες, ἀνάκοοι ἐν χθονὶ κοίλᾳ
> εὕδομες εὖ μάλα μακρὸν ἀτερμόνα νήγρετον ὕπνον.

Queritur præteriisse ætatem tam cito; nullam fore, semel sepultis, in lucem redeundi licentiam. Illud longe molestius tacet, ne inter fruendum quidem satis constare viventibus vitæ suæ fructum.

Porro ita fungitur officio lugentis, ut otiose tamen et tranquille spatiari videatur in amœno ac viridi loco: cum apud Lucretium res narretur inornatis atque propriis verbis, ritu eorum, qui, quid sibi velint, pleno corde, pervagato sermone, efferunt.

Pergit videlicet, eodem quo prius tenore. Atque animadvertatis velim, Academici, quanti sit habenda illa verborum quasi λιτοτής[c].

> Exit sæpe foras magnis ex ædibus ille,
> Esse domi quem pertæsum 'st, subitoque revertit;
> Quippe foris nihilo melius qui sentiat esse.
> Currit agens mannos ad villam hic præcipitanter,
> Auxilium tectis quasi ferre ardentibus instans:

[b] Mosch. *Idyll.* 3. 106.

[c] Lucr. 3. 1072.

Oscitat extemplo, tetigit quum limina villæ,
Aut abit in somnum gravis, atque oblivia quærit,
Aut etiam properans urbem petit, atque revisit.

Communis profecto dicendi color, et "dignus prope socco," ut ait Horatius: adeo vera res agi videtur, veræque voces ejici ex imo pectore. Grandius nescio quid sonant Sophoclea[d]:

μὴ φῦναι τὸν ἅπαντα
νικᾷ λόγον, τὸ, δ', ἐπεὶ φανῇ,
βῆναι κεῖθεν, ὅθεν περ ἥκει,
πολὺ δεύτερον, ὡς τάχιστα.
ὡς εὖτ' ἂν τὸ νέον παρῇ
κούφας ἀφροσύνας φέρον,
τίς πλάγχθη πολύμοχθος ἔξω;
τίς οὐ καμάτων ἔνι;
φόνοι, στάσεις, ἔρις, μάχαι,
καὶ φθόνος· τό τε κατάμεμπτον
ἐπιλέλογχε πύματον,
ἀκρατὲς, ἀπροσόμιλον,
γῆρας ἄφιλον, ἵνα πρόπαντα
κακὰ κακῶν ξυνοικεῖ.

Huic, ut videtur, minime vitalis est vita, propter instabiles Fortunæ lusus, et mala extrinsecus imminentia. Quod contra, Lucretio judice, nihil in se habet, quod pure tranquillet animum, ne placida quidem et quieta ejus conditio. Tenerius illa Virgiliana[e],

Optima quæque dies miseris mortalibus ævi
Prima fugit, subeunt morbi tristisque senectus,
Et labor et duræ rapit inclementia mortis.

Nihil usquam elegantius dictum; sed vereor ut ad *ἐναργείαν* Lucretianam accedant. Rem quodammodo generatim exponit Virgilius, philosophi more: nostro dicente, legentibus in oculos incurrit.

Nonne demum proxima pietatis sunt, quibus causam mali tanti confirmare pergit[f]?

Hoc se quisque modo fugit: at, quem scilicet, ut fit,

[d] *Œd. Col.* 1289. [e] *Georg.* 3. 66. [f] Lucr. 3. 1081.

Effugere haud potis est, ingratis hæret, et angit,
Propterea, morbi quia causam non tenet æger;
Quam bene si videat, jam rebus quisque relictis
Naturam primum studeat cognoscere rerum:
Temporis æterni quoniam, non unius horæ
Ambigitur status, in quo sit mortalibus omnis
Ætas post mortem, quæ restat cunque, manenda.

Ecquis, obsecro, non juratus quoque dicat, loqui hic sanctioris disciplinæ patronum?

Atque his quidem satis significat se sitire immortalitatem, pertæsum hujus quæ nunc est vitæ. Quæ sequuntur, præ se ferunt ipsius quoque voluptatis fastidium, tantopere apud magistrum suum laudatæ[g].

Versamur ibidem, atque insumus usque;
Nec nova vivendo procuditur ulla voluptas,
Sed quod abest, dum avemus, id exsuperare videtur
Cætera: post aliud, cum contigit illud, avemus;
Et sitis æqua tenet vitai semper hiantes:
Posteraque in dubio est fortunam quam vehat ætas,
Quidve ferat nobis casus, quive exitus instet.

Quid illa decantata de nascentium puerorum vagitu? nonne omnibus Platonicis et Pythagoreis clarius loquuntur, aut in meliora erigendos esse animos, quam pro mortalium ac terrenorum ratione, aut penitus desperandum hominibus de vita beata[h]?

Tum porro Puer, ut sævis projectus ab undis
Navita, nudus humi jacet, infans, indigus omni
Vitali auxilio, cum primum in luminis oras
Nixibus ex alvo matris Natura profudit;
Vagituque locum lugubri complet, ut æquum est,
Cui tantum in vita restat transire malorum.

Accedant, quibus apud eum Natura querulos homines, et sua fastidientes increpat[i].

Cur amplius addere quæris
Rursum quod pereat male, et ingratum occidat omne,
Nec potius vitæ finem facis, atque laboris?
Nam tibi præterea quod machiner, inveniamque,
Quod placeat, nihil est: eadem sunt omnia semper.

[g] Lucr. 3. 1092. [h] 5. 222. [i] 3. 954.

Atque etiam alio in loco [k]:

Deinde animi ingratam naturam pascere semper,
Atque explere bonis rebus, satiareque nunquam,
Quod faciunt nobis annorum tempora, circum
Cum redeunt, fœtusque ferunt, variosque lepores,
Nec tamen explemur vitai fructibus unquam:
Hoc, ut opinor, id est, ævo florente puellas
Quod memorant, laticem pertusum congerere in vas,
Quod tamen expleri nulla ratione potestur.

En veras tibi voces et ex imo pectore manantes! Contra autem, frigidum aliquid et inane non dubie sonant, quæ habet idem alioqui, solatii causa. Cogitetis modo formulam illam, sæpius repetitam, post acerba in religiones omnium probra:

Hunc igitur terrorem animi, tenebrasque necesse est
Non radii Solis, neque lucida tela diei
Discutiant, sed naturæ species, ratioque.

Gravia sane promissa, magna exspectatio: sed videte, oro, eventum. Docet scilicet, fore metus et erroris perfugium, siquis perspectum habeat ac probe cognitum, vel [l]

Nullam rem e nihilo gigni divinitus unquam,

vel [m]

Animum esse hominis partem, nihilo minus, ac manus et pes,
Atque oculi partes animantis totius extant;

vel denique [n],

Quo motu genitalia materiaï
Corpora res varias gignant, genitasque resolvant,
Et qua vi facere id cogantur, quæve sit ollis
Reddita mobilitas magnum per inane meandi.

Præclara scilicet animorum curatio, seu tumultuantium sive languentium, ut nescio quos calculos adhibeant ludo cuidam informium atomorum, et physicorum ediscant ratiunculas!

Proinde ea quasi solatia quoties allaturus est Lucretius, mirum quam exile, quam aridum fiat subito

[k] Lucr. 3. 1016. [l] 1. 151. [m] 3. 94. [n] 2. 61.

genus sermonis; usque eo dum incurrerit in aliquam mentionem ejus cæli ac terrarum pulchritudinis, quæ oculis cerni potest. Nempe vitia intento narrat animo, remedia languido. Quidni faciat, cum eam solam noverit rationem, quæ omnem ægritudinem levari velit commentis eorum, qui solent disputare, non tam in scholis quam in quibusdam officinis?

"At enim et semper fuere nonnulli, et nostro præsertim tempore non parva est eorum familia, qui velis equisque, ut aiunt, eam tueri non verentur opinionem; spem omnem videlicet et fortunam hominum in eo præcipue verti, ut bene respondeant anquirentibus de motu siderum, de metiendi solertia, de mathematicorum et physicorum oraculis." Esto: verum illud etiam scire velim, an qui ista tam impense laudant, iidem ullo tempore se significaverint tædio vivendi laborare, et sentire profundius communem illam omnium mortalium ægritudinem. Ex quo intelligitur, futuram esse penitus aliam eorum atque Lucretii rationem. Nulla apud eos ægrotantium animorum confessio: nulla collatio verissimi doloris cum medicamento omnium futilissimo. Non igitur per eos stabit, quin recte judicet aliquis, magnum ab ipso Lucretio præberi testimonium, etiam adversus se suamque disciplinam. Adeo non obscure indicat, hariolari se, hæc omnia vana fore, neque aliam ob causam eis acquiescendum, quam quia desint meliora. Similis plerumque est verentis, ne remedia subjecisse videatur, morbo ipso magis calamitosa.

Ac nescio an huc forte pertineat clausula universi ejus Poematis, curto quasi filo desinentis, in media historia pestis illius Atticæ [o].

Namque suos consanguineos aliena rogorum

[o] Lucr. 6. 1281.

Insuper instructa ingenti clamore locabant,
Subdebantque faces, multo cum sanguine, sæpe
Rixantes potius quam corpora desererentur.

Mirum vero finem operis omnium amplissimi, maximeque pertinentis ad summam philosophiæ, vitæque! nisi quia credibile est, defessum plane materie sua Scriptorem non adeo vehementer laborasse, quam potissimum clausulam imponeret imperfecto et ingrato operi. Nam illud quidem nulla satis certa ratione colligere possumus, scripsisse eum plura, quam quæ supersunt hodie: præsertim cum ipse, initio sexti libri, se jam currere demonstret[p] supremæ præscripta ad candida calcis.

Quare id in concesso habeatur, religioni quodammodo viam præstruere Lucretium, cum flebiles adeo cantilenas canat de universa spe hominum, non solum vulgi sed et familiæ suæ. Liceat jam majus addere aliquid; præ se ferre eum videlicet obscura quædam signa in altiora assurgentis: ita tamen, ut in somno magis viam quasi ultro palpare videatur, quam ulla certa spe duci, qualem vigilantes habent homines.

Primo, quod Infinita illa, toties jam a nobis memorata, (quo uno genere maxime continetur summa Lucretianæ Poeseos,) sunt ipsa (sit venia loquenti) velut Dei vestigia, naturæ hominum impressa. Num cui credibile est, somniaturum se ullo tempore sive de immenso et vago cælorum spatio, sive de purissima luce, seu denique de motu illo, præ omnibus ferme numeris celerrimo, ni foret per obscuram quandam divinæ magnitudinis notionem, informatam omnium animis? Quapropter, qui his cogitationibus occupatur, illum dixerim vel imprudentem sancta et vera sibi quærere.

[p] Lucr. 6. 91.

Mirabile profecto, quam sonent religiosum piumque sæpius Lucretii nostri carmina, tum cum maxime scriptor in amentia magistri sui versari videtur. Exempli gratia, Epicurum laudans ait[q],

Simul ac ratio tua cœpit vociferari
Naturam rerum haud divina mente coortam,
Diffugiunt animi terrores; mœnia mundi
Dissiliunt; totum video per Inane geri res;
Apparet Divum Numen, sedesque quietæ. . . .
At contra nusquam apparent Acherusia templa;
Nec Tellus obstat, quin omnia dispiciantur,
Sub pedibus quæcunque infra per Inane geruntur.

Contemplatur videlicet Inane illud suum, velut sedem plane ac domicilium Potestatis nescio cujus, infinitæ et immensæ.

Est etiam, ubi de vita nostra, et universa hac hominum republica, ita loquitur, quasi qui velit re ac veritate quam proxime accedere ad eam Providentiam, quam verbo ibidem tollit[r].

Usque adeo res humanas Vis abdita quædam
Obterit, et pulchros fasces, sævasque secures
Proculcare, ac ludibrio sibi habere videtur.

Fulmina porro ac tempestates modo non declarat Numinis esse opus[s].

Præterea, cui non animus formidine Divum
Contrahitur? cui non conrepunt membra pavore,
Fulminis horribili cum plaga torrida Tellus
Contremit, et magnum percurrunt murmura cælum?
Non populi, gentesque tremunt, regesque superbi
Corripiunt Divum perculsi membra timore,
Ne quod ob admissum fœde, dictumve superbe,
Pœnarum grave sit solvendi tempus adactum?

Atque hic minime prætereundi sunt eximii versus de futura mundi clade[t].

Principio, maria ac terras, cœlumque tuere:
Horum naturam triplicem, tria corpora, Memmi,

[q] Lucr. 3. 14. [r] 5. 1231. [s] 5. 1217. [t] 5. 93.

Tres species tam dissimiles, tria talia texta,
Una dies dabit exitio; multosque per annos
Sustentata ruet moles, ac machina mundi.

Neque vero id nihil ad pietatem attinet, quod a vulgari vitæ tenore, ab iisque rebus, quæ populo sunt in deliciis, penitus abducantur atque abstrahantur animi [u].

O miseras hominum mentes! O pectora cœca!
Qualibus in tenebris vitæ, quantisque periclis
Degitur hoc ævi quodcunque est!

Deinde post paullo [x],

Quod si ridicula hæc, ludibriaque esse videmus,
Reveraque metus hominum, curæque sequaces,
Nec metuunt sonitus armorum, nec fera tela,
Audacterque inter reges rerumque potentes
Versantur, neque fulgorem reverentur ab auro,
Nec clarum vestis splendorem purpureai,
Quid dubitas, quin omne sit hoc rationis egestas?
Omnis cum in tenebris præsertim vita laboret.

Videte, an apud quenquam severiorum inveniatis quod tenuem victum, animumque parvo contentum magis commendet.

His accedit, quod semel atque iterum cum voluptate quadam indulget idem desiderio nescio cui beati purique ætheris:

Apparet Divum numen, sedesque quietæ.

Atque etiam in quodam versu apud eum nominantur [y]

Luna, dies, et nox, et noctis signa *severa*.

Severa autem cur vocet astra, non equidem video, nisi quoniam eorum aspectu contremere soleat et ipse, quasi coram adsit vis quædam major humana.

Deinde conferatur Lucretii pictura, qua laudat ille vel rus quietum vel tranquillæ philosophiæ otium,

[u] Lucr. 2. 14. [x] 2. 46. [y] 5. 1189.

cum iis quæ promittit Vox vere divina, si quis strenue pietatem colat [z].

Quod Sol atque Imbres dederat, quod Terra crearat
Sponte sua, satis id placabat pectora donum;
Glandiferas inter curabant corpora quercus
Plerumque: et quæ nunc hiberno tempore cernis
Arbuta Pœniceo fieri matura colore,
Plurima tunc Tellus etiam majora ferebat:
Multaque præterea novitas tum florida mundi
Pabula dia tulit, miseris mortalibus ampla.

Ad Philosophiam vero quod attinet, sufficiant illa toties repetita [a]:

Nil dulcius est, bene quam munita tenere
Edita doctrina Sapientum templa serena,
Despicere unde queas alios, passimque videre
Errare, atque viam palantes quærere vitæ.

Quantulum ex his erit mutandum, ut ad nostram regulam dirigatur sententia, unice illam veram sanctamque!

Venio denique ad illud, quod mihi semper visum est permagni in hanc partem momenti. Quamvis enim disputando neget Lucretius, morte obita permanere quicquam humanum, habet tamen et ipse quodammodo Heroum suorum concilia, Manesque mortuorum, quorum imaginibus et colloquiis vel per somnia mirandum in modum delectari se non semel significat. Consideretis modo velim, qua pœna sanciat, nequis Deos putet anxie mortalia curare [b].

Quæ nisi respuis ex animo, longeque remittis,
Dîs indigna putando, alienaque pacis eorum,
Delibata tibi per te tibi numina sancta
Sæpe aderunt; non quod violari summa Deum vis
Possit, ut ex ira pœnas petere imbibat acres;
Sed quia tute tibi placida cum pace quietos
Constitues magnos irarum volvere fluctus;
Nec delubra Deum placido cum pectore adibis,

[z] Lucr. 5. 935. [a] 2. 6. [b] 6. 67.

> Nec, de corpore quæ sancto simulacra feruntur
> In mentes hominum divinæ nuncia formæ,
> Suscipere hæc animi tranquilla pace valebis.

Plane quasi minime vitalis sit vita, nisi detur aliquis congressus et communio hominum cum divina quadam et cælesti familia.

Deinde, qui Bacchi, Herculis, cæterorum rejicit atque aspernatur historias, idem non veretur Epicurum suum in numerum Deorum immortalium referre [c].

> Hæc igitur qui cuncta subegerit, ex animoque
> Expulerit dictis, non armis, nonne decebit
> Hunc hominem numero Divum dignarier esse?

Adeo carere non potuit ne impiæ quidem disciplinæ antistes, quem prosequeretur pio caroque affectu, longissime licet remotum e mortalium oculis.

Diximus de rerum ipsarum tenore, tali quidem, ut pœne confirmare ausim, inversis ferme quæ dici solebant de ipsius Epicuri doctrina, Verbis Lucretium tollere Providentiam, re relinquere. Veniamus nunc ad formam disputationis Lucretianæ, modosque ejus cogitandi ac loquendi. Nam ex ea quoque parte fieri potest, ut edat quis exempla minime dubia religiosi animi, intentique in ea quæ humanum modum superant. Quo in genere habendum est illud, quod solertia quadam utuntur scriptores venandi locos, et veritatis eruendæ, si quid uspiam conspicere poterunt, quod rerum admoneat quarum desiderio tenentur. Atque in hac sive arte seu facultate Lucretius noster, omnium consensu, primas sibi semper vindicavit. Etiam illi qui minus curant ea quæ Poetarum sunt propria, solent admirari eum, quam ingeniose minima quæque arripiat, ac plane fortuita,

[c] Lucr. 5. 50.

atque in rem suam, suique Epicuri, convertat. Velut ubi ex pulveris particulis, in lumine Solis volitantibus, primordiorum suorum exemplum sibi sumit [d].

> Contemplator enim, cum Solis lumina cunque
> Insertim fundunt radios per opaca domorum,
> Multa minuta modis multis per Inane videbis
> Corpora misceri radiorum lumine in ipso,
> Et velut æterno certamine prœlia, pugnasque
> Edere turmatim certantia, nec dare pausam
> Conciliis et discidiis exercita crebris:
> Conjicere ut possis ex hoc, Primordia rerum
> Quale sit in magno jactari semper Inani.

Sexcenta alia sunt ejusmodi: nullus enim locus in Lucretio latius patet. Verum ex uno illo percipiatis licet admirandam hominis solertiam, qua in rebus usitatissimis imagines sibi reperit earum quas caras habet. Videtis vero, ea facultate vix quidquam fore utilius, ad omnia religionis officia.

De styli autem colore non est cur multa disseramus, cum is sit, omnium judicio, quem declaret versus Horatianus,

> Verbaque provisam rem non invita sequentur.

Nimirum in summa illa copia, subtilitate, suavitate, adest tamen inornatum aliquid, mirifice aptum illi Scriptori, qui veritatem nullo unquam tempore posthabiturus sit facundiæ. Quo quid dici potest convenientius cum eorum officio, quicunque circa immortalia ac divina versantur?

Atque hic eloquar, quod mihi venit in mentem: exiguum illud quidem, sed quod sua vi fortasse non penitus careat. Significat Lucretius non semel se vix æquo animo jejunitatem Latinæ linguæ pati posse: "patrii sermonis," ut ipse appellat, "egestatem."

[d] Lucr. 2. 113.

Videndum, an hæc conveniant quodammodo cum eorum more, qui ex animo disputant de graviore aliqua re: nedum de sanctissimis omnium religionibus. Nonne sæpius incusant verborum inopiam, curantque, ne in rem ipsam conferatur culpa, quæ propria est solius linguæ vel ipsorum vel patriæ suæ? Quapropter in istis etiam agnoscere licet indicium aliquod leve illiusmodi indolis, quæ veræ pietatis jura, semel modo cognita, arreptura erat avidius, et constantius servatura.

Quod idem intelligi debet de illa quoque severitate, a nobis jam ante non semel animadversa. Etenim, cum nihil sit adeo alienum a risu atque joco, ac sacrosanctæ religiones; qui ex animo dicere videtur omnia, is ea re duntaxat religiosi ac sancti viri speciem habet.

Denique in omni hoc capite maximum id ac præcipuum erit, Poetam physicis etiam rationibus, ubi et pressius erat disputandum et distinctius depingenda omnia,—immo calculis prope mathematicis,—adhibere cogitationem nescio cujus Profundi, circum usquequaque, ut ita dicam, patentis: quod ita nequeas explorare, ut ne tamen facile careas spe, fore aliquando ut in eo liberrime spatieris. Altiorem hunc sensum, et cum religione conjunctiorem, fatetur, si recte capio, Lucretius, etiam ubi jactabundus ait, nullam Naturæ regionem non fuisse Epicuro perviam [e].

His tibi me rebus quædam divina voluptas
Percipit, atque horror, quod sic Natura tua vi
Tam manifesta patet ex omni parte retecta.

Quemnam, obsecro, locum habebit horror iste, seu

[e] Lucr. 3. 28.

religiosa formido, quam ait commisceri cum doctrinæ jucunditate, nisi quia mens ultro sibi fingit obscuram aliquam atque infinitam vim, quæ omni loco ac tempore adsit? Hoc autem ecquid erit aliud, atque obscure ac latenter agnoscere DEUM? DEUM, inquam, illum, qui res hominum non penitus prætereat ac negligat. Alioqui non equidem intelligo, cur metu commoveatur aliquis, quoties sibi venerit in mentem magnum illud Profundum Naturæ, verique. Neque video, tale aliquid usu venire illis hominibus, qui magni et præclari sibi videntur hoc tempore, metientes rerum naturam Epicuri modulo. Nemo omnium, quod sciam, contremuit, nemo formidine imbutus cælum, terras, mare spectavit: pro certo habere credideris, in hoc tanto mundi spatio nullum plane angulum fore, quem non explorare possint ipsi, modo satis longum detur vitæ curriculum. Ex quo efficitur, privari eos sua quemque et delectatione et laude eximia. Quis enim, humana indole, non malit infinitæ doctrinæ vel in primis versari initiis, quam finitæ et angustæ fastigium licet exactissimum imponere?

Ex hac utique parte non caret sua quadam Poesi ne abstrusior quidem illa mathematicorum ars et ratio, nedum eorum, qui in physica exercentur, atque in externa hac terrarum cælique pulchritudine. Est in utroque genere quod magis ac magis miretur aliquis, quod prosequatur cum amore et desiderio, quo in arcana nescio quæ spatia evehi et abduci se sinat animus: Mathematicis videlicet sua, quam vocant, Analogia, abditæque numerorum et magnitudinum rationes, alia post aliam in infinitum excurrentes: Physicis, similitudinum ingens copia, plurimæque occultarum virium significationes. Utramque provin-

ciam qui ita colit, tanquam venerabile aliquod tractet ac sacrum, tanquam mirando ferme majorem quam inveniendo habeat voluptatem, illi profecto viro dixerim non male præparata fore pectora, vel ad poeticam vel ad ipsas religiones.

His tot tantis indiciis nescio an recte dicam accedere exquisitum illum styli Lucretiani nitorem, quo velut puro aere pellucet rationum junctura et series. Difficile prorsus erit ejus rei ponere exempla, cum in eo sita sit vis ejus, ut non tam parte aliqua splendeat, quam omnem quasi regionem vestire videatur purpureo quodam et æquabili lumine. Rem proxime sane abesse dixeris ab ipsius Naturæ artificio, siquod ea solito elegantius efformari voluerit: folium, verbi gratia, delicatioris herbæ, vel accuratam vocum harmoniam: qualia qui diligentius consideret, illum utique vel solus absolutæ pulchritudinis sensus poterit interdum extra se rapere. Quanto credibilius, Lucretium ipsum, longo jam usu imbutum his coloribus, intimo quodam frui altioris Naturæ sensu, quoties aliquod solito felicius adumbret!

Atque eam fortasse vim habebat procemium illud [f]:

Primum quod magnis doceo de rebus, et arctis
Religionum animos nodis exsolvere pergo:
Deinde quod obscura de re tam lucida pango
Carmina, Musæo contingens cuncta lepore.

His adjungi poterunt versus non semel allati [g]:

Suavidicis potius quam multis versibus edam:
Parvus ut est Cycni melior canor, ille Gruum quam
Clamor, in ætheriis dispersus nubibus Austri.

Ecquis hæc putet inaniter modo gloriari Lucretium,

[f] Lucr. I. 930. [g] 4. 181. 907.

talem virum? ecquis non veniam potius concedet sua collaudanti paullo liberius, propter significationem arcanæ et optimæ Naturæ?

Quare ut breviter ea retractemus, quæ in hodierna causa sunt dicta: quoniam statuimus, Lucretium primo materie, deinde genere dicendi et argumentandi, cum amore quodam delegisse sibi, siquid abstrusum erat, si quid immensum, si quid nullis obseptum terminis: (quod genus unum omnium maxime removere solet animos a vulgari et populari vita:) præterea cum eas undique sectetur imagines, quæ tum magnitudine tum venustate impressa gerant Numinis vestigia; cumque ea fundat tum physicorum tum mathematicorum etiam oracula, quæ semper erigant animos in spatia quædam excelsa et obscura: non erit cur adeo miremini, plures ab eo, quam ab omni veterum choro, suppeditari versus, qui ad usus vere divinos adhiberi possint. Adeo, Epicureus cum esset, et edicto nationis suæ vetaretur, ne Deum ulla formidine coleret, sponte se recepit in Naturæ recessus, atque in obscuras infinitarum rerum notiones. Ex hac itaque materia dolavit sibi religiones, quales poterat. Adytum videlicet intrare non ausus, errabat quodammodo circa fores et limina ejus, cum mœrore et desiderio,

> Tendebatque manus ripæ ulterioris amore.

Hunc denique (modo sit auguranti venia) voluit Deus Opt. Max. insigni fore documento, quonam potissimum in numero sit habenda tum omnis hæc forma et facies mundi, tum illa præsertim Poeseos pars, quæ cum eadem arctissime conjungitur. Nempe, pietate nondum cognita, genus hoc omne con-

cedi crediderim in solatium ægris mortalibus; imbutis semel divina veritate animis, poni debere eadem in instrumenti loco, cum et significationes habeant religiosas, et plenorum animorum remedium, et mirifica gratæ, castæque mentis cum beata illa regione commercia.

PRÆLECTIO VIGESIMA SEXTA.

Virgilius, ipso teste, Lucretium habuit magistrum. Annumerari debere eum rustico, non actuoso, Poetarum generi. Æneidem scripsit invita quodammodo Minerva: qui primum in ipso Ænea penitus frigeat, deinde semper lætus lubensque in Naturæ tranquilla se recipiat, postremo res bellicas se prorsus odisse significet.

RES ipsa docet, post Lucretium tentanda esse Virgiliana; primum, quia temporis et loci ratione proxime inter se conjunguntur. Neque enim credibile est, sine serie quadam certaque lege prodiisse in lucem eximios quosque Poetas: modo nobis liceat conjectura eam augurari, ex aliqua vel minima parte. Nisi forte ferat aliquis docentem, bellorum quidem exitus, regumque et ducum fortunas, via et ordine gubernari, nullam autem rationem haberi eorum, qui ingenio librisque profuerunt non modo ætatibus suis, verum etiam omni posteritati. Durissima sane opinio, et vix humana! quam si rejicimus, sequitur illico, vix posse deduci commodiore filo rei poeticæ mutationes et incrementa, quam si quis simpliciter temporum ordinem sequatur. Qua fere formula nos usi sumus, in hac qualicunque dis-

putatione de veterum Poesi; nescio equidem an satis feliciter: illud certe videre mihi videor, aptissime quadrare ad usus atque ad desideria hominum, suo loco ac tempore, singula Poeseos genera: Homericum videlicet, Pindaricum, Æschyleum, Lucretianum: modo ne nos omnino fefellerit propria cujusque indoles et summa ratio.

Quare in his quoque Virgilianis pergendum erit, opinor, eodem itinere: præsertim cum non obscure Scriptor ipse significet, respicere se Lucretium omni tempore, ita tamen, ut neque imitari eum audeat, neque se laborare intelligat in eadem prorsus provincia. Atque huic argumento vel unum sufficiat carmen jam ante a nobis prædicatum, sub fine secundi libri Georgicorum: quo se profitetur velle ante omnia Musis commendari, docendum arcana Naturæ [a]:

> Defectus Solis varios, Lunæque labores,
> Unde tremor terris, qua vi maria alta tumescant
> Objicibus ruptis, rursusque in se ipsa residant;
> Quid tantum Oceano properent se tingere Soles
> Hyberni; vel quæ tardis mora noctibus obstet.

Post paullo "felicem" appellat,

> Qui potuit rerum cognoscere causas,
> Atque metus omnes et inexorabile fatum
> Subjecit pedibus, strepitumque Acherontis avari.

Habetis manifestum Epicurei vatis præconium; de ipso Epicuro quid senserit, ejusque doctrina, reliquit, ni fallor, in ambiguo. Neque alia fortasse est ratio cantilenæ istius Sileni [b]:

> Uti magnum per inane coacta
> Semina terrarumque animæque marisque fuissent,
> Et liquidi simul ignis: ut his exordia primis
> Omnia, et ipsi tener mundi concreverit orbis.

[a] *Georg.* 2. 478.

[b] *Ecl.* 6. 31.

Mira sane materies carminum, ni foret in manibus Lucretii poema, recens ac nobile exemplum.

Proximi versus eundem revocant, pingentem pristinæ illius vitæ, vacuique orbis solitudinem [c]:

> Incipiant silvæ cum primum surgere, cumque
> Rara per ignotos errent animalia montes.

Porro crediderim equidem tacite laudari Lucretiana, ubi fingit Virgilius Iopam suum cum cithara et carmine regias ornare epulas [d]:

> Cithara crinitus Iopas
> Personat aurata, docuit quæ maximus Atlas:
> Hic canit errantem Lunam, Solisque labores,
> Unde hominum genus, et pecudes; unde imber et ignes;
> Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones.

Deinde adhibet quæ totidem verbis jam antea posuerat in Georgicis, "Quid tantum Oceano;" ne forte dubites, annon eadem plane versetur sibi ante animum species poeticæ.

Ex his efficitur, Virgilio nostro, se quidem ipso judice, intercedere cum Lucretio cognationem quandam, non levem illam, neque fortuitam, sed insitam penitus et inustam utriusque præcordiis: multo itaque verius ascribi eum Pastoralium, quam Epicorum ordinibus: neque tam ex Æneide judicandum de peculiari ejus vena, quam ex iis, quæ scripserat, junior cum esset, suumque ad arbitrium magis et viveret et caneret.

Verum quid multa? in hac Virgiliana causa, siqua in alia, supersedendum longis ambagibus. Nolo hic circumeat aliquis, dubio pede, obscura quasi loca: nihil opus erunt conjecturæ subtiles, et odora quædam vis diligenter et acute venantium. Ut enim

[c] Lucr. 5. sub init.

[d] *Æn.* I. 744.

sponte non incurrat res ipsa in legentium oculos: ut concedamus, dubitari posse, an aliud quicquam magis sonent carmina ejus, quam ruris ac naturæ laudes: ipsius Poetæ habemus directum et apertum de se suaque indole testimonium; illis videlicet versibus, qui jam non semel a nobis recitati sunt; quorum hæc tandem summa evadit:

> Rura mihi et rigui placeant in vallibus amnes;
> Flumina amem sylvasque inglorius.

Illis, inquam, versibus velut ex edicto declarat Poeta, quonam velit esse loco, quasque se tenere intelligat partes in choro illo sanctissimo cœtuque Musarum. Eademque ferme istius sententiæ vis esse videtur in re poetica, ac siquis, ut fit, in re divina quid sentiat, proferendum curet, conceptis de more verbis.

Atque his quidem versibus, maturior cum esset tum annis tum usu scribendi, tanquam ex superiore loco de se judicasse videtur: sed eadem ferme ominatus erat, quæ fuit ejus prudentia, cum primum Bucolica pangebat [e].

> Cum canerem reges et prælia, Cynthius aurem
> Vellit, et admonuit, Pastorem, Tityre, pingues
> Pascere oportet oves, deductum dicere carmen.

Intelligas fortasse, Varum quendam, primarium virum, cum Poeta egisse, ut omisso genere illo tranquillo et agresti, conferret se potius ad Homerica quædam scribenda. Talem aliquam significationem habent, ni fallor, quæ proxime ab his leguntur:

> Nunc ego (namque super tibi erunt, qui dicere laudes,
> Vare, tuas cupiant, et tristia condere bella)
> Agrestem tenui meditabor arundine Musam.

Illis videlicet monitoribus quasi ludens respondet Virgilius, sibi olim vel adolescenti in mentem ve-

[e] *Ecl.* 6. 2.

nisse materiam illam bellicosam, sed paruisse se monitis minime dubiis Genii sui, neque oneri successisse, cui parum aptus esset. Volenti adeo ac lætissimo animo recepisse se in sua silvestria, tanquam in portum.

Porro animadvertatis velim, Tityri nomine nuncupare se his versibus Poetam: ex quo intelligitur, quæ alias non pauca eodem nomine efferuntur, ea omnia non male referri ad ipsius Virgilii personam. Atque ea res quam vim habeat in hodierna disputatione, post paullo videndum erit. Nunc illud addam, Virgilium, cum sæpius fateatur se vestigiis alicujus priorum insistere, nullo tamen tempore, quod sciam, Homerum auctorem præ se ferre. Pastoralia quod attinet, Theocritum sibi vindicat magistrum [f]:

> Prima Syracosio dignata est ludere versu
> Nostra, nec erubuit sylvas habitare, Thalia.
> [g] Sicelides Musæ, paullo majora canamus.
> [h] Ibo, et Chalcidico quæ sunt mihi condita versu
> Carmina pastoris Siculi modulabor avena.
> [i] Extremum hunc, Arethusa, mihi concede laborem.

Possim alios proferre versus, quibus idem quasi dedita opera, immo non sine delectatione quadam, docet, pertinere se ad Siculos atque ad Theocriti familiam. Etiam ubi ad Georgica ventum est, non veretur Scriptorum prudentissimus, sumere sibi Hesiodi partes [k]:

> Ascræumque cano Romana per oppida carmen.

At in omni, quam longa est, Æneide, licet assidue non modo imitetur verum etiam verbis reddat Homerica, nunquam invenies ubi nomine appellet Patrem illum et rerum Inventorem: crederes pæne, religione aliqua vetari. Noluit videlicet, pro ingenua, qua erat, indole, locum ille vel ultimum pos-

[f] *Ecl.* 6. 1. [g] 4. 1. [h] 10. 50. [i] 10. 1. [k] *Georg.* 2. 176.

cere in Epicorum vatum concilio: cum bene sentiret, in isto curriculo laborare se, etsi fortasse non invita adeo Minerva, at invitum tamen ipsum, et rerum aliarum cupidum. Erat autem Virgilius, ut arbitror, elegantissimus omnium judex, tenerrimoque pulchri sensu imbutus: quo facilius assentiamur ipsi de se judicium ferenti. Quid, quod æquales ejus idem ferme videntur sensisse? Siquidem noto illo discrimine sejungit eum a Vario sermo Horatianus[1]:

> Forte epos acer,
> Ut nemo, Varius ducit: molle atque facetum
> Virgilio annuerunt gaudentes rure Camœnæ.

Videtisne, Horatium Virgilio, novo Poetæ, non solum tribuere, quasi propriam provinciam, rura ac naturæ delicias, verum etiam negare actuosum et heroicum genus, collata certe Varii, tum maxime vigentis, indole?

Profecto et arrogantis foret et insulsi, quam sententiam planissimis verbis tulerint duo celeberrimi Poetæ, alter de se, alter de proximo amico, eam tamen in dubium incertumque revocare.

Quin hac quasi formula semel constituta, missam faciamus omnem quæstionem de summa Virgilianæ Poeseos. Ad ea pergamus, quæ neque carebunt voluptate, et fructum habebunt uberiorem, et cognitu erunt certiora: quibus utique de causis evenerit, ut hic unus omnium maxime in suo genere cæteris specimen esset; quo animi tenore, quibus fortunis, qua potissimum philosophia adoleverit suavissimus ille Naturæ conjector et interpres.

At enim in aliam omnino nationem amandari eum semper decrevit maxima pars Criticorum, quos vocant. Qui scilicet Epici carminis specie tantum

[1] Hor. *Serm.* I. 10. 43.

atque nomine mirum quantum præstringi solent. Simul audivere heroas, bella, incensam urbem, profugos Penates, Italiam fatis petitam, armis devictam, cætera omnia, quibus continetur Poeticæ grandioris apparatus; alterum statim sibi fingere cœperunt Homerum. Neque facile adducentur, ut credant, medio illo militiæ forique strepitu vivere ac vigere potuisse ruris quieti desiderium, immo Martiis quodammodo se immiscere cantibus: quo factum sit, ut in rebus ferme iisdem disparia prorsus evaserint Poetarum, ac primariorum quidem, genera.

Neque vero non aderit probabilis quædam, quæ afferri possit, eorum sententiæ ratio. Ut enim illud omittamus, singulas fere partes Æneidos expressam veluti imaginem præ se ferre singularum vel Odysseæ vel Iliadis partium:—non enim statim ex imitatione sola, sed potius e more modoque imitandi definienda erit scriptoris cujusque natio:—sed ut omnem illum locum prætereamus, ecquis negabit, ornari a Virgilio res vel maritimas vel Martias acerrima verborum vi, densissimis imaginibus, numeris pro re ac tempore nunc fluentibus nunc incitatis? quæ omnia declarare solent proprio campo laborantem, non adversante ac repugnante Natura. Adhibeamus, verbi gratia, qui librum versantibus primi forte occurrant versus [m].

> At tuba terribilem sonitum procul ære canoro
> Increpuit. Sequitur clamor, cælumque remugit.
> Accelerant acta pariter testudine Volsci,
> Et fossas implere parant, ac vellere vallum:
> Quærunt pars aditum, et scalis ascendere muros,
> Qua rara est acies, interlucetque corona
> Non tam spissa viris. Telorum effundere contra
> Omne genus Teucri, et duris detrudere contis,
> Assueti longo muros defendere bello.

[m] *Æn.* 9. 503.

Num potuit, inquient, alacri magis animo in media cæde atque in tumultu versari sive Homerus seu ferox ipse Tyrtæus? Ac fateor equidem: neque enim Virgilio, ulla in materie, defore crediderim aut liberum illum cursum sonitumque verborum, aut poeticam, quam vocant, ἐναργείαν, quæ coram ante oculos sistere solet omnia. Isto quasi instrumento ac supellectili adeo insueverat, creberrimo usu, peritissimus dicendi artifex, ut ne in triviali quaque re facile potuisset, opinor, eo carere: nedum in eo argumento, quod Augusto commendante (sic enim accepimus) omni studio et diligentia ornabat. Nam et apud nos quoque nobiles Poetæ cecinerunt quæ cuique obvia venerant; alius muscam forte interemptam, alius abscissum puellæ crinem, alius, si res ita tulit, aliam rem; neque ullam leporis et ingenii partem omiserunt: cum nemini tamen unquam in mentem venerit, de rebus istiusmodi serio cogitasse scriptores, neque in iis verti summam eorum Poeseos. Falluntur itaque, si qui veram Poetæ indolem certo satis deprehendere se arbitrantur eximio vel sonitu carminum vel imaginum splendore.

Quin ad ea potius nos conferimus, quæ ad mentem ipsam, non ad aures oculosque referuntur. Tam Heroicos quam Tragicos judicemus ex illorum personis, qui primas apud eos agunt. Quod si, quæ ad principem quemque pertinent actorem, frigida ea pleraque et coacta esse videbuntur, vix erit credibile, scriptori illi placuisse ex intimo animo susceptum opus; neque, id quod ridens de se ait Horatius, ideo istis certe versibus dedisse operam, propterea quod nequibat dormire.

Videtis, Academici, quo tendat oratio: non eritis a me docendi, longissime inter se distare, quod ad

hoc caput attinet, Poetarum primores veterum. Nimirum in Iliade nihil non sapit Achillem: Achillem, inquam, non virum quemvis bellicosum, sed qualem esse voluit Poeta, proprio quodam et præcipuo lucentem lumine: Achillem illum, qui, vixdum e pueris egressus, sciens volensque se Orco devoverat, modo ne careat summa et profecta gloria: quem adeo cum favore quodam prosequi solent non sui, non homines modo, sed et immortalium concilia et mutorum animalium catervæ. Pendet videlicet ex uno illo viro omnis Asiæ Græciæque fortuna: irato eo, prorogatur Trojæ exitium; placato, expeditur: desideramus absentem; cæteros, statim ut ante oculos prodeunt, tacite cum eo quasi comparamus. Denique Achillem a suo vate summo in honore haberi nemo non dixerit: Virgilius contra de Ænea quid senserit, non adeo facile neque certum erit judicium. Pium quidem, Patremque, assidue nominat: non sine magno verborum sonitu et pompa quadam similitudinum mittit in scenam: immo cum eo sentire facit cælum et terras et chorum universum Naturæ, et siquid usquam aut Deorum adest aut Dæmonum. Veruntamen hæc omnia nescio quomodo officiosam quandam sedulitatem sapiunt; magisque pertinere videntur ad munus pensumque aliquod, quam ex imo corde hominis sponte profluere ac dimanare.

Illud quoque permolestum habet Æneis, quod ne ad finem quidem universi Poematis satis expressam certamque relinquat imaginem ejus viri, cui primas tribuerit partes. Equidem, quid alii sentiant, nescio: mihi certe de Ænea cogitanti nulla prorsus occurrit persona, quam vel extremis lineamentis efformari et effingi dicam: nullo quasi augurio præsentire mihi videor, quid in re quaque ille vir aut

dicturus sit aut acturus: ut interdum pæne in ea sim sententia, nihil admodum cogitasse Virgilium de Æneæ sui moribus et indole; tantum extare voluisse quasi umbram egregii nominis, in quam caderent ea, quæ tradiderat antiquissima memoria de Romanorum et Juliæ gentis originibus. Atque exinde effectum esse, ut pleraque diceret ageretque Vir Trojanus eorum prope ritu, qui susceptas semel partes, vel in republica, vel in alio quovis cœtu ac familia hominum, utcunque sibi tuendas esse arbitrantur. Nihil tali viro expeditum, nihil plane liberum. Nullæ *veræ voces ejiciuntur ab imo* ejus *pectore.* Sicut autem in hoc communis vitæ commercio parum lepidi putantur isti homines, sic Æneæ nostri persona friget, opinor, plerisque legentibus.

Deinde, quid si docebo, ipsum aliquando scriptorem ultro prosequi suum, ut ita dicam, alumnum capitali ferme pœna atque odio? Atqui non alia videtur esse ratio eorum omnium quæ ad Didonem pertinent. Sic comparatus est ille locus, ut indigna plane res et μιαρὰ esse videretur, si impune tulerit Æneas. Consulto itaque fecit Virgilius, ut in futurum hominis interitum, quasi læto augurio, erigeret aliquando animos [n].

Si tangere portus
Infandum caput, et terris adnare necesse est,
Et sic fata Jovis poscunt, hic terminus hæret;
At bello audacis populi vexatus et armis,
Finibus extorris, complexu avulsus Iuli,
Auxilium imploret, videatque indigna suorum
Funera; nec quum se sub leges pacis iniquæ
Tradiderit, regno aut optata luce fruatur;
Sed cadat ante diem, mediaque inhumatus arena.
Hæc precor: hanc vocem extremam cum sanguine fundo.

Divina sane vox, ut quæ prodeat ex ore morituræ:

[n] *Æn.* 4. 612.

quam adeo non invitus accipiat, quicunque perjurii pœnas exigi velit.

Præterea videndum, an tale aliquid sonet colloquium illud cum umbra Didonis, ingresso jam inferos Ænea: si modo colloquium erat, ubi post submissa viri verba, magnamque perturbati animi significationem [o],

> Illa solo fixos oculos aversa tenebat,
> Nec magis incepto vultum sermone movetur,
> Quam si dura silex aut stet Marpesia cautes.
> Tandem corripuit sese, atque inimica refugit
> In nemus umbriferum, conjux ubi pristinus illi
> Respondet curis, æquatque Sichæus amorem.
> Nec minus Æneas, casu percussus iniquo,
> Prosequitur lacrymans longe, et miseratur euntem.

Hæc nescio quomodo sonant demissius, quam pro dignitate fortis bonique viri, nedum auspicis et auctoris rei Romanæ. Eo spectabat, credo, Virgilius, (sponte, an dedita opera, quis dicat?) ut satis abjectum atque humilem poneret Æneam: illud autem quam grave, peccantibus in pudorem, nullum apud Inferos mutandi animi locum fore!

Sed pergamus jam in Latium cum Æneadis: nam ibi quoque paullo iniquiorem præbuit se in Æneam Poeta, cum Turno, æmulo ejus, indolem dederit non modo nativam ac simplicem, verum eam quoque, quæ maxime capiat animos, ingenuo quodam et juvenili ardore: cum præterea non dubie significaverit, amari eum ab ipsa Lavinia: deinde quod instar omnium est, justam piamque bellandi causam addiderit; eam utique quam qui oppugnet, is necesse erit excuset aperta ac clara Dei mandata, solenne illud, in Æneide, fraudis velamen.

Ad summam, conferat inter se aliquis Hectorem

[o] *Æn.* 6. 469.

ab Achille, Turnum ab Ænea occisum, quæque ad utrumque pertineant seu moriturum sive mortuum; sentiet is, credo, non admonitus, quid inter Iliadem atque Æneidem intersit. Nam Hectoris quidem ita nos miseret, ut Achillis tamen manu patiamur eum succumbere, viri scilicet fatali potentia præditi, Deoque propioris: Turnum mœrentes modo prosequimur, indigne videlicet ab eo peremptum, qui nulla admodum indolis suæ luce potuit oculos nostros præstringere. Quo in loco, ut antea, illud succurrit, immitem atque atrocem rem prudentissime ab Homero temperari. Nam duobus quasi actibus productiorem esse voluit fabulam, quam facile ferat nota illa formula Aristotelis: quorum alter habet Patrocli exsequias, alter Priami et Achillis colloquium: itaque ex utraque parte lenitur illa effera vis animi, cum et initio sæviisse intelligamus nimia cura mortui sodalis, et in misericordiam revocari posse, postquam semel satis sit ejus Manibus factum. Quod autem consilium laudant Maronis, Turno jugulato rem omnem finientis, vereor, ne ea res Æneæ non parvo steterit incommodo. Magnam vim habet in utramque partem totius cujusque historiæ clausula; Æneam vero, sic e conspectu abeuntem, vix erunt qui bonis prosequantur votis et ominibus.

Verum ut ea mittamus, quæ propria sunt Æneæ: neque in illius neque in Turni persona, neque in alio quovis eorum, qui in scenam prodeunt Virgilianam, illud video, quod præcipuum habet Homerus: eventus scilicet ac summam cujusque rei verti penitus in eorum, qui agunt, moribus et affectu. Nodum ipsum, qui vocatur, Iliadis constare novimus sola principum virorum ira: nescio autem, an nullam partem Æneidos mutandam fore dixerim, mutata Heroum ibi

versantium indole. Apud illum non universi modo belli, verum etiam singulorum, pæne dicam, certaminum exitus mirifice declarant præliantis cujusque ingenium; tam eorum qui secundas tertiasque, quam qui primas agunt partes. Virgilius, non enim negabo, multa tum arte tum diligentia variavit casus et pericula suorum: ita tamen, ut aut reficeret animos, imaginibus e tranquilliore vita depromptis, aut miserorum mortalium lugeret fortunas: ipsorum, qui dimicant, personis vel minorem impendit curam vel certe non adeo felicem; unum modo alterumque excipias.

Proximum est, ut illud quæramus: ecquem in Æneide, præter unum fortasse Turnum, cum amore tacito recordari solent homines, et intus quodammodo apud se formare et fingere: ecquæ inde dimanarunt quasi hominum imagines, quæ possent assidue venire nobis in mentem, exercitis usu rerum, vitæque consuetudine: cum in Iliade et Odyssea exprimantur sua quisque effigie, non modo "ductores Danaum delecti, prima virorum," sed Cebriones etiam quivis et Automedon et Euryclea, multique alii, qui brevissimo tempore muneribus plane minimis funguntur.

Neque vero me ista judicantem effugit Euryali ac Nisi memoria, neque Pallantis et Evandri, nec miserrimæ omnium Didonis; nec siquid simile habet præterea Virgilius. Sic autem ferme statuo: Virgilianos homines non tam sui causa, quam fortunarum suarum, erigere plerumque et commovere animos; ut qui modulo eo exigantur, qui pertineat magis ad summum cujusque (quod vocant Dialectici) genus: Homericos contra paucissimis quidem lineis, ita tamen adumbrari, ut habeat unusquisque singu-

lare quoddam ac proprium: neve (verbi causa) petulans quilibet juvenis, aut uxor pudica, aut regius intret senex, sed Paridis ipsius persona, vel Andromachæ, vel Priami.

Homeri laus excellens et summa delectatio in moribus heroum et in actione ponitur. Locum omnem de rure ac Natura tractat ille quidem uberrime, sed eo animo, ut semper actorum partes et agendi rationem luce aliqua donet. Virgilio tum demum placet narratio sua, cum in loco aliquo versatur amœniore. Ille propter homines flumina ac sylvas, hic fluminum ac sylvarum gratia ponit fata, moresque hominum. Cum Homeri mentione recurrunt illico imagines non Xanthi ac Simoentis, neque litoris Troici, sed ipsorum bellantium, Achillis, Hectoris, cæterorum. Illi contra, quos Virgilii juvat memoria, cogitabunt ultro de litore aliquo vel flumine, de locis sive lætis seu sacrosanctis, quorum ille picturam heroicis suis admiscuit. Atque in hac re consentientem, ut opinor, mecum habebo elegantem illam Pictorum nationem. Nimirum qui ex Homero materiam sumserunt, reges plerumque et prælia nobilesque fœminas: qui e Virgilio, rura pinxerunt, montium anfractus, aquarum lapsus, nubes coloratas, cætera omnia, quæ ad tacitam pertinent Naturam. Num in omni Æneide gravius quiddam aut actum est aut agi potuit, quam primus Æneæ cum suis Trojanis ad littora Latinorum appulsus? num erat ubi liberius spatiaretur qui decreverit imitari res gestas regumque ducumque, sive stylo, seu liquidis coloribus? sed tamen, qui eam rem expressit, eruditus sane pictor, Claudius Lotharingius, omnem, uti nostis, operam poni voluit in ipsis locorum amœnissimorum deliciis. Neque id

injuria: nam et Poetæ nihil antiquius fuisse constat. Audite vero; et veniam date, nimis nota repetenti carmina [p].

Jamque rubescebat radiis mare, et æthere ab alto
Aurora in roseis fulgebat lutea bigis,
Cum venti posuere, omnisque repente resedit
Flatus, et in lento luctantur marmore tonsæ.
Atque hic Æneas ingentem ex æquore lucum
Prospicit: hunc inter fluvio Tyberinus amœno,
Vorticibus rapidis et multa flavus arena,
In mare prorumpit: variæ circumque supraque,
Assuetæ ripis volucres et fluminis alveo,
Æthera mulcebant cantu, lucoque volabant.
Flectere iter sociis, terræque advertere proras
Imperat, et lætus fluvio succedit opaco.

Mulceri plane et abripi videmus Scriptorem delicato rivi margine, et flexu sylvarum, et marinarum avium voce: qui cantus etsi non adeo sit amabilis, at sua tamen minime caret venustate, propter nexum quem habet arctiorem cum memoria pulcherrimorum locorum: ne forte miremini, *mulceri* per eum *æthera*. Sed abripitur, inquam, istis deliciis Poeta: obliviscitur ad tempus armorum et consilii publici, Romæque etiam modo nasciturae: tanta fruitur nemorum, maris, fluvii dulcedine.

Quid, quod eodem post paullo redit, nactus occasionem a vicina Arcadum colonia, lætusque ac lubens se recipit e castrensi tumultu, in ripam atque in alveum taciturni amnis? Missis videlicet ad Evandrum legatis [q],

Tybris ea fluvium, quam longa est, nocte tumentem
Leniit, et tacita refluens ita substitit unda,
Mitis ut in morem stagni placidæque paludis
Sterneret æquor aquis, remo ut luctamen abesset.
Ergo iter inceptum peragunt rumore secundo:
Labitur uncta vadis abies: mirantur et undæ,

[p] *Æn.* 7. 25. [q] *Ibid.* 8. 86.

Miratur nemus insuetum, fulgentia longe
Scuta virum, fluvio pictasque innare carinas.
Olli remigio noctemque diemque fatigant,
Et longos superant flexus, variisque teguntur
Arboribus, viridesque secant placido æquore sylvas.

Videtisne, non cursim modo tangi æstiva illa gaudia, sed inhærere in iis Poetam, nec facile in aciem et in rempublicam revocari?

Illud etiam eximium habent ea carmina, quod et singula pulcherrima sunt, et pulcherrime conveniunt in unam quasi picturam. Falluntur itaque, qui veteribus eam laudem denegant. Immo ne longius eamus, ipso harum Latinarum rerum exordio insigne habetur ejus exemplum [r].

Tu quoque littoribus nostris, Æneia nutrix,
Æternam moriens famam, Caieta, dedisti:
Et nunc servat honos sedem tuus, ossaque nomen
Hesperia in magna, siqua est ea gloria, signant.
At pius exsequiis Æneas rite solutis,
Aggere composito tumuli, postquam alta quierunt
Æquora, tendit iter velis, portumque relinquit.
Aspirant auræ in noctem: nec candida cursum
Luna negat: splendet tremulo sub lumine pontus.
Proxima Circææ raduntur littora terræ,
Divis inaccessos ubi Solis filia lucos;
Assiduo resonat cantu, tectisque superbis
Urit odoratam nocturna in lumina cedrum,
Arguto tenues percurrens pectine telas.

Quænam, obsecro, pars hinc abest suavissimæ perfectissimæque picturæ? En funereus procul in litore tumulus! en navigia delata nocturno placidoque mari! en plenissimus Lunæ orbis! Ex altera autem parte prærupta saxa, nemus invium, fumantia villæ culmina. Ac nescio an hi duo libri crebriores paullo habeant ejusmodi imagines: quasi prope jam adesse sentiat Scriptor aciem et arma et molestos belli strepitus, eoque libentius commoretur in tranquillo

[r] *Æn.* 7. 1.

quoque terrarum angulo: velut ubi, propinquis jam armis[s],

> Evandrum ex humili tecto lux suscitat alma,
> Et matutini volucrum sub culmine cantus:—

vel ubi, Vulcano ad opera fabrilia surgente, dulcissima adhibetur temporis significatio[t]:

> Ubi prima quies medio jam noctis abactæ
> Curriculo expulerat somnum; cum fœmina primum,
> Cui tolerare colo vitam tenuique Minerva
> Impositum, cinerem et sopitos suscitat ignes,
> Noctem addens operi, castum ut servare cubile
> Conjugis, et possit parvos educere natos.

Hærent in his nonnulli, tanquam alieno loco prolatis: sed quidni Virgilius, militiam non sponte aditurus, amorem, qui sibi semper erat, agrestis vitæ, leniret ejus opellæ mentione?

Atque hæc quidem hausit ex Homericis: sicut et plurimas similitudines, quibus, uti nostis, evolare solet e media cæde et sanguine, seque in tutos Naturæ recessus abdere. Verbi causa: obsessos Latinos ita ferme commoveri narrat[u],

> Inclusas ut cum latebroso in pumice pastor
> Vestigavit apes, fumoque implevit amaro;
> Illæ intus trepidæ rerum per cerea castra
> Discurrunt, magnisque acuunt stridoribus iras:
> Volvitur ater odor tectis: tum murmure cœco
> Intus saxa sonant: vacuas it fumus ad auras.

Etiam quæ habet, atrocissimæ pugnæ immixta[x]:

> Furit Æneas, tectusque tenet se;
> Ac velut, effusa si quando grandine nimbi
> Præcipitant, omnis campis diffugit arator,
> Omnis et agricola; et tuta latet arce viator,
> Aut amnis ripis, aut alti fornice sax,
> Dum pluit in terris; ut possit, sole reducto,
> Exercere diem: sic obrutus undique telis

[s] *Æn.* 8. 455. [t] *Ibid.* 407. [u] *Ibid.* 12. 587. [x] *Ibid.* 10. 802.

Æneas, nubem belli, dum detonet, omnem
Sustinet.

Per hæc et cætera id genus, intulit quodammodo Georgica sua Mantuanus Pastor in mediam Æneidem.

Verum hoc, ut dicebam, cum Homero commune habet. Illud in Virgilio præcipuum, quod non solum agrestes res absens amore ac desiderio prosequitur, verum etiam bellicas, ut qui maxime, fastidire se significat atque odisse: tacite ille quidem et latenter, sed significat tamen. Nonne in narrandis præliis sedulo id agit, ut singulorum morientium exitus efficiat quam maxime possit miserabiles? ne locus sit indignantibus aut iratis, quin in uniuscujusque calamitate miserorum mortalium sortem, atque adeo nostram ipsorum defleamus. Ne in Mezentio quidem devicto triumphant neque exsultant ejus numeri, crudelissimo licet, et contemptore Divum: immo multis prius consulto fecerat Poeta, ut acerbum ejus ferociæ sensum leniret; partim tenerrimis illis, quæ ad Lausum pertinent; partim, quod scelerum eum pœnitere significet[y]:

Idem ego, nate, tuum maculavi crimine nomen,
Pulsus ob invidiam solio sceptrisque paternis:
Debueram patriæ pœnas odiisque meorum;
Omnes per mortes animam sontem ipse dedissem!

Accedant, quibus equum alloquitur mœrentem[z]:

Rhœbe, diu, res siqua diu mortalibus ulla est,
Viximus: aut hodie victor spolia illa cruenta
Et caput Æneæ referes, Lausique dolorum
Ultor eris mecum: aut, aperit si nulla viam vis,
Occumbes pariter. Neque enim, fortissime, credo,
Jussa aliena pati et dominos dignabere Teucros.
Dixit, et exceptus tergo consueta locavit
Membra.

[y] *Æn.* 10. 851. [z] *Ibid.* 861.

Quippe usu venire accepimus, ut qui notantur odio humani generis, iidem ferme semper habeant quod amore prosequantur: seu canem, sive equum, seu (si fors ita tulerit) avem. Pertinebit igitur ea quoque res ad lenitatem, judicantibus de Mezentio: ne forte sit, cujus nece placeant sibi homines, Virgilio narrante.

Præterea, quoties dicendum est de strage horrendisque vulneribus, quorum quasi serie viam sibi aperire solent isti Heroes, fecit idem mirandum in modum, ut doceret penetrare ad omnia vitæ genera, omnesque fortunas, pestem illam bellicæ gloriæ. Ut enim Trojæ mittamus excidium, ubi inter cæteros [a],

> Cadit et Rhipeus justissimus unus
> Qui fuit in Teucris, et servantissimus æqui:
> (Diis aliter visum:) pereunt Hypanisque Dymasque,
> Confixi a sociis: nec te tua plurima, Pantheu,
> Labentem pietas, nec Apollinis infula texit:—

neve commoremur in exusta Priami domo, thalamisque regiarum mulierum indigne violatis:—quale illud, quod in præliis Latinis toties voluit universas extingui domos, tot fratrum delevit cohortes! Exemplo sit Æneas propter Pallanta iratus [b]:

> Sulmone creatos
> Quatuor hic juvenes, totidem quos educat Ufens,
> Viventes rapit, inferias quos immolet umbris,
> Captivoque rogi perfundat sanguine flammas.

Nempe hic, ut sæpe alias, parum atrox miserandaque res est visa Scriptori, ni fratres faciat, qui uno perierint impetu.

Denique ad luctum eximie sunt ea comparata, quibus sæpissime narrare solet morientium genus, pa-

[a] *Æn.* 2. 427. [b] *Ibid.* 10. 517.

triam, studia, fortasse et acerbos, quos ante tulerant, casus. Hoc erat, credo, quod in numerum cæsorum retulit, nunc [c]

> Cretbea Musarum comitem, cui carmina semper
> Et citharæ cordi, numerosque intendere nervis:
> Semper equos atque arma virum pugnasque canebat:

nunc [d]

> Herculis Antorem comitem, qui missus ab Argis
> Hæserat Evandro, atque Itala consederat urbe:
> Sternitur infelix alieno vulnere, cælumque
> Aspicit, et dulces moriens reminiscitur Argos.

Atque hoc in loco religio foret eum prætereunti, quem non sine præcipuo quodam affectu nominare videtur Virgilius [e],

> Juvenem exosum nequicquam bella Menœten
> Arcada, piscosæ cui circum flumina Lernæ
> Ars fuerat, pauperque domus, nec nota potentum
> Limina, conductaque pater tellure serebat.

Crederes profecto cogitare Poetam de colono aliquo Mantuano, quem ipse, puer cum esset, noverit. Atque horum infinita est seges: eaque plane omnium vis, ut animum declarent exosum, ut ait ipse, bella. Neque ullo tempore apud Virgilium, ut in Homerico Achille, sentias te abripi quasi quodam turbine ac vi gloriosæ militiæ: neque adeo fulgore illo præstringi oculos, ut ne cui tota res immanis esse videatur et unice detestanda.

Quid siquis ab Æneide recedat paulisper, in ceteris certe carminibus inveniet tum alia omnia, quibus declarari possit animus incredibiliter rei rusticæ deditus, tum etiam, quanam maxime de causa militiam tam acerbe ac penitus oderit Poeta: nimirum agricolarum voluptatibus, et otio rusticantium, nihil pejus

[c] *Æn.* 9. 774. [d] *Ibid.* 778. [e] *Ibid.* 12. 517.

obstare et officere, quam Martem atque arma. Audite modo exclamantem [f],

> Tot bella per orbem,
> Tam multæ scelerum facies: non ullus aratro
> Dignus honos: squalent abductis arva colonis,
> Et curvæ rigidum falces conflantur in ensem.

Idem paucis ante versibus præ se tulerat exsultantis speciem, cum prædiceret, fore ut iterum dominentur in campo Philippensi nulla nisi agrestium arma [g].

> Scilicet et tempus veniet, cum finibus illis
> Agricola, incurvo terram molitus aratro,
> Exesa inveniet scabra rubigine pila,
> Et gravibus rastris galeas pulsabit inanes,
> Grandiaque effossis mirabitur ossa sepulchris.

Quid, quod Melibæo, exsilium suum deploranti, id præ cæteris significat durum fore et indignum, quod in legionarium nescio quem sorte cessura sint ipsius prædia [h]?

> Impius hæc tam culta novalia miles habebit?
> Barbarus has segetes? En quo discordia cives
> Perduxit miseros! en queis consevimus agros!

Facilius quodammodo laturus erat, alio quovis involante in eam possessionem: quo animo fore crediderim eos præsertim agricolas, qui usu didicerunt, qualis sit castrorum vicinia.

Mirere vero, in homine Romano insedisse tam penitus odium rei bellicæ: quum præsertim ipse Virgilius Romano illo spiritu nequaquam caruerit, neque cesset unquam ex animo triumphos agere, in solito illo de septem arcibus, et debellato orbe campo: immo locis aliquando satis alienis mentionem ejus solerter intulerit. Exempli gratia [i]:

> Omnia secum
> Armentarius Afer agit, tectumque Laremque,

[f] *Georg.* I. 505. [g] *Ibid.* 495. [h] *Ecl.* I. 71. [i] *Georg.* 3. 344.

Armaque, Amyclæumque canem, Cressamque pharetram:
Non secus ac patriis acer Romanus in armis
Injusto sub fasce viam quum carpit, et hosti
Ante expectatum positis stat in agmine castris.

Jam, quo magis eum juverint suorum tropæa, tanto impensius necesse est ipsam oderit militiam: quam ne deprecetur, ne ipsius quidem patriæ gloria teneri potest.

Ad summam, Academici, Virgilius noster, si recte eum capio, de Epico illo ac superbo gradu decedet animo non iniquo, immo etiam gaudenti ac lubenti: qui principio neminem eorum, qui apud eum primas tenent, magna cum voluntate efformaverit, ne ipsum quidem Æneam: deinde ita res gestas narraverit, ut qui maxime caperetur memoria locorum ac Naturæ deliciis: postremo se nihil videre significarit in omni illo negotioso genere, præsertim bellico, neque sine summo fastidio ibi versari. Ut mihi quidem minime sit incredibile, quod perhibent Grammatici, Maronem moriturum testamento cremari jussisse Æneida: non solum (quod illis videbatur) quia res erat imperfecta, sed multo magis satietate quadam ac tædio ingrati operis, quod et invita Minerva se suscepisse intelligebat, et minime ad modulum, quem intus habebat, exegisse.

Jam autem roget aliquis, ecquo tandem modo fieri potuerit, ut in alieno genere invitus laboraret vir acuto, si quis alius, et subtili judicio præditus; tenerrimo præterea, ut ita dicam, pudore. Rationem igitur ejus rei deinceps, qualem habebo, reddam. Neque enim nihil ea quæstio juvabit, opinor, de summa rei poeticæ judicaturos.

Nunc quod superest, cogitent velim prudentiores, an divinitus in illum Scriptorem inciderit principatus Latinæ Poeseos, qui longissime remotus esset ab

artibus atque ab indole bellicosæ nationis. Quis scit, an ea res tacite quodammodo temperaverit mores ac studia non ipsorum modo Romanorum, sed universarum quoque gentium, quæ Romanos, maximam partem, vindicarunt sibi magistros et auctores? Plane ut Homeri sonus ille austerus ac virilis Græcis suis, ad fortitudinem, non parum, credo, profuit.

PRÆLECTIO TRIGESIMA SEPTIMA.

Auguria quædam de origine Æneidos; scriptam fuisse eam grati animi ergo, servato prædio. Virgilium cum agricolis mirifice sensisse; ponuntur exempla, de variis præsertim horis diei; de colendi rationibus; de pecudibus et apibus. Ea sæpius festive efferri. In omnibus præcipue commoveri Scriptorem memoria prædii tantum non amissi.

NOLITE, quæso, putare, Academici, actum modo nos agere, meraque, quam vocant, σκιομαχίᾳ, tempus terere, quod scilicet altero jam sermone hodie Virgilianæ Poeseos summam tractamus. Teneatis velim, non in eo versari orationem, ut doceat, Pastoralia libentius cecinisse illum virum, quam Heroica. Satis jampridem, ut arbitror equidem, factum erat illi loco. Sed operæ pretium fore videbatur, si explicavero, quo tandem evenerit modo, ut ruri suo valediceret ingenium illud mansuetum ac molle, seque contulerit in horrentia Martis arma, atque in frigidam illam et commentitiam Æneæ personam.

Sin forte fastidiat aliquis universam ejusmodi quæstionem, propterea videlicet quod ea necesse sit in incertum desinat et in ambiguum: vereor profecto, ne sordeat illi viro omnis omnium disputatio de re poetica; cujus plerumque subtilior sit ratio, quam quæ physicorum ritu concludi ac definiri possit. Po-

nitur nimirum ea res in solo ferme animorum affectu; ut ne cui forte occurrat, male penitus agi cum ea, modo veri quiddam simile afferatur, latente ut fit ipsa veritate. Porro judicium ejus pertinet, quasi quodam jure præcipuo, ad eos qui impense sunt deditі Naturæ reique rusticæ. Quorum si mentes sensusque non male respondebunt auguriis nostris;—si mecum sentient, fieri potuisse, ut eo quo dicam modo Virgilius Epicorum scriptor evaserit;—contentus equidem abibo eorum sententia. Cæteris vix sperare audeam me mea probaturum fore.

Quanquam, ut verum fatear, minime erunt mea, quæ hodie proferam. Nam si interroget aliquis, "Cum tali fuerit animo Virgilius, tam molli, tam pæne delicato, tam in solas agricolarum voluptates intento; quibus tandem se vinculis obstringi intelligebat, ut in alieno prorsus et ingrato penso tantam tamdiu poneret operam?" respondere libet, id quod placuit olim desideratissimo viro et harum literarum amantissimo; viguisse hominem in Curia Cæsaris Augusti, quo sibi migrandum fuerat, multis videlicet magnisque beneficiis devincto: cum autem carminum gratia haberetur ibi in honore non mediocri, cuperet vero impense Augustus, laudatorum regum ducumque more, propagari per carmina suum nomen ad posteros; fuisse, quales Mæcenas fortasse et Horatius, qui turbas Virgilio facerent, Epica quædam assidue poscentes: maxime cum stimulos non mediocres admoveret Graiorum et Homeri exemplum, juxta pervagatum illud Propertii;

> Cedite Romani Scriptores, cedite Graii;
> Nescio quid majus nascitur Iliade:

proinde Virgilium, ut erat pudibundus ac facilis, suscepisse onus satis molestum, non adeo vo-

lente, quod aiunt, Minerva: ita tamen, ut nullo non tempore effugia sibi quæreret e re civili et bellica in rura sua et solitudines, et solatio sibi haberet, siqua incidisset Naturæ mentio:—denique Æneam ab eo non alio fere effingi modulo, ac siquis officiose undique indagarit ea quæ ad personam pertinerent nec caram sibi nec bene cognitam [a].

Hæc Ille, et plura quidem ejusmodi: non levis certe auctor, quoties agebatur vel de re poetica, vel de studiis eorum qui amant flumina et sylvas. Videtis autem ejus sententiam aptissime quadrare cum iis quæ de Virgilio proxime sunt disputata. Neque in his quasi auguriis quidquam aut ineptum video aut veri prorsus dissimile.

Sed erat præterea, quod in hac re dictum vellem hodie: quippe eo vehementer pertinens, ut intelligatis, Virgilium in omni scriptione mirum quantum sibi constare: qua una maxime continetur nostra, ut ita dicam, formula: Omnibus videlicet ac singulis Poetis, qui quidem nati non facti sint, fuisse unde quisque hauserit Poesin suam, velut e fonte, ipse plerumque inscius: *fuisse* semper, non semper in oculos incurrere. Etenim ponamus tale aliquid, quale nos modo augurati sumus. Subit illico admiratio quædam, cur Augusto tam penitus se addixerit Virgilius, Imperatori Poeta, umbratilis negotiosissimo; quæ tandem extiterit tanta necessitudinis causa. Neque enim is fuit, credo, Virgilius, qui vel munera ambiret publica, vel ex animi sui sententia frequentaret aulas et limina principum: neque adeo immanis et imperiosus Augustus, qui metu aliquo graviore Poetam vellet in pensum odiosum adigere. Quin statuimus,

[a] Vide *Remains of R. H. Froude,* t. ii. 317, 318. Lond. 1838.

in animi grati testimonium addixisse se Virgilium injucundo labori, propterea quod Augusti beneficio retinuerat Lares et fundum suum, quo tempore militibus ejus Mantuana prædia dividebantur. Ex quo efficitur, nullo unquam tempore volentem cessasse Poetam ab agresti Musa; ne tum quidem, cum maxime in aliena omnia se ferri sineret. Immo non aliam ob causam, credo, quidquam præter rus aliquando cecinit, quam ipso ruris amore, quo adeo flagrabat, ut nihil negandum putaret ei, cui sospitem agellum debuit.

Verum hæc res latius patet, atque ex ea, velut e capite, fluit quodammodo omnis ferme Virgilianæ Poeseos ratio. Ad eam itaque tractandam, si placet, ordine et via aggrediamur.

Ac primo quidem illud tenendum; sentire eum mirandum in modum cum omnibus quotquot sunt agricolis, neque ut magna pars scriptorum, præsertim recentiorum, temere quodammodo et sine lege errare locis vel horridis vel amœnis, quærentem quod tacite respondeat animi sui affectionibus. Fuerunt videlicet non pauci, qui Naturam non aliis ferme intuerentur oculis, ac si quis Socraticus solito latius deambulaverit ultra limites Academi; deinde, ut solent ingeniosi, magnam similitudinum vim in scholas retulerit. Aliter longe ac melius Noster. Sapiunt ejus carmina non rusticantem modo, verum ipsum etiam re ac veritate rusticum. Videte, quam nullo negotio sumat sibi in Bucolicis partes uniuscujusque Pastorum. Quæ forte occurrant tenero ac dulci sono, ea non ita repetit, ut duriora quælibet omittat: immo universam agrestium vitam, qualem novit, lubentem se accipere significat: porro ne convicia quidem Damœtæ nescio cujus ac Menalcæ care-

bant apud eum gratia quadam sua; propterea videlicet, quod ab istis facetiis minime abhorrebant noti colonorum mores.

Deinde in omni Æneide quoties aliquid foris sub dio agitur, ita rem narrat Virgilius, sponte et quasi aliud agens, ut noscas hominem agrestibus curis intentum. Æneas, verbi gratia, procul aspicitur a Latinis, in aciem modo progrediens [a],

> Qualis ubi ad terras abrupto sidere nimbus
> It mare per medium; miseris, heu! præscia longe
> Horrescunt corda agricolis; dabit ille ruinas
> Arboribus, stragemque satis; ruet omnia late;
> Ante volant, sonitumque ferunt ad litora venti.

Nam Georgica quidem quid attinet dicere? cujus Poematis ea summa et sola ferme ratio est, ut intimos exponat agricolarum sensus, servetque eundem non modo laborum sed votorum quoque orbem, qui illis redire solet quotannis. Ea quæ sit et quanta virtus sentiet qui velit componere paullo studiosius hæc Virgiliana cum eorum carminibus, qui hanc vel illam artem conati sunt versu docere, seu pristino seu recenti tempore. Aratos dico, Manilios, Oppianos; tum siqui nostrorum carminibus commendarunt, hic hortos, ille pomaria, venationem alter, alter, quod mirere, lanificium: egregii sane scriptores, quosque minime Poetarum numero eximi velim: qui tamen ex ea parte cum Virgilio componi nequeant, quod illi πάρεργον modo ad tempus se tractare significent, hic nocte dieque in re sua rustica totus esse videatur.

Vix ullam invenies vel anni particulam vel horam etiam diei, quam non signaverit Ille nota quadam deprompta de rusticis operibus, quales, opinor, colo-

[a] *Æn.* 12. 451.

nis sunt ipsis in ore. Diluculum, verbi gratia, his incipit depingere [b]:

Dum mane novum, dum gramina canent.

Bene; sed nemo non eadem: nondum habemus quod proprium sit agricolæ. Attendite vero, quid proxime sequatur:

Et ros in tenera pecori gratissimus herba.

Videtis loqui vel custodem vel certe magistrum pecorum. Addit deinde post paullo, adulta jam die,

Ubi quarta sitim cæli collegerit hora,
Et cantu querulæ rumpent arbusta cicadæ.

Iterum agnoscas usu edoctum, quid sit laborare sub ardenti sole, quando æstas cœpit esse molestior; quam soleant subirasci homines modo jam languentes, seu viatores sive operarii, importuna illa et arida cicadarum voce.

Veniamus ad meridianum tempus [c].

Jam rapidus torrens sitientes Sirius Indos
Ardebat; cœlo et medium Sol igneus orbem
Hauserat: arebant herbæ.

Nihil adhuc, quod rusticum præcipue sapiat. Sed pergite modo:

Et cava flumina siccis
Faucibus ad limum radii tepefacta coquebant.

Potuit, credo, pulchriora his proferre Virgilius, sed iisdem fortasse circumspiciebat oculis, atque ii, qui gregibus suis nimium Solis ardorem metuunt: quorum etiam sermo solet talia omnia in majus extollere.

Denique ne vesper omittatur, habemus proprie vereque Virgilianum. Ecquis enim præter Virgilium

[b] *Georg.* 3. 325.

[c] *Ibid.* 4. 425.

voluit unquam significare id tempus apum murmure de messe diurna decedentium[d]?

> Vesper ubi e pastu tandem decedere campis
> Admonuit, tum tecta petunt, tum corpora curant:
> Fit sonitus, mussantque oras et limina circum.
> Post, ubi jam thalamis se composuere, siletur
> In noctem, fessosque sopor suus occupat artus.

Possum multa addere, quorum eadem ferme est ratio. Velut ubi stomachatur quodammodo, referens ea quæ frugibus obesse soleant[e].

> Nec tamen, hæc cum sint hominumque boumque labores
> Versando terram experti, nihil improbus anser,
> Strymoniæque grues, et amaris intyba fibris,
> Officiunt, aut umbra nocet.

Vel quæ post paullo sequuntur:

> Intereunt segetes; subit aspera sylva,
> Lappæque tribulique: interque nitentia culta
> Infelix lolium et steriles dominantur avenæ.

Sylvam quod appellat vilium herbarum turbam, quod etiam in campis *dominari* ait, ipsis uti videtur verbis, quæ ultro ventura erant in mentem colono, cum illis pestibus cerneret anni spem opprimi.

Præterea, quod pluribus in locis seu grandius sive demissius loquitur, quam pro rerum ipsarum dignitate, fieri crediderim non simplici, quam vocant, εἰρωνείᾳ; quin potius accommodari ea ad veritatem agrestium sermonum, nec sine dedita opera dare ancipitem quendam sonum: cum nesciret fortasse ipse Virgilius, lectores certe nescire vellet, quota parte carminis ejusmodi luserit, quota cum agrestibus re ac veritate senserit. Crediderim profecto, sicut aiunt laudatissimum illum Hispanum serias omnino res agere, tum cum maxime videtur irridere somnia

d *Georg.* 4. 186. e *Ibid.* 1. 118.

ac promissa Heroica, qualia abundabant eo tempore; sic Maroni quoque non invito excidisse nimis alioqui magnifica. Descriptis videlicet aratri partibus, "Hæc [f]," ait,

> Omnia. . . . multo ante memor provisa repones,
> Si te *digna manet divini gloria ruris.*

Alias, memorata vitium insigni varietate, rem amplissimis verbis extulit [g].

> Sed neque quam multæ species, nec nomina quæ sint,
> Est numerus; neque enim numero comprendere refert:
> Quem qui scire velit, Libyci velit æquoris idem
> Discere quam multæ Zephyro turbentur arenæ,
> Aut ubi navigiis violentior incidit Eurus,
> Nosse quot Ionii veniant ad litora fluctus.

Neque vero non rusticum quiddam sapiunt crebra illa sive proverbia seu breves certe et acutæ sententiæ, quibus uti solet quasi formulis et edictis artificii sui. "Nudus ara, sere nudus: hyems ignava colono!" "Nunquam imprudentibus imber obfuit." "Laudato ingentia rura, Exiguum colito." Quis nescit, vetulos præsertim colonos mirifice delectari istiusmodi clausulis, atque ex ea certe parte esse dicaciores? maxime cum reprehenditur aliquis sive operarius ob inertiam, sive urbicus et umbratilis ob nimiam in re aliena diligentiam. Qualem fortasse significationem habent pervagata illa præcepta [h],

> Quod nisi et assiduis terram insectabere rastris,
> Et sonitu terrebis aves, et ruris opaci
> Falce premes umbram, votisque vocaveris imbrem,
> Heu magnum alterius frustra spectabis acervum,
> Concussaque famem in sylvis solabere quercu.

Præterea, quas operi suo hic illic inspergi curavit, fabulas, curiosius ad agricolas suos accommodavit:

[f] *Georg.* I. 167. [g] *Ibid.* 2. 103. [h] *Ibid.* I. 155.

quibus solenne semper fuit, ex re talia garrire, laboribus peractis [i],

> Ante focum, si frigus erat; si messis, in umbra.

Id fit, injecta partim mentione locorum, ubi gestum erat aliquid insigne; maximam autem partem occasione arrepta propter inventum aliquod felicius, vel siqua rusticarum rerum provincia propriis venit ornanda laudibus.

Ac de locis quidem alias. Artem celebrantis egregium dabit specimen, sub ipso fine poematis, Aristæi fabula. Sed et alia sunt permulta, quæ tetigit potius quam narravit Virgilius. Monstrato, verbi gratia, quantum intersit ovium, candidissimas esse, vetus nescio quid de Deorum amoribus profert [k].

> Munere sic niveo lanæ, si credere dignum est,
> Pan Deus Arcadiæ captam te, Luna, fefellit,
> In nemora alta vocans; nec tu aspernata vocantem.

Et quæ adduntur, depicto diligentius pullo pecoris generosi [l].

> Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis
> Cyllarus, et quorum Graii meminere Poetæ,
> Martis equi bijuges, et magni currus Achillis.

Neque vero id tantum laudamus, quod agrestium plane more modoque historiolas illas attexit Virgilius; verum etiam admiramur eas deligentem in unaquaque fabella res, quæ potissimum venturæ erant in animum rusticis hominibus eadem narrantibus. Exundante utique Nilo, gens illa, inquit [m],

> —— circum pictis vehitur sua rura phaselis.

Videtisne eam sedulo poni imaginem, quæ simplicium colonorum animos vehementer trahat atque erigat?

[i] *Ecl.* 5. 70. [k] *Ibid.* 3. 391. [l] *Ibid.* 89. [m] *Ibid.* 4. 289.

Rursus ubi memorat Pastores Libyæ [n];

> Sæpe diem noctemque et totum ex ordine mensem
> Pascitur, itque pecus longa in deserta sine ullis
> Hospitiis; tantum campi jacet: omnia secum
> Armentarius Afer agit, tectumque, Laremque,
> Armaque, Amyclæumque canem, Cressamque pharetram.

Quorsum tandem illud, "Tantum campi jacet?" Imitatur, ni fallor, sermonem Itali pastoris, mirantis, ut fit, planas et apertas sine limite regiones, cum ipsi omnia finita sint ac distincta, et crebris quidem intervallis.

Ac nescio an forte eadem formula comprehendi debeant pulcherrima illa ac plurima, quibus se significat eximie delectari ingeniis et moribus bestiarum omnium, pecorum præsertim et apum: immo omnes amore quodam prosequi. Quo uno maxime indicio solent declarari hinc germanus et ingenuus rei rusticæ cultor, illinc si qui artem istam exercent ignobili ac mercenario animo. Nihil adeo planius et melius distinguit ea genera tam disparia, quam quod illi pecus omne velut instrumenti loco habeant, ne forte decedat aliquid de quæstu agelli: alunt itaque et fovent pecudes, armenta, canes, plane sicut aratra et juga fracta refici, vetera suppleri curant: effœtos tandem et inutiles a se removeri jubent, nulla religione. Hi contra cum iisdem vivere, pæne tanquam cum amicis et sodalibus: studio non levi discere ac præsentire necessitates eorum, angores, solatia, immo (dicto sit venia) discursus. Quid multa? tam feris quam pecudibus personam tribuisse videtur Virgilius, non, ut plerique, poeticæ venustatis gratia, sed multo magis ut esset sibi unde expleret studium, quo semper flagrabat, erga comites ac ministros deliciarum suarum agrestium.

[n] *Æn.* 3. 341.

Porro duplex erat, opinor, causa, cur se Virgiliana Poesis isto colore tam penitus imbuerit. Nam alia eum dixisse crediderim, dicto audientem excelsæ cuidam philosophiæ: alia propter simplicem et innatum agricolis amorem. Atque de illis quidem prioribus alias, si potero, dicam. Nunc pauca brevi consideremus, quæ agrestium magis sapiunt affectum.

Quanquam (ut id quod res est dicam) mutuo vinculo, et arctissimo quidem, connectuntur inter se hæc duo genera, simplex videlicet rusticitas et sana philosophia; ut vix sit major opinionis alicujus confirmatio, quam si votis ominibusque eandem melior agricolarum pars divinaverit. Pythagorica itaque commenta, seu mavis Platonica, quibus utitur interdum Virgilius de ortu et interitu animalium, cum iis quæ modo sum dicturus non dubiam habebunt consensionem. Verum de ea re posthac videro. Nunc perpendatis, an satis bene conveniant cum agricolarum affectibus tenerrimi versus de capellarum pastione. Fingit videlicet disputare secum, ut fit, quendam paullo iniquiorem in illud genus [o], se autem his respondere.

> Hæ quoque non cura nobis leviore tuendæ,
> Nec minor usus erit: quamvis Milesia magno
> Vellera mutentur, Tyrios incocta rubores:
> Densior hinc soboles, hinc largi copia lactis....
> Nec minus interea barbas incanaque menta
> Cinyphii tondent hirci, setasque comantes,
> Usum in castrorum et miseris velamina nautis.
> Pascuntur vero sylvas, et summa Lycæi,
> Horrentesque rubos, et amantes ardua dumos.
> Atque ipsæ memores redeunt in tecta, suosque
> Ducunt, et gravido superant vix ubere limen.

Præclare sane admiscuit argumentis de utili et

[o] *Georg.* 3. 305.

quæstuoso ductis pauca illa, sed affectu plenissima, "Ipsæ memores redeunt in tecta." Quasi dicat, En fidum et officiosum genus! spem suam ultro ponunt in hominibus: dubitantne homines curare ac tueri? Deinde illud quam dulce! quam aptum animo pastorali!

> Ergo omni studio glaciem ventosque nivales,
> Quo minus est illis curæ mortalis egestas,
> Avertes, victumque feres, et virgea lætus
> Pabula, nec tota claudes fœnilia bruma.

Absit vero, inquit, ut una illa careant operæ mercede, quam solam a nobis repetunt.

Veniamus ad laudatissimum carmen de pecorum strage in Alpinis provinciis. Crederes ejusmodi esse rem, quæ animos commoveat solo horrore, variisque ac miserrimis corporum cruciatibus. Sed Virgilius, quæ erat ejus solertia, curavit ista variari mirandum in modum, ea parte, qua taurum laborantem fingit sub jugo concidere et animam statim agere [p].

> It tristis arator,
> Mœrentem abjungens fraterna morte juvencum,
> Atque opere in medio defixa relinquit aratra.

Inertem jacere coram in sulcis vomerem, diuturnum tantæ cladis testimonium, id scilicet colono grave erat, cæteris non ita.

Sed recordamini, quæ de bove superstite narrantur.

> Non umbræ altorum nemorum, non mollia possunt
> Prata movere animum, non qui per saxa volutus
> Purior electro campum petit amnis; at ima
> Solvuntur latera, atque oculos stupor urget inertes,
> Ad terramque fluit devexo pondere cervix.

Pertinebant, credo, hæc omnia ad morbum jam jamque ingruentem. Sed industria quadam exquisita

[p] *Georg.* 3. 517.

fecit Poeta, ut omnia viderentur ipsius juvenci declarare mœstum orbitate animum. Sic humanos pœne affectus moresque principi pecoris consulto sed tacite tribuit. Deinde rationes adducit, cur solito durior habeatur illorum casus.

Quid labor aut benefacta juvant? quid vomere terras
Invertisse graves? atqui non Massica Bacchi
Munera, non illis epulæ nocuere repostæ:
Frondibus et victu pascuntur simplicis herbæ;
Pocula sunt fontes liquidi, atque exercita cursu
Flumina; nec somnos abrumpit cura salubres.

Intelligitis eam esse carminis vim, quæ bovem doceat ea pati, non immeritum modo, verum etiam quasi quendam severum ac frugi; cum dedita opera servetur is sonus verborum, qui ad hominem pariter referri possit atque ad bestiam. Et quis nescit, illo tenore loqui sæpius agricultores de canibus suis, de bubus, de omni pecore?

Atque hæc quidem serio. Sed in ea materie festive plerumque agit Virgilius, et suam εἰρωνείαν adhibet: non aliter ac solent sæpius parentes cum infantibus suis ludere, vimque illam abundantem caritatis simul et tegere et effundere. Ipsa se ultro effundit videlicet; tectam autem volunt, quod certo sciunt, fore ut cæteris nimia et insulsa videatur. Quidni putemus id genus esse, quæ a Virgilio toties adhibentur, molliter cum primis et facete, de animalium moribus et indole? Sæpius, mihi credite, sub illa ludentis specie latet seu gravius aliquod sive tenerius, quam quod facile latura erat maxima pars eorum qui versus legunt. Verbi gratia: signis sereni temporis adscribi voluit Poeta greges avium, nota limina repetentium [q].

Tum liquidas corvi presso ter gutture voces

[q] *Georg.* I. 410.

Aut quater ingeminant, et sæpe cubilibus altis,
Nescio qua præter solitum dulcedine læti,
Inter se foliis strepitant: juvat imbribus actis
Progeniem parvam dulcesque revisere nidos.

In re satis vulgata affectum habetis minime vulgarem. Intelligas eundem loqui Virgilium, qui alias *durum* appellavit aratorem, propter abstractos Philomelæ fœtus, carmenque miserabile tota nocte integratum. Quidni faciat? cum semper ferme contempletur avium lusus, domicilia, volatus, simili pæne voluptate, ac benigni soleant senes adesse feriantibus pueris et puellis. Immo pecudum omnium ac ferarum studia moresque ita narrat, ut qui cum amicis quibusdam et familiaribus suis ludere gestiat [r].

Jam varias pelagi volucres, et quæ Asia circum
Dulcibus in stagnis rimantur prata Caÿstri,
Certatim largos humeris infundere rores;
Nunc caput objectare fretis, nunc currere in undis,
Et studio incassum videas gestire lavandi.
Tum cornix plena pluviam vocat improba voce,
Et sola in sicca secum spatiatur arena.

Verum nihil apud eum aut pulchrius aut vero propius, quam ubi columbæ forte fit mentio: nam avem hanc unam ante omnes, ut videtur, dilectam habebat. Audite vero [s].

Qualis spelunca subito commota columba,
Cui domus et dulces latebroso in pumice nidi,
Fertur in arva volans, plausumque exterrita pennis
Dat tecto ingentem; mox aëre lapsa quieto
Radit iter liquidum, celeres neque commovet alas.

Primo, ægre quodammodo fert, exturbari volucrem ex angulo tam tranquillo: deinde oculis non invitis aspicit liquidissimo illo et mollissimo lapsu fruentem.

[r] *Georg.* I. 383.

[s] *Æn.* 5. 213.

Illud porro in hoc genere vel præcipuum habet Virgilius, quod ita sæpius festive agit cum animalibus suis, ut magis tamen irrideat nos homunculos, quorum plerumque mores et exempla similitudinis gratia adhibet. Attendite ad eam operis partem, ubi "fortes ad aratra juvencos" instituit. Nonne ea consulto verba ponit, quæ proprie pertineant ad adolescentium disciplinam [t]?

> Tu quos ad *studium* atque usum formabis agrestem,
> Jam vitulos *hortare*, viamque insiste domandi,
> Dum faciles animi *juvenum*, dum mobilis ætas.

Deinde post paullo *pubem* vocat *indomitam:* jubet "servitio libera inuri colla." Tangit his tacite arrogantes protervorum hominum sermones: significat, nil adeo laudabile et magnum fieri, quod leges et imperium recusent, cum idem faciant vaccarum quoque filii.

Quod siquis se plenius ejusmodi lusu delectare velit, adeat censeo lepidissimum de apibus carmen, quo Georgicorum series clauditur. Nihil, ne apud Virgilium quidem, tam penitus Virgilianum. Constat autem vis ejus et ratio, magnam partem, comparatione quadam, qua inter se conferuntur hinc Romanorum illinc apum magnanimi duces, populi, prælia. Hinc bellicosissima illa, sonituque grandissimo [u].

> Sin autem ad pugnam exierint (nam sæpe duobus
> Regibus incessit magno discordia motu)
> Continuoque animos vulgi, et trepidantia bello
> Corda licet longe præsciscere, namque morantes
> Martius illæ æris rauci canor increpat, et vox
> Auditur fractos sonitus imitata tubarum.
> . . . . Tum circa regem atque ipsa ad prætoria densæ
> Miscentur, magnisque vocant clamoribus hostem.

[t] *Georg.* 3. 163.

[u] *Ibid.* 4. 67.

Hinc ea plurima, quæ tribuunt eisdem justam etiam reipublicæ formam [x].

> Solæ communes natos, consortia tecta
> Urbis habent, magnisque agitant sub legibus ævum,
> Et patriam solæ et certos novere Penates.

Hinc popularis de prole eorum sententia [y]:

> Ipsæ e foliis natos et suavibus herbis
> Ore legunt: ipsæ regem parvosque Quirites
> Sufficiunt.

Festivissimum profecto illud, uno licet verbo sit dictum, *Quirites*. Quod autem, re adeo tenui, solennia verba transtulit de Foro Romano, de campo et tribunali, tetigit fortasse civilem suorum jactantiam, sicut prius in Martiis illis bellicum ardorem perstrinxerat.

Atque ego sententiam hanc universam ita tribui velim insigni Poetæ, ut minime confirmem ipsum penitus intellexisse, quo pertineat ea, quam late pateat. Quin instinctu quodam tacitoque pectoris augurio, ut multi multa, sic illa Virgilius pro tempore, ut videtur, effudit: etiam in hoc agricolarum similis, siqui habentur solertiores: nam et horum sermones non raro plus sapiunt quam ipsi homines.

Erit fortasse, qui in hanc rem adduci velit, quæ præterea de vitibus educandis sedulo præcipit idem Virgilius, quippe qui viguerit cura cultuque tam arborum quam animantium, et in ea quoque provincia mirifice cum colonis senserit. De vitibus, inquam, eadem prope, quæ de juvencis, caveri jubet [z].

> Exuerint sylvestrem *animum*, cultuque frequenti,
> In quascunque voces *artes*, haud *tarda* sequentur.
> Ac dum prima novis frondibus ætas,
> Parcendum teneris..........
> Inde ubi jam validis amplexæ stirpibus ulmos

[x] *Georg.* 4. 153. [y] *Ibid.* 4. 200. [z] *Ibid.* 2. 51.

Exierint, jam stringe comas, jam brachia tonde.
Ante *reformidant* ferrum: tum denique *dura*
Exerce imperia, et ramos *compesce* fluentes....
Præcipue dum frons tenera *imprudensque laborum.*

Multi seminibus et plantis tribuere sensus, seque cum iis lætari et angi significaverunt. Virgilius autem illum locum cum præcipuo quodam affectu, atque ut ita dicam, tutelari, tractavit [a].

Animos tollent sata:......
[b] Inque novos soles *audent se* gramina tuto
Credere, nec *metuit* surgentes pampinus Austros,
Aut actum cælo magnis Aquilonibus imbrem.

Nec prætereunda, quæ plantas describunt insitas [c].

Nec longum tempus, et ingens
Exiit *ad cœlum* ramis felicibus arbos,
Miraturque novas frondes, et non sua poma.

Quo in loco animadvertatis velim illud etiam solenne agricolis, ut nescio quos agant triumphos, et in altum quodammodo efferantur, prospero culturæ suæ successu. Qualia sunt et illa [d]:

Ergo omnis largo pubescit vinea fœtu;
Complentur vallesque cavæ saltusque profundi,
Et quocunque Deus circum caput egit honestum.....
[e] Primus vere rosam, atque autumno carpere poma.
........[f] Illi tiliæ atque uberrima pinus,
Quotque in flore novo pomis se fertilis arbos
Induerat, totidem autumno matura tenebat.

Lenius quodammodo et tranquillius fluit, neque tamen non vere respondet agrestium animis, seniorum præsertim, autumnalis ille cantus [g]:

Nec requies, quin aut pomis exuberet annus,
Aut fœtu pecorum, aut Cerealis mergite culmi,
Proventuque oneret sulcos, atque horrea vincat.
Venit hyems: teritur Sicyonia bacca trapetis;
Glande sues læti redeunt; dant arbuta sylvæ;
Et varios ponit fœtus autumnus; et alte
Mitis in apricis coquitur vindemia saxis.

[a] *Georg.* 2. 350. [b] *Ibid.* 2. 332. [c] *Ibid.* 2. 81. [d] *Ibid.* 2. 390. [e] *Ibid.* 4. 134. [f] *Ibid.* 4. 141. [g] *Ibid.* 2. 516.

Contra non desunt, quæ querulos imitentur vel vitium vel hortorum cultores, molestiore quidem anni tempore[h].

Et cum *tristis* hyems etiamnum frigore saxa
Rumperet, et glacie cursus frænaret aquarum,
Ille comam mollis jam tondebat hyacinthi,
Æstatem *increpitans seram,* Zephyrosque *morantes.*
. . . . [i] Ubi pallida surget
Tithoni croceum linquens Aurora cubile,
Heu male tum *mites* defendet pampinus uvas,
Tam multa in tectis crepitans salit *horrida* grando.

Fingit scilicet vir agrestis misericordia quadam se tangi; plane quasi sentiant frondes et poma tractari se acerbius atque indignius.

His omnibus animadversis, non erit cur miremini, ex illa quoque parte laborasse Virgilium communi agricolarum affectu, quod minime carere potuit non solum *rure*, verum etiam *rure suo:* quod proprio et præcipuo amore paternum adeo adamaverat agellum, ut salvo eo, salvum se haberet, perdito, perditum. Quare, ut dicebam, nihil facile negaturus erat illi patrono, qui solo suo munere agellum præstiterat incolumem: sive ille Augustus fuerit, sive, quod veri forte similius, Mæcenas. Is autem amor quam penitus in Virgilio insederit, testimonio esse poterit illa Ecloga, quæ merito prima habetur; tum temporis ratione, (nam cæteræ omnes se ipsæ declarant recentiores, excipias modo secundam et septimam,) tum quoniam ea manu quodammodo ducit ad intima quasi Virgilianæ Poeseos secreta. Etenim, sive de se deplorare cœperit Melibœus, seu feliciori gratuletur Tityro, videmus ex alto commoveri Scriptoris animum, neque de re agi levi aliqua ac ludicra, sed potius de vita ipsius et sanguine. Obscura videli-

[h] *Georg.* 4. 135. [i] *Ibid.* 1. 446.

cet latentis flammæ semina elicuerat, ut fit, periculum atrox et grave, prope visum, tenuique vitatum discrimine: itaque præter solitam dulcedinem, caræ jam inde ac venerabiles esse cœperunt singulæ res, quæ ad agellum illum quoquo modo pertinebant. Pertinebat autem, si quid usquam revocabat imaginem ejus et memoriam, omnisque præsertim rei rusticæ, vitæque sylvestris ornatus et supellex. Proinde genus illud universum prosecuturus erat Virgilius ea (pæne dicam) religione, qua teneri solent cordati piique viri, si quem, favente Numine, præter spem recupaverint, sive dilectum seu propinquum.

Ne multa: sicut credibile est, Virgilium ad Æneida scribendam accessisse, ne nullam redditi agelli videretur Augusto referre gratiam: sic Georgica cum caneret, versabatur in oculis animoque, opinor, ejusdem agelli tantum non amissi, vixdum penitus pleneque servati, præsentissima ac dulcissima memoria: quo et tenerius tractaret omnia, et arctius quodammodo amplecteretur. Nam et viliora quæque suum habent pretium, fiuntque cara, siquis ea vi et injuria conetur eripere: nedum paterni Lares et rura, et suavissima illa deliciarum agrestium, fontium sacrorum, notorum fluminum aura.

Si quærantur exempla; ut omittamus notissima illa in Bucolicis[k],

> Fortunate senex, ergo tua rura manebunt:

et

> Ite meæ, quondam felix pecus, ite capellæ:

quo animo putatis eum incidisse in Mantuæ mentionem, cum disputaret de arvorum ingeniis[l]?

> Saltus et saturi petito longinqua Tarenti,

[k] *Ecl.* 1. 47.

[l] *Georg.* 2. 197.

Et qualem infelix amisit Mantua campum,
Pascentem niveos herboso flumine cycnos.

Quamnam porro vim habet Aristæi flebilis illa vox, amissas apud matrem querentis apes[m]?

Quid me cælum sperare jubebas?
En etiam hunc ipsum vitæ mortalis honorem
Quem mihi vix frugum et pecudum custodia solers
Omnia tentanti extuderat, te matre, relinquo.

Satin' manifesto significat Poeta, suam prope rem agi? cohorrescere se tota mente et animo, quoties agelli periclitantis meminerit?

Simili ferme affectu sunt, quibus posuit quendam *suis* in hortis, *sua* manu, circa alvearia *sua* laborantem[n].

Ipse thymum pinosque ferens de montibus altis
Tecte serat late circum, cui talia curæ:
Ipse labore manum duro terat: ipse feraces
Figat humo plantas, et amicos irriget imbres.

Semel videlicet iterumque eloquitur, id quod semper in animo habebat; quam pæne fecerit aliquando perpetuam istius dulcedinis jacturam. Ecquis dubitet, quin omni in carmine lateat ejusdem desiderii sensus et cœca quædam divinatio? cujus quasi aculeis stimuletur identidem ruris rerumque agrestium amor.

Habetis, Academici, quo maxime vinculo contineri inter se putem diversa adeo summi Poetæ opera. Quod superest, videndum an eximie faveant hæc omnia nostris auguriis de omni ratione et origine rei poeticæ. Conjiciebam utique, non alia re magis definiri posse vim ejus, quam si dixeris, levari per eam pectora plena desiderio. Ex quo efficitur, paucis fore insignem in eo genere gloriam, quin

[m] *Georg.* 4. 325. [n] *Ibid.* 4. 112.

iidem animo sint ægriore, sive ob vota imperfecta, sive, ut ait ille,

> Quoniam medio de fonte leporum
> Surgit amari aliquod, quod in ipsis floribus angat.

Tum demum in ardentia verba ac voces erumpunt, cum re penitus amata vel carent, vel certe fore arbitrantur, ut aliquando ea careant.

Expendite nunc Virgilianorum carminum seriem. Primo cum Bucolica pangeret, vix aut ne vix quidem prædia ejus reliquerant milites. Deinde, a Georgicis non potuit abesse tenerrima quædam ejus mali memoria:—(ut illud omittam, Neapoli jamdiu tunc temporis eum habitasse, neque multis mensibus amata vidisse loca.) Deinde postquam ad Æneida scribendam impulerat pudor et gratus in patronos animus, distinebatur tamen invitus a genere pastorali; omnesque adeo sibi semper quærebat exitus, omnemque captabat, ut ita dicam, ruris ac patriæ suæ auram. Ut vix certo scias, utro carmine propius accesserit ad intima Musarum agrestium penetralia: eone, quo ipsas data celebrat opera; an eo, quo creberrimis intervallis recipit se in eas e bellico tumultu. Utrinque certe stimulos vel præcipuos admovit, id quod diximus, desiderium. Carebat, quo carere non poterat: absentiam ideo cantu levabat.

PRÆLECTIO TRIGESIMA OCTAVA.

Virgilium, Lucretii cultorem et ferme æqualem, debere tamen ab eo separari, tum propter solatia, quæ passim affert ægræ huic mortalium vitæ, tum propter nomina locorum ab eo semper ferme adhibita, præsertim sibi vel familiarium vel certe visorum. Adduntur pauca de mentione locorum eorum quos nunquam ipse conspexerat, maxime religiosorum.

SATIS jam superque docuimus, Academici, (siquidem ea res fuit, quæ doctrinæ indigebat alicujus,) de rei naturalis et agrestis amore, tanquam proprio et unico filo, deduci posse summam omnem Virgilianæ Poeseos, tam in Æneide, quam in iis carminibus, quæ rura et sylvas præ se ferunt. Immo illum quoque ejus ingenii fructum, qui longissime distare videbatur ab otio agresti et tranquillo,—ea dico quæ spectant ad prœlia et reges, atque ad Romanas origines,—non aliam ob causam tangi ab eo judicavimus, quam quod istum potissimum locum poscebat gratus in Cæsarem atque in Mæcenatem animus. Fundo servato, Laribusque, nihil erat, quod tantis patronis negandum esse videretur.

Alia deinceps oritur quæstio: quo potissimum

discrimine separetur Virgilius a Lucretio. Cui quæstioni licet ex aliqua parte satis jam diu sit factum, habeo tamen nonnulla, quæ fortasse operæ pretium erit dixisse.

Ac primum illud non omittendum; ne temporis quidem et loci ratione facile fieri potuisse, quin multum de Lucretio cogitaverit Virgilius, senseritque arcanum illud quasi vinculum, quo inter se contineri solent magni in eodem prope genere scriptores. Evenisse enim legimus[a], ut quo anno Lucretius Athenis, uti verisimile est, mortem obierit, eo anno Virgilius Cremonæ sumpserit virilem togam, deinde Romam perrexerit. Quis autem dubitet, Virgilium, talem juvenem, gravissime commotum fore in morte Lucretii, laudatissimi jam Poetæ: nedum ea morte, quam ipse sibi, si vera est fama, consciverit? Ex intimo certe affectu animi, siquid aliud Virgilianum, manare videtur flebile illud carmen, de mœstissima illorum sorte[b],

> qui sibi lethum
> Insontes peperere manu, lucemque perosi
> Projecere animas. Quam vellent æthere in alto
> Nunc et pauperiem et duros perferre labores!

Credideris ferme, dedita opera canere Poetam quod auxilio sit adversus molesta illa Democriti, necem sibi consciscentis, præconia[c].

> Postquam matura vetustas
> Admonuit memorem motus languescere mentis,
> Sponte sua letho caput obvius obtulit ipse.

Poterat etiam animo ejus obversari aperta et directa voluntariæ mortis commendatio[d].

> Si grata fuit tibi vita anteacta, priorque,

[a] Donat. *Vit. Virg.* vid. *Fast. Hellen.* 2. 193. [b] *Æn.* 6. 434.
[c] Lucr. 3. 1052. [d] 3. 948.

Et non omnia pertusum congesta quasi in vas
Commoda perfluxere, atque ingrata interiere:
Cur non, ut plenus vitæ conviva, recedis,
Æquo animoque capis securam, stulte, quietem?
Sin ea, quæ fructus cunque es, periere profusa,
Vitaque in offensu est: cur amplius addere quæris,
Rursum quod pereat male, et ingratum occidat omne,
Nec potius vitæ finem facis, atque laboris?

Auditis hic miserabilem illum et acerbum Lucretianæ Poeseos sonum, frigido et immoto oculo contemplantis commoda pariter et ingrata vitæ. Contra pauca illa Virgilii, sed plena dulcedine, cum minime negent abundare calamitatibus conditionem hanc vivendi, habent tamen tenerum aliquod ac lene, quod in mentes sponte quodammodo influat, ac tacita vi tolerabilia reddat omnia.

Atque hac de re viderint, qui Virgilium nobis tradunt Epicuro addictum. Nunc ea modo mente proferimus, nequid Virgilianum prætereatur, quod animum quoquo modo significet Lucretii memorem.

Porro videndum, an universam duorum Poetarum dissimilitudinem non male declaret unus ille de morte voluntaria locus. Nam cum utrique summa rerum vertatur in Naturæ rurisque miraculis, statuimus tamen, pro vario tam indolis quam fortunarum quoque genere, mirum quantum inter se distare maximos viros, ac diversissimis plane oculis easdem res solere contemplari. Lucretium videlicet, postquam diu multumque desudaverit in acquirenda veritate, fructu, ut ipsi quidem videbatur, vel nullo vel exiguo, recipere se tandem plane defessum in arcana Naturæ, velut in portum aliquem, ubi se ad tempus delectare possit magnis et mirandis imaginibus, undique conquisitis; atque, ut ita dicam, fruatur suo quodam genere somniorum, in immensum et infinitum nescio

quomodo excurrentium. Contra, Virgilium, ut a prima pueritia vitæ agresti, fluminibus sylvisque, insuevit, sic omni tempore e castris et urbe in rus suum refugere, læto ac lubenti animo; tanquam in domicilium suum, ubi metus omnes, angores, ægritudines deponere soleat. Illi satis esse, si brevi hora detinere possit ac lenire animum, formarum ac colorum vel majestate, vel suavi ac tenero seu motu sive aspectu. Hic quasi quædam colloquia tenere cum montibus, sylvis, fluminibus, amicis videlicet visis longo post tempore. Lucretio itaque etsi non raro rideat quodammodo et exultet pictura, velut in triumphali illo ac notissimo de vernis deliciis carmine[e],—

It Ver et Venus et Veneris prænuncius ante
Pinnatus graditur Zephyrus vestigia propter:
Flora quibus mater præspergens ante viai
Cuncta coloribus egregiis et odoribus opplet:—

nusquam tamen invenias acquiescentem in agresti illa tranquillitate: neque ita se ferri agique sinit, quasi quadam aura vehementiore, in rura et solitudines, ut obliviscatur acerbissimæ sortis, duræque in omne genus humanum sententiæ. Contra, quæ habet tristissima identidem Virgilius, minime tamen carent solatio suo: quippe arctius ferme conjuncta cum dulci aliqua præteritarum rerum memoria. Habet hoc autem singulare et gratissimum quidem omnis pueritiæ suaviter actæ recordatio, ut bonam certamque foveat spem, existere alicubi Potentiam quandam benignam, quæ mala vitæ temperet, atque adeo fortasse non ferat omnia semper in pejus prona ruere. Manat quodammodo ejusmodi spei quasi quædam

[e] Lucr. 5. 736.

tacita et salubris vena per illa etiam Virgiliana, quæ palam et aperte declarant ægrum et irrequietum animum. Verbi gratia[f]:

> Sternitur infelix alieno vulnere, cælumque
> Aspicit, *et dulces moriens reminiscitur Argos.*

Vel ea, quæ depingunt Didonis aspectum, animam modo jam agentis[g]:

> Oculisque errantibus, *alto*
> *Quæsivit cælo lucem,* ingemuitque *reperta.*

Significat plane, post tot calamitates ac tædia vel exsilii vel infelicis etiam amoris, superesse tamen quod amplectatur aliquis in hoc incertissimo vitæ curriculo.

Quid, quod solenne illud, "mortalibus ægris," "miseris mortalibus," et si quid apud eum occurrit ejusmodi, mitigari semper ferme curavit verbo aliquo melius ominato? velut ubi docet, describi cælum omne in quinque partes, seu zonas[h]:

> quarum una corusco
> Semper Sole rubens, et torrida semper ab igne;
> Quam circum extremæ dextra lævaque trahuntur
> Cærulea glacie concretæ atque imbribus atris.
> *Has inter mediamque, duæ mortalibus ægris*
> *Munere concessæ Divum.*

His addi poterunt ea, quæ greges capellarum commendant[i]:

> Nec minus interea barbas incanaque menta
> Cinyphii tondent hirci, setasque comantes,
> Usum in castrorum et miseris velamina nautis.

Noluit "miseros" appellari, ni solatium quoque adhibeat: provideri ultro algentibus ab ipsa Natura.

Durius paullo illud[k]:

> Optima quæque dies miseris mortalibus ævi
> Prima fugit: subeunt morbi, tristisque senectus,
> Et labor et duræ rapit inclementia mortis.

f *Æn.* 10. 781. g *Ibid.* 4. 691. h *Georg.* 1. 233.
i *Ibid.* 3. 311. k *Ibid.* 3. 66.

Sed enim de medio horum angorum fonte surgit, quod possit esse solatio: spes videlicet futuræ gentis, et læta illa et proterva de generosi pecoris pullo [l].

> Altius ingreditur, ac mollia crura reponit,
> Primus et ire viam, et fluvios tentare minaces
> Audet, et ignoto sese committere ponti:
> Nec vanos horret strepitus.

Num potuit quidquam adhibere, quod melius responderet ex altera parte flebilibus et acerbis modis, quam lusus equi nondum edomiti?

Deinde, ita sunt hæc omnia comparata, ut pæne diceres, Virgilium consulto ea posuisse, quæ maxime abrogarent Epicuri ac Lucretii edicta, grandissimo licet verborum sonitu prolata, de Naturæ mundique defectu. Ait videlicet Lucretius, Epicurea repetens [m],

> Ex ipsis cæli rationibus ausim
> Confirmare, aliisque ex rebus reddere multis,
> Nequaquam nobis divinitus esse paratam
> Naturam rerum, tanta stat prædita culpa.

Videte deinde, quid primum accuset.

> Principio, quantum cæli tegit impetus ingens,
> Inde avidam partem montes, sylvæque ferarum
> Possedere, tenent rupes, vastæque paludes,
> Et mare, quod late terrarum distinet oras.
> Inde duas porro prope partes fervidus aer
> Assiduusque geli casus mortalibus aufert.

His quod remedio esset, Virgilius, ut vidimus, cantavit:

> Has inter mediumque duæ.

Pergit Lucretius:

> Quod superest arvi, tamen id natura sua vi
> Sentibus obdurat, ni vis humana resistat,
> Vitai causa valido consueta bidenti
> Ingemere, et terram pressis proscindere aratris. . . .

[l] *Georg.* 3. 76.   [m] Lucr. 5. 197.

Et tamen interdum magno quæsita labore
Cum jam per terras frondent, atque omnia florent,
Aut nimiis torret fervoribus ætherius Sol,
Aut subiti perimunt imbres, gelidæque pruinæ,
Flabraque ventorum violento turbine versant.

Habetis querelam satis argutam: cui tamen uno verbo medetur Virgilius [n]:

Pater ipse colendi
Haud facilem esse viam voluit, primusque per artem
Movit agros, curis acuens mortalia corda,
Nec torpere gravi passus sua regna veterno.

Ejusmodi exemplorum infinita prope est seges: quorum omnium ea vis est, ut in mitiorem partem pleraque interpretetur Virgilius, quæ Lucretio nullo modo toleranda videbantur. Atque in ea re non parum, ut opinor, adjuvit eum tenerrima, quam semper fovebat, juvenilium annorum memoria. Quod contra apud Lucretium nihil tale subesse intelligo: qui nullo unquam tempore, quod sciam, cum amore et dulcedine repetit pueritiæ suæ lusus et gaudia. Id quod, ut mihi quidem videtur, significationem habet non dubiam futuræ aliquando insaniæ.

Jam videndum, an illa quoque dissimilitudine notari debeat par nobile Romanorum vatum, quod locorum familiarium mentione supersedeat plerumque Lucretius, Virgilius non alia re magis se soleat delectare. Evolvas licet a principio ad finem omnes quotquot sunt libros Lucretii, ne semel quidem (audeam dicere) invenies sive montis seu fluvii nomen, animi causa, ut fit, adduci: quin semper ea modo loca vocabulis suis nuncupat Poeta, quæ nuncupentur necesse est, ne forte aliqua sui parte vacillet ac titubet philosophiæ ejus ratio: Ammonis videlicet fontem, vel Heliconem, propter arborem quandam, vel [o]

[n] *Georg.* I. 121. [o] Lucr. 6. 767.

Qualis apud Cumas locus est montemque Vesevum,
Oppleti calidis ubi fumant fontibus auctus.

Virgilium contra mirere, quam subito festinet semper ad nomina locorum, velut ipso Georgicorum initio [p]:

Liber et alma Ceres, vestro si munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit arista,
Poculaque inventis *Acheloia* miscuit uvis.

Deinde post paullo,

Cultor nemorum, cui pinguia *Cææ*
Tercentum nivei tondent dumeta juvenci.

Et

Ipse nemus linquens patrium, saltusque *Lycæi*
Pan ovium custos, tua si tibi *Mænala* curæ,
Adsis O *Tegeææ* favens.

Etiam cum ad ea ventum est, quæ pertinent ad greges et pascua, videmus eandem servari legem [q].

Te quoque, magna Pales, et te, memorande, canemus,
Pastor ab *Amphryso:* vos, sylvæ amnesque *Lycæi.*

Immo etiam solenne id Virgilio primum, deinde omnibus ferme, qui post eum laboraverunt in eadem Poeseos provincia, ut loco communium, quæ vocant, nominum, propriis plerumque et privatis utantur. Exempli gratia: ubi narrantur capellarum mores et ingenia [r]:

Pascuntur vero sylvas et summa *Lycæi,*
Horrentesque rubos, et amantes ardua dumos.

Vel ubi docet notanda esse sedulo, si quid aliud, locorum [s] discrimina:

Quare agite O proprios generatim discite cultus,
Agricolæ, fructusque feros mollite colendo;
Neu segnes jaceant terræ; juvat *Ismara* Baccho
Conserere, atque oleo magnum vestire *Taburnum.*

His tamen versibus inest, fateor, ratio, eaque

p *Georg.* 1. 7. q *Ibid.* 3. 1. r *Ibid.* 3. 314. s *Ibid.* 2. 35.

minime obscura, cur nomine appellentur singulæ regiones. Sapit nimirum ea res gnarum ac diligentem agricolam. Verum sæpius additur nomen, nulla admodum ratione, quod ad rem attinet: animi tantum et suavitatis ergo. Ecquid aliud, obsecro, erat in causa, cur in aureo carmine de vitæ rusticæ laudibus toties adhibuerit propria locorum vocabula [t]?

At latis otia fundis,
Speluncæ, vivique lacus: at frigida *Tempe*,
Mugitusque boum, mollesque sub arbore somni
Non desunt. . . . O ubi campi,
Sperchiusque, et virginibus bacchata *Lacænis*
Taÿgeta? O qui me gelidis sub vallibus *Hæmi*
Sistat, et ingenti ramorum protegat umbra!

Mirificus sane concursus locorum latissimis regionibus inter se distantium: ex quo intelligas, non ideo adduci nomina, ut eorum ope facilius componantur omnia in unam quasi picturam: qui fructus non raro capitur, allatis videlicet locorum nominibus tum familiarium, tum propinquorum. Quid autem Sperchio cum Taÿgetis? quid utrique cum Hæmo? Aliam necesse est hic quæramus poeticæ venustatis rationem.

Sed prius addamus exempla duo vel tria. Nam hactenus quæ sunt dicta, maximam partem, velut raptim transeunti, uno solo concluduntur verbo. Est autem, ubi nominum propriorum usu id præsertim agi videtur, ut justa pictura loco certo, atque adeo veritate quadam, donetur. Qua si carebit, imperfectum erit et mancum opus alioqui exquisitissimum. Verbi causa [u]:

Sub *Œbaliæ* memini me turribus altis,

[t] *Georg.* 2. 468. [u] *Ibid.* 4. 125.

Qua niger humectat flaventia culta *Galesus,*
Corycium vidisse senem :

et quæ sequuntur, notissima omnibus. Id autem animadvertatis velim in mollissimo illo carmine, quam vim habeant loca suis vocabulis signata. Præstant nimirum historiam minime commentitiam: plane sicut in hoc quotidiano sermone tum demum narranti creditur, cum res quæque circumscribitur suis et horis et regionibus. Atque ea res pendet ex sola mentione nominum: accedente scilicet, cumuli loco, si quod habent singula quod eximie placeat; sive amœnitate, seu rerum gestarum memoria, sive (quod erit instar omnium) sacrosancta religione.

Pergamus ad aliam picturam, cujus pulchritudinis, me quidem judice, pars non minima debetur nominibus locorum rite ac gnaviter injectis. Nempe ubi[x] "pastorale signum cani" narrat ab una aliqua Furiarum, "Tartarea voce, qua protinus omne Contremuit nemus et sylvæ intonuere profundæ:" quidnam fuisse in causa existimatis, cur hujus et alterius anguli nomen addiderit?

Audiit et *Triviæ* longe lacus, audiit amnis
Sulfurea *Nar* albus aqua, fontesque *Velini.*

Atque auguror equidem certissima conjectura, fore ut in hac re mirifice se nobis commendet ingeniosissimi Poetæ consilium, modo oculis cernere liceat ipsa loca, intervalla metiri, sonorum quasi vestigia venari per rupium, nemorum, torrentium anfractus.

Ac mihi quidem aliquando venit in mentem, an his versibus significare voluerit Poeta, id quod usu venire aiunt iis qui latioribus spatiis assueverunt, vel maritimis vel fluvialibus; mirandum in modum

[x] *Æn.* 7. 513.

propter aquas fluere quodammodo et ferri sonitus, atque in loca præter expectationem longinqua. Nam aquarum solarum, uti videtis, fit mentio. Sed fuerit quæcunque ratio singulorum nominum, in eo consentient, opinor, omnes, non sine magna leporis jactura eximi posse ex isto carmine ignotorum licet locorum vocabula.

Dicam aliud ac nobilius exemplum: immo quo vix aliquid tenerius in tenerrimo scriptore invenias. Postquam videlicet sacerdotem quendam, et eundem medicum, in partem belli adduxerat [y],

> Vipereo generi et graviter spirantibus hydris
> Spargere qui somnum cantuque manuque solebat,
> Mulcebatque vias, et morsus arte levabat;
> Sed non Dardaniæ medicari cuspidis ictum
> Evaluit, neque eum juvere in vulnere cantus
> Somniferi, et Marsis quæsitæ in montibus herbæ:

arrepta statim notorum montium mentione, mœstissimam sibi fingit næniam omnium locorum, quos ille peragrare consueverat:

> Te nemus Angitiæ, vitrea te Fucinus unda,
> Te liquidi flevere lacus.

Non potuit neque brevius neque flebilius: videte vero, an in locorum nominibus vertatur omnis fere ista dulcedo: nisi forte addas subitam illam medioque versiculo abruptam clausulam. Multa habet talia, uti nostis, Virgilius noster; ita tamen plerumque comparata, ut forte quadam potius excidisse videantur, quam adhiberi in significationem gravioris alicujus affectus; quæ hujus fortasse exempli est ratio.

Veniamus ad similitudines, quas plurimas ad eandem formulam exegit Poeta: nominatis videlicet

[y] *Æn.* 7. 753.

fluminibus, montibus, sylvis; non depictis modo et ornatis [z].

> Ac velut *ille* canum morsu de montibus altis
> Actus aper, multos *Vesulus* quem *pinifer* annos
> Defendit, multosque *palus Laurentia,* sylva
> Pastus arundinea.

Quorsum ea mentio Vesuli et Laurentiæ paludis, nisi ut res omnis coram magis ante oculos agatur, veramque et vivam venationem præ se ferat? Quo pertinet, credo, illud quoque, quod non de quovis agitur apro, sed de Illo, qui dicitur; videlicet de noto aliquo ac formidato, quem multis jam annis noverant venatores istis præsertim latebris uti.

Atque hic, ut sæpius, id habet Virgilius commune cum agricolarum natione, quod valde delectari se significat omni genere venationis, ipsisque adeo vocibus et clamoribus, quibus vulgo se accendere solet id genus. Præter enim expressa in Georgicis, ut ita dicam, edicta, quibus pasci jubet canes, hiememque ejusmodi lusu fieri genialem: non paucas in Æneide adducit similitudines, quarum idem ferme est tenor [a]:

> Inclusum veluti si quando in flumine nactus
> Cervum, aut puniceæ septum formidine pennæ,
> Venator cursu canis et latratibus instat:
> Ille autem, insidiis et ripa territus alta,
> Mille fugit refugitque vias: at vividus Umber
> Hæret hians, jam jamque tenet, similisque tenenti
> Increpuit malis, morsuque elusus inani est.

Atque in illo mire consentit tranquillum hoc Poetarum genus cum actuoso illo et Homerico, quod utrumque videlicet eximie juvat artium venaticarum mentio, sed ob diversas plane causas: Homericis belli placet imago, Virgilianis sylvarum ac fluminum indagatio, et cursus per avia liberrimus.

[z] *Æn.* 10. 707. [a] *Ibid.* 12. 749.

Verum redeamus ad inceptum de locis nominandis sermonem, rationemque, qualem poterimus, reddamus, cur ex ea re capiant plerique voluptatem. Ac diximus quidem de verisimilitudine; quasi propiora sint quodammodo ea, quæ nominatim ċunque appellantur. Hoc tempore consideretis velim, an satis commode in tres ferme partes distribui possint, quæ habent Poetæ hoc genus: quorum prima erit, et quasi fons et origo cæterarum, ea quæ versatur in eorum locorum mentione, quibus quisque, puer cum esset, insueverit. Nam sicut tenerrimis annis e patrum matrumque familiari aspectu solemus omnes pervenire ad cæterorum ordine occurrentium tum notitiam tum caritatem; ita loca plerumque ea principio adamamus, quæ ex ipsis quasi nidis primo evolantes et nosmet tentantes exceperunt: deinde, ducti vel horum similitudine, vel significatione certe aliqua, cætera, prout quæque occurrunt, caritatis ejus particula quadam complectimur. Quamobrem, qui in hac parte velit exsequi Virgilianæ Poeseos ingenium, is censebo initium capiat ex iis quæ ad Mantuam vel ad Cremonam pertinent; quæ ad fluvios propinquos, Mincium, Athesin, Eridanum; quæ ad montium licet longinquorum aspectus, sive Alpium sive Apennini: quibus quasi Naturæ rudimentis, e tenera usque ætate, oculis animoque imbutus Poeta facile erat progressurus ad plenam ejus scientiam: habebat duntaxat, quibuscum posset componere omnia et singula, quæ usquequaque in oculos venirent. Ecquid in causa esse putatis, cur ex omnibus Bucolicis prima et nona maxime commoveant animos, nisi quia versatur utrumque carmen in certa ac familiari vicinia, notisque et caris limitibus undique circumscribitur? Quid? magnifica

et grandia illa, quibus se fingit paullo jactantiorem, Augusti videlicet causa, cohortisque ejus, nonne temperavit præcipua quadam suavitate, quod in Mantuam Minciique ripas rem omnem revocari curavit [b]?

Primus ego in patriam mecum, modo vita supersit,
Aonio rediens deducam vertice Musas:
Primus Idumæas referam tibi, Mantua, palmas;
Et viridi in campo templum de marmore ponam
Propter aquam, tardis ingens ubi flexibus errat
Mincius, et tenera prætexit arundine ripas.

Locis appellandis dulce reddidit carmen, alioqui pulcrum modo atque splendidum.

Quid, quod ipsas Elysii ac Fortunatorum nemorum laudes jejunas fore putavit et imperfectas, ni choro beatorum istic degentium tribueret non dicam ruris sed et Cisalpini ruris delicias? Neque enim id tantum docuit, constare eorum felicitatem, magnam partem, ex illa libertate rusticantium, qua soleant errare quo velint per amœna ac viridia loca:—nam, ut ait ille, de Anchisa interrogatus [c],

Nulli certa domus; lucis habitamus opacis,
Riparumque toros et prata recentia rivis
Incolimus:——

verum etiam in intimos sacrosancti Elysii recessus patrium ac familiarem fluvium minime veritus est deducere. Conspicitur nempe veneranda heroum manus [d],

dextra lævaque per herbam
Vescentes, lætumque choro pæana canentes,
Inter odoratum lauri nemus, unde superne
Plurimus *Eridani* per silvam volvitur amnis.

Fabulosum modo quærenti flumen, præsto erant Rhodanus, Tagus, Arethusa, et si quos alios amnes

[b] *Georg.* 3. 10. [c] *Æn.* 6. 73. [d] *Ibid.* 656.

commentis suis ornaverunt veteres. Eridanum cur cæteris prætulerit, non video, ni fuerit propter Mantuæ suæ viciniam: cui oppido propior fluit Eridanus aliis omnibus, excepto Mincio: Mincium autem nullius præcipue Nympharum Heroumve memoriæ dicaverant annales.

Eadem ferme causa erat, opinor, cur Æneam denuo assurgentem, ultimoque jam certamini intentum, componi voluerit non cum quovis montium, sed cum eo, quem ipse, puer cum esset, optime cognoverat [e].

> Quantus Athos, aut quantus Eryx, aut ipse, coruscis
> Cum fremit ilicibus quantus, gaudetque nivali
> Vertice se attollens pater Apenninus ad auras.

Crediderim, Virgilio lubenti ac læto accidisse, ut quæ juga tot annis ex agello suo domoque nativa prospexerat,—obscura satis et longinqua, sed prospexerat tamen,—eadem posteris traderet, tanto cum honore.

Sed ad fluvios sæpius redit; ut erat liquidarum aquarum, siquis alius, amator ac laudator [f].

> Quales aëriæ, liquentia flumina circum,
> *Sive Padi ripis, Athesin seu propter amœnum,*
> Consurgunt geminæ quercus ....

Videtis quid sibi velint amnium nomina, præsertim vicinorum; ad similitudinem enim quod attinet, pariter quadrabunt omnia, his omissis.

Atque ut semel ad Mincium redeamus; animadvertite, quæso, an solito magis exultent ac superbiant Virgiliani versus, ubi illorum fit mentio, quos contra Mezentium misit Mantua [g]:

> Quos patre Benaco, velatus arundine glauca,
> Mincius infesta ducebat in æquora pinu.

Proxima ab his et affectu et pulcritudine venient

[e] *Æn.* 12. 701. [f] *Ibid.* 9. 679. [g] *Ibid.* 10. 205.

locorum non plane ignotorum nomina, remotiorum tamen a solo natali, atque a pueritiæ domicilio. Etenim, ut vulgo dicitur, nemini unquam viatori, novo proficiscenti itinere, ne semel quidem visa loca tam penitus excidere ex animo, quin eadem revisat, si fors ita tulerit, cum obscura quadam lætitia: sic videndum, an placeat plerumque magis apud Poetas eorum locorum mentio, quæ coram ipsi aliquando conspexerunt oculis. Tangunt videlicet talia et excitant memoriam, debilem quamvis, et somniis ferme propiorem: quo more solent interdum musici modi, semel forte ac procul auditi, deinde longo post tempore in aures atque in animum recurrentes: seu potius dicas parem esse causam, ac siquis vultum gestumque alicujus agnoscat, multis ante annis visum, ipse pæne nesciens. Assurgit illico cœca quædam puerilis ætatis, patriæ, sodalium recordatio: qualis Platoni ferre videbatur certissimum vitæ prioris indicium. Ex quo efficitur, ut illorum locorum nominibus implicetur sæpius tenerior quidam sonus, animique paullum commoti significatio: velut ubi linguas et voces eorum, quibuscum forte sermones conserimus, tremore quodam leviculo affici sentimus, ipsis fortasse nihil tale suspicantibus. Specimen dabit ea pars Æneidos, qua nomina numerique et origines referuntur militantium [h].

Qui saltus, Tiberine, tuos, sacrumque Numici
Littus arant, Rutulosque exercent vomere colles,
Circæumque jugum; queis Jupiter Anxurus arvis
Præsidet, et viridi gaudens Feronia luco;
Qua Saturæ jacet atra palus, gelidusque per imas
Quærit iter valles atque in mare conditur Ufens.

His profecto describit Virgilius regionem sibi non

[h] *Æn.* 7. 797.

prorsus ignotam: quippe qua necesse est transeant, qui Roma Neapolin iter faciunt. Sed in tristibus et inamœnis locis unum illud commoverat ejus mentem (ut natura semper erat fluviorum præsertim amantissimus) quod Ufens ille identidem se ostendebat, secreto calle, tanquam fallendi studiosus. Illius itaque nomini ultro adjunxit indicium aliquod animi non plane immemoris: immo cum ejus latendi cupidine se quodammodo sentire significat.

Atque ex hoc, ut opinor, efficitur, ultimis illis Æneidos libris nescio quod addi decus, et mirificam præ cæteris dulcedinem, propterea quod in iis versatur Poeta locis, qui patriæ domusque et puerilium annorum omni in angulo memoriam referebant. Mihi profecto, statim ab initio sexti vel certe septimi libri, mutari videntur omnia in tenerius picturæ, ut ita dicam, genus; immo etiam ipsa locorum nomina, qui alius post alium appellantur [i].

> Sic fatur lacrymans, classique immittit habenas
> Et tandem Euboicis Cumarum allabitur oris.

Etiam illud [k]:

> Tu quoque littoribus nostris, Æneia nutrix,
> Æternam moriens famam, Caieta, dedisti.

Nescio equidem, an quædam me abripiat dulcedinis non veræ imago: verum simul atque solum Italicum, notaque littora, tetigerit Virgilius, sentio alacrius quodammodo moveri hominem, velut qui, fabulosi illius Antæi similis, mutuatus sit vires ab ipso patriæ contactu. Atque hujus suavitatis apud eum tanta est vis, ut medeatur magna ex parte fastidio pæne incredibili, quo prosequi solet vir tranquillitatis amantissimus [l]

> Bella, horrida bella,
> Et Tybrim multo spumantem sanguine.

[i] *Æn.* 6. 1. [k] *Ibid.* 7. 1. [l] *Ibid.* 6. 86.

Jam autem formulam nostram de nominibus tentemus in carmine paullum ab his diverso [m].

> Hunc legio late comitatur agrestis:
> Quique altum Præneste viri, quique arva Gabinæ
> Junonis, gelidumque Anienem, et roscida rivis
> Hernica saxa colunt; quos, dives Anagnia, pascis,
> Quos, Amasene Pater.

Nullum hæc præcipue, quod sciam, affectum sapiunt: sed neque Virgilium certo scimus illis regionibus unquam adfuisse: pertinebunt itaque ii versus ad ultimum fortasse genus eorum quæ diximus; ubi loca nondum visa fingunt sibi scriptores atque deformant, sive ad eum quem fama exceperunt, modulum, sive ad imaginem aliquam intus quoquo modo conceptam. Etenim cum tabulas illas, quas Geographicas vocant, inspicimus, nescio quomodo excogitamus nobiscum regionum non modo situs et intervalla, verum etiam colores, eminentias, recessus, et siqua alia pictoribus sunt in deliciis: atque in ea re non parum, opinor, adjuvari solemus tacita et cœca familiarium locorum recordatione. Præterea qui noctu iter faciunt, ignotis viis, luce vel dubia vel plane nulla, non tamen cessant plerumque conjectura informare sibi effigies fluminum, oppidorum, montium, quos ordine se norunt percurrere, oculis vix et ne vix quidem cernunt. Jam ab illorum causa non multum abesse dixerim voluptatem eam, quam capiunt carminum seu lectores sive scriptores, quoties ordine sunt numeranda loca nullo unquam tempore oculis subjecta. Mutuantur sibi pro re nata formam faciemque ab amatis notisque regionibus; varieque componendo, putant sese novam aliquam speciem effingere. Hinc illa de Diis,

[m] *Æn.* 7. 681.

Apolline præsertim ac Diana, honoris gratia non raro in similia, quæ vocant, relatis [n].

> Qualis in Eurotæ ripis, aut per juga Cynthi
> Exercet Diana choros; quam mille secutæ
> Hinc atque hinc glomerantur Oreades.
> [o] Qualis ubi hybernam Lyciam, Xanthique fluenta
> Deserit, ac Delum maternam invisit Apollo,
> Instauratque choros; mixtique altaria circum
> Cretesque Dryopesque fremunt, pictique Agathyrsi;
> Ipse jugis Cynthi graditur.

Elegantius multo hæc extulit, aptiusque ad *ἐναργείαν* illam, quam tantopere laudant, servandam, quod nomine appellavit Delum, Lyciam, Xanthum, Eurotam, præ cæteris Cynthum, collem non levi religione observatum. Nimirum quod diximus, historiolas ejusmodi majorem multo præ se ferre propter nomina veritatis speciem, ea res in iis vel præcipue valet, quæ ad Deorum portenta, visumque pertinent. Neque verior modo, sed et propior fit quodammodo mirabilis illa Numinis Præsentia, simul atque ea certo aliquo ac familiari præsertim loco finiatur. Quod in ipsa quoque religione ac reverentia fanorum, adytorum, oraculorum, et siquid tale colimus, videtur, naturæ quadam lege, vel primas tenere partes. Nominato videlicet loco, quamvis longinquo, juxta quem evenerat sanctum aliquid ac prodigiosum, intelligimus ultro, esse quoddam intervallum, latissimum licet, at circumscriptum suis tamen spatiis, certaque mensura, quo nos ipsi distinemur a sede illa Numinum, atque adeo a Numinibus ipsis. Ecquis omnium eorum, qui animo attento pioque legunt Libros illos vere Sacròsanctos, non se graviter commoveri sentit, nominatis modo oppidis, fluviis, montibus, ubi se solito propiorem ostendit DEUS? Max-

[n] *Æn.* I. 495.

[o] *Ibid.* 4. 143.

ime cum constet indiciis minime dubiis, insuevisse Eum quodammodo certis locis, atque ubi semel propinquum se præstiterat, eodem plerumque serius ocyus redire. Quid multa? experti scimus, nulla ferme re tam penitus insidere in mentibus atque in affectibus hominum præsentissimi Numinis sensum, quam locorum religione: quam adeo suos doceri curavit olim Prudentia cælestis, vel ipsorum etiam nominum ratione, quibus appellari Ipsius jussu passim legimus et vicos et regiones. Nemo enim nescit sacrarum literarum interpres, quanta pars illius doctrinæ ponatur in ejusmodi quæstionibus. Credendum itaque, ex his germanis verisque effluxisse quodammodo Virgilianas illas umbras, fictasque et nominum et locorum religiones: quarum licet longe longeque sit inferior et dignitas et pulchritudo, habent tamen, quod mire commoveat animos, cum et loci fidem portentis, et portenta locis addant formidinem.

Illud autem eximium, si forte acciderit, ut cærimoniis et originibus patriæ propius implicentur locorum memoriæ ac nomina. Quo in genere nihil, credo, habet antiquitas, quod aut simile sit aut secundum laudatissimo illi de Evandro situque Romanæ urbis carmini. Neque vero quidquam ibi habet summus artifex, quod magis delectat, quam quod paullatim se in altius erigat oratio, propiusque accedat ad summam illam ac celsissimam majestatem. Primum videlicet, ait Evandrus [p],

> Hæc nemora indigenæ Fauni Nymphæque tenebant:

semideorum potius quam Deorum natio. Deinde memorata Carmentis tam ara quam porta [q],

> Vatis fatidicæ, cecinit quæ prima futuros
> Æneadas magnos, et nobile Pallanteum;

[p] *Æn.* 8. 314. [q] *Ibid.* 340.

monstrato etiam Romuli luco, sacrique Argileti nemore; imponitur augustissimus universæ rei cumulus[r].

Hinc ad Tarpeiam sedem et Capitolia ducit,
Aurea nunc, olim sylvestribus horrida dumis.
Jam tum religio pavidos terrebat agrestes
Dira loci: jam tum sylvam saxumque tremebant.
Hoc nemus, hunc, inquit, frondoso vertice collem,
Quis deus incertum est, habitat deus: Arcades ipsum
Credunt se vidisse Jovem, cum sæpe nigrantem
Ægida concuteret dextra, nimbosque cieret.

Videtisne, quo tendat omnis illa magnorum Poetarum de locis nominandis religio? quo tandem claudatur exitu? Nempe cordatorum piorumque hominum judicio, nullo non in angulo orbis aderit quod aut commoveat aut mulceat animos sensu aliquo diviniore: quem qui facillime et optime arripere noverit, is profecto veræ Poeseos gradu non humillimo potitus est.

Tam itaque ex hac parte, quam ex illa altera, quæ pertinet ad affectus et studia hominum, miro quodam intervallo distinetur Virgilius a Lucretio. Neque immerito: cum unius ejusdemque plane sit indolis, vel humani nihil a se alienum putare, vel plena vestigiis hominum loca cum amore quodam contemplari. Versatur autem utrinque præ oculis animi, tacitisque stimulis urget et erigit, gravissimum illud, *Adesse Deum:* præsto esse Vim aliquam non infinitam modo et immensam, verum etiam æquam nobis, curantem nostra. Quem sensum qui cum Lucretio seu perferre nequeunt seu confiteri, Naturam tamen amore non ficto prosequuntur, hi simul atque se injecerint in arcana ejus ac profunda, lubentes obliviscuntur et locorum omnium et hominum, ne talia

[r] *Æn.* 8. 347.

forte repetenti subeat etiam Προνοίας, quam oderunt, imago. Quærunt sibi miseri novas semper rerum latebras et ambages, ne in unicam Illam respiciant Causam atque Legem omnium. Juvant itaque et isti veritatem testimonio invito, cultuque, quem tribuunt inscientes: verum quod ad ipsos attinet, frigidis profecto et inamœnis errare videntur regionibus, velut qui nec patriam neque certos noverint Penates, unoque et eodem tempore omnem non modo cælestium rerum curam, verum etiam terrenarum dulcedinem, a se abjecerint.

Jam autem pendet hæc omnis oratio ab una illa Virgilianæ Poeseos nota, quod eam credimus, ut quæ maxime, colere ultro, et ex animo adorare, Numen Providens ac Benignum. Sed quoniam non defuerunt, qui Virgilium existimarent cum Epicuri familia sensisse: quoniam etiam eorum gratia reliquimus adhuc ferme intactam partem illam ejus carminum, qua is meliore philosophia significat se imbui: superest ut justa disputatione quæramus ejus magistrum, fueritne is Epicurus an Plato. Magna quidem et gravis erit quæstio, sed nequaquam, uti spero, difficilis.

PRÆLECTIO TRIGESIMA NONA.

Quæritur an cum Epicuro senserit Virgilius. Infirmiores esse ejus conjecturæ rationes. Contra, Platonicum eum declarari, tum quod ubique memoriæ, non spei, indulgeat; tum quod Numina adesse semper significet, animalium, immo totius Naturæ consensu; tum denique propter εἰρωνείαν, et summum in rebus sacris et æternis pudorem.

QUI Virgilium Epicuri familiæ adscribendum esse volunt, duabus maxime causis inniti videntur. Primum, quod is Lucretium aliquando effert eximia quadam laude, seque non obscure declarat in ejus vestigiis velle quidem certe insistere. Deinde quod mortem semel atque iterum deprecatur, eodem ferme tenore, quo solet vulgus hominum; quasi nulla mortalibus supersit expectatio, semel vita functis. Sed utriusque facilis erit excusatio, attentius modo Virgilianam indolem consideranti.

Nam quod Lucretium, talem virum, ipsius pæne æqualem, honorifice prædicabat, id quidem pertinebat quodammodo ad candidum atque ingenuum ipsius animum, ultro laudem impertientis, ubi res erat laudanda. Sed palam et aperte negat se in illius, tanquam magistri, verba jurare. Sic enim accipio

carmen celeberrimum, jam ante a nobis non semel laudatum[a].

> Felix qui potuit rerum cognoscere causas : . . .
> Sin, has ne possim naturæ accedere partes,
> Frigidus obstiterit circa præcordia sanguis,
> Rura mihi et rigui placeant in vallibus amnes.

Equidem videre mihi videor tangi hic a Scriptore acutissimo diversas non solum Poeseos verum etiam Philosophiæ partes, quas tribui velit tum sibi tum Lucretio: non sine festiva quadam, atque, ut ita dicam, Socratica, verecundi animi significatione. Nam solet apud Platonem Socrates, uti nostis, imparem adversariorum ingenio tum maxime se fateri, cum penitus jam ab imo eversurus est universas eorum rationes.

Itidem "fortunatum" appellat illum, "Deos qui novit agrestes :" qui mente scilicet animoque auguratur prope ac pæne coram adesse in omni loco nescio quid plusquam humanum: quique ob eam ipsam causam "flumina amat sylvasque inglorius," quod inter ejusmodi solitudines "præsentiorem conspicimus Deum."

Præterea, quod Virgilius aliquando locutus est Epicureo ritu de morientibus:—quale, verbi causa, est illud[b],

> Olli dura quies oculos et ferreus urget
> Somnus : in æternam clauduntur lumina noctem :

qui versus solent imprimis proferri ab iis, qui in hac causa Poetæ parum favent:—Homericum plane est[c]:

> κοιμήσατο χάλκεον ὕπνον.

Homero autem nemo unquam, opinor, frigidam illam tribuit sententiam, morientium animas statim in auras atque adeo in nihilum abire. Immo vero quis nescit, ejusmodi dictis minime plerumque subesse

[a] *Georg.* 2. 490. [b] *Æn.* 10. 745. [c] *Iliad.* 11. 241.

ipsorum, qui loquuntur, certam aliquam opinionem: quin id potius agi, ut suam imbecillitatem fateatur ultro Natura, seque significet, mœrore abreptam, oculorum magis quam animi judicio uti? Qualia multa habent Sacrosancti etiam Libri; præsertim ubi se dedita opera demittit, ut ita dicam, divina Bonitas, neque ad has quotidianas mortalium curas et affectus descendere dubitat.

Exemptis itaque id genus scrupulis, veniamus ad illa, quibus se palam profitetur Virgilius non Epicuri sed Platonis, seu mavis Pythagoræ, auditorem. Quo in genere primas tenent (quod norunt omnes) duo præsertim loca. Nam et in Elysio Anchises filium docet, Academi pæne ritu, egregiam illam de Anima Mundi, Spirituque per omnia diffuso, sententiam; et in ultimo Georgicorum libro eandem non obscure tradit Poeta[d].

> His quidam signis, atque hæc exempla secuti,
> Esse apibus partem divinæ mentis, et haustus
> Ætherios dixere: Deum namque ire per omnes
> Terrasque tractusque maris cælumque profundum:
> Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
> Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas:
> Scilicet huc reddi deinde ac resoluta referri
> Omnia; nec morti esse locum; sed viva volare
> Sideris in numerum, atque alto succedere cælo.

Fecit videlicet, ut utrique operi infunderet eximium quoddam lumen pietatis: cum et apibus suis, quarum amore præcipue se capi significaverit, illum et ortum et finem tribueret, qui cælum cum terra arctissimis connecteret vinculis; et per omnem heroum seriem id unice cautum vellet, nequis mortalium se suumve sæculum auderet sibi soli vindicare, neve se disjungerent homines ullo tempore sive a majoribus sive

[d] *Georg.* 4. 219.

a posteris suis. Videtis in utroque carmine tangi a Scriptore non levem aliquam rem, sed ipsum caput ac summam suscepti operis. Nimirum, ad Georgica quod attinet, qui Spiritus apes regebat, idem sancta sua et arcana vi informaturus erat cætera quoque omnia, quibuscum inter rura ac sylvas familiariter vivunt agricolæ: ex quo id statim effici, quod in Elysio suo tantopere laudat Poeta[e]:

> Largior hic campos æther et lumine vestit
> Purpureo, solemque suum, sua sidera norunt.

Nihil profecto non et pulchrius lucet, et potentius commovet animos, addito semel augurio quodam divinitatis omni parte diffusæ.

Jam autem solius Æneæ fortunas alia prorsus mente contemplamur, alia ejus viri, quo uno contineri intelligimus universam illam heroum patrumque seriem: quem porro graviore aliquo affectu prosequuntur non mortales modo, verum etiam Dii tam Superi quam Inferni. Quare, qui in hoc negotio existimant Poetam verba dare lectoribus, intelligant saltem velim, quid eum accusent: non leviculam rem esse, sed ejusmodi potius, in qua vertatur universa non modo Virgilii fama, verum etiam rei poeticæ dignitas. Quemquamne videlicet, ingenua mente præditum, magni æstimare illam artem, cujus in summa laude et excellentia tantus pateat importunissimæ fraudi locus? Equidem, qui in istam pedibus ierit sententiam, vereor ne brevi *μισόλογος* quidam (quem vocat Plato) evadat; ne nihil omnino serio agi putet, ne in philosophorum quidem libris, nedum Poetarum.

"At enim porta eburna, falsorum insomniorum

[e] *Æn.* 6. 640.

ritu, emittitur Æneas[f]: quæ res certissimo sit indicio" (sic enim interpretantur) "vana prorsus et commentitia fuisse, quæ modo docuerat Poeta, sive de Inferorum regionibus, sive de omni rerum Natura." Considerate autem, quæso, quo tendat istiusmodi ratio. Quam multi scriptores scilicet effinxerunt sibi variis temporibus varia somniorum visa, quorum ope commendarent nobis sua judicia tum de re Divina, tum de vita ac moribus! Num credibile est, horum unumquemque non modo caruisse omni rerum, quas ipse docebat, fide, verum etiam data opera fraudem suam declarare voluisse? plane quasi dicat, "Cavete hæc assensu comprobetis: fucata ac ficta sunt omnia, voluptatis causa." Ecquis talem ferat gravissimi operis clausulam[g]?

Quin statuimus, ideo potissimum veluti de somniantibus ista narrari, quod pertineant videlicet ad eam regionem, quæ mente non oculis conspicitur: quacum adeo tum maxime solent homines habere commercia, cum mente sola vigilant, sopitis sensibus. Ex quo efficitur, "eburneæ portæ" non aliam ferme esse vim, ac si dixisset Virgilius, Æneam e sopore excitatum intellexisse, per somnum sibi ostensa fuisse tanta arcanarum religionum miracula: non quo ea commentitia sint, sed ut servetur communis lex earum rerum, quæ mundum sensusque superant. Porro quod "falsa" appellavit "insomnia," non rerum ipsarum, credo, negavit veritatem, sed imagines earum, non ipsas, significavit Æneæ coram adfuisse.

Atque ut Virgilium credam re ac veritate versari in ejusmodi doctrina, non *θέσιν* modo, ut aiunt Græci, *διαφυλάττειν*, plurimis equidem adducor ar-

[f] *Æn.* 6. ad fin. [g] Cf. Warburton, *Divine Legation,* lib. ii. 4.

gumentis. Ac primum videte, obsecro, quam bene conveniant ea, quæ dicebam, Platonica cum illa capitali Virgilianæ Poeseos nota, quod is omnia referri curavit ad præteritorum potius memoriam, quam ad venientis ævi spem. Usu videlicet comperimus, qui cum Lucretio sentiunt, illos spe addiscendi aliquid in ulteriora semper ferri, atque adeo prospicere quodammodo tanquam in pelagus infinitum et immensum: Virgilii vero amatores libenter respicere tenerrimam ætatem, pueriles lusus, cætera quæ ad anteactam vitam pertinent. Hos memoria detinet, illos expectatio. Verbi causa (ut Lucretium tandem omittamus), canit, ut nemo, Virgilius verni temporis laudes ac delicias [g],

Ubi pulsam hiemem Sol aureus egit
Sub terras, cælumque æstiva luce reclusit:

sed ista dulcedine tum demum impensius fruitur, cum mentio quædam pristinæ ætatis incidit [h].

Non alios prima crescentis origine mundi
Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem
Crediderim: ver illud erat: ver magnus agebat
Orbis, et hybernis parcebant flatibus Euri.

Porro agriculturæ, tum maxime a se celebratæ, jejunam et imperfectam videbat fore laudationem, ni memoriam beatæ illius antiquitatis admisceret [i].

Hanc olim veteres vitam coluere Sabini,
Hanc Remus et frater: sic fortis Etruria crevit,
Scilicet et rerum facta est pulcherrima Roma.
Ante etiam sceptrum Dictæi regis, et ante
Impia quam cæsis gens est epulata juvencis,
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.

Dicat forsitan aliquis, "Quî fieri potuerit, ut in carminibus Virgilianis primas sibi vindicaret præterito-

[g] *Georg.* 4. 51. [h] *Ibid.* 2. 336. [i] *Ibid.* 2. 532.

rum memoria, cum nemo omnium exstet Poetarum, qui spem bonam certamque de futura diligentius foveat, seu per vaticinia, sive per alia quævis divinandi genera? Quid laudatissimo illo Pollione facias? quid tot Deorum, tot augurum promissis, hic illic sparsis tota Æneide, de Cæsare præsertim et urbe Romana? ut celeberrima illa mittamus, quibus tamen universi carminis summa maxime continetur, partim apud Inferos coram monstrata, partim insculpta clypeo Æneæ." Immo vero hoc omne genus ita tractavit ingenium illud subtile, ut nulla magis parte in oculos incurreret pia temporis acti recordatio.

Principio, quod ad Pollionem attinet, nihil aliud agit Poeta, nisi ut vaticinantis specie revocet aureas illas mundi origines, et felicissima ineuntis ætatis somnia. Nihil ibi novi, nihil inauditi proponitur, quod expectatione erigat mentes hominum: memorato modo nascentium sæculorum ordine, properatur illico ad regna Saturnia, atque ad decantatas pristini orbis delicias [k].

> Molli paullatim flavescet campus arista,
> Incultisque rubens pendebit sentibus uva,
> Et duræ quercus sudabunt roscida mella.

Animadvertite porro, quam sedulo, occasione arrepta, mentionem heroum injiciat, orbe videlicet nondum penitus pacato [l].

> Alter erit tum Tiphys, et altera quæ vehat Argo
> Delectos heroas: erunt etiam altera bella,
> Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.

Etiam pleno jam tempore, non sine vatibus antiquis digne rem cani posse significat: Linum utique atque Orphea lubens nominat, honoris causa, fingitque eos a se in certamen provocari Poeseos.

[k] *Ecl.* 4. 28. [l] *Ibid.* 34.

Itaque etsi versari videatur universum carmen in spe futuri, poni tamen cernitis præcipuam ejus dulcedinem in tenerrimo pristinarum rerum desiderio. Taceo, si quid divinius ac sanctius (quod credo equidem) adhæret istis auguriis: cujus ea certe vis foret, ut obscuro quodam antiquitatis sapore commendaret sese vetusti temporis amatori, quamvis Hebræorum oracula nescienti.

Deinde quod ominibus et vaticiniis mirifice delectari aiunt Virgilium, animadvertatis velim, quo referatur apud eum omne id genus. Nihil aliud prædicunt videlicet Anchises, Sibylla, cæteri, quam "Romanos rerum dominos, gentemque togatam:" exceptis autem Cæsaribus, Julio et Augusto, nescio an neminem eximie collaudent, præter eos, qui Scriptoris ipsius tempore pervetusti habebantur. Unum atque alterum recentiorum nomine tenus appellat, sed cum amore et studio moratur in regum Albanorum serie, in Romulis et Tarquiniis, cæterisque, qui ad fabulosum pæne sæculum pertinent. Ita factum est, ut in ipsa vaticinatione præteriti temporis studium declaraverit.

Quare illud quidem fixum ratumque esto, Virgilianam Poesin desiderio semper revocari in pristini mundi memoriam, atque in vitæ initia. Jam, quid in his commune sit cum Platonicis sermonibus, exponam. Diximus nimirum, severiorem Lucretii Musam quasi proprias sibi expetiisse delicias, si quid habet Natura arcani, obscuri, infiniti. Nunc videndum, an Virgiliana quoque suo minime careant *μυστηρίῳ*. Etenim qui velit acutius indagare causas propensæ in antiqua sæcula voluntatis, mirum ni conjectura incidat aliquando in commentum illud Pythagoræ, docentis, animarum nostrarum non tum

fieri initium, cum in hoc mundo nascimur: immo ex ignota quadam regione venire eas in sua quamque corpora; neque tam penitus Lethæo potu imbui, quin permanet quasi quidam anteactæ ætatis sapor; hunc autem excitari identidem, et nescio quo sensu percipi, tacito quidem illo et obscuro, sed percipi tamen. Atque hac ferme sententia extat summi hac memoria Poetæ nobilissimum carmen: nempe non aliam ob causam tangi pueritiæ recordationem exquisita illa ac pervagata dulcedine, quam propter debilem quendam prioris ævi, Deique propioris sensum [m].

Quamvis autem hanc opinionem vix ferat divinæ philosophiæ ratio, fatemur tamen eam eatenus ad verum accedere, qua sanctum aliquod et grave tribuit memoriæ et caritati puerilium annorum. Nosmet certe infantes novimus quam prope tetigerit Divina benignitas: quis porro scit, an omnis illa temporis anteacti dulcedo habeat quandam significationem Illius Præsentiæ? Verum hæc semel tetigisse sufficiat; fusius præsertim ab illo Scriptore explicata, qui sententiam eam primus, quod sciam, in lucem edidit [n]. Liceat tantum pauca de multis proferre, in Latinum sermonem quocunque modo versa [o].

"Quoniam," inquit, "aderat Deus, nobis bene erat, nescientibus tamen ipsis . . . Accepimus ignari: longo deinde post tempore, venit in mentem quasi augurium de tota ejus rei ratione. Hinc mira illa dulcedo: hinc non sine tenero quodam lumine redeunt in memoriam præteriti dies: immo vulgus et turba, ut ita dicam, inutilium annorum, quæque vitæ tempora inertia plane erant visa, eadem jam quiete ipsa

[m] Wordsworth, *Works*, iv. 275. ed. 1820. [n] Newman, *Parochial Sermons*, iv. 17. [o] *Ibid.* p. 298.

et stabili cursu collucent. . . . Hac mente solent homines pueritiam præsertim respicere suam, siqua forte ejus imago solito vehementius commoverit animos. Aderunt reliquiæ, aderit quædam quasi tessera verni illius temporis: erunt loci, libri, odores, verba, voces, quibus revocentur initia sanctissimæ philosophiæ. Tum demum id agnovere, quod ipso tempore effugerat oculos; DEUM adfuisse, DEUM sibi fecisse illa otia."

Neque vero id nihil pertinebit ad vernas hasce delicias, quod partim verborum singulorum delectu, partim exquisito quodam et multiplici picturæ genere, fecit interdum Virgilius, ut intelligeres, altius insedisse rem aliquam in ejus animo: credo propter puerilis ævi memoriam, quacum fortasse res ea foret conjunctior. Quo in genere habendum esse dixerim (ut pauca nominem, quæ prima legenti occurrerint) illud de equorum incessu[p],

> Insultare solo, et gressus *glomerare* superbos.

Felicius veriusque illud *glomerare*, quam quod facile in mentem veniat alicui, nisi qui longo usu et plane puerili assueverit eorum quasi moribus.

Est etiam quod mirifice adumbret venti cursum, stabili quodam impetu[q].

> Ille volat, simul arva fuga, simul æquora *verrens*.

Sed enim omnis illa similitudo plurima habet in eodem censu præclara.

> Qualis, Hyperboreos Aquilo cum *densus* ab oris
> *Incubuit*, Scythiæque hyemes atque arida differt
> Nubila: tum segetes altæ campique *natantes*
> Lenibus *horrescunt* flabris, *summæque sonorem*
> Dant sylvæ, lôngique urgent ad litora fluctus.

Versabatur videlicet una sola res ante oculos Poetæ, cum ista scriberet: spirante Borea, referre cultos

p *Georg.* 3. 117.   q *Ibid.* 201.

agros non dubiam similitudinem agitati æquoris: quali specie puerilis ætas vel præcipue capi solet.

Proferam et alia, quæ semel visa crediderim altius insedisse in animo ejus: *bibit* videlicet ingens arcus: *pendent* capellæ procul dumosa de rupe: *libant* apes flumina summa;

Saltus reficit jam roscida Luna.

Atque horum quidem vis universa ponitur in uno alteroque verbo; sunt etiam non pauca, quæ non tam singulis verbis delectant, quam exquisito raroque concursu plurimarum rerum, eodem quodammodo spectantium. Ut ipsa omittamus carmina, meminerint modo velim homines vel apum stationis, qualis describitur initio quarti Georgicorum: vel umbrosæ vallis, qua deduci jubet, æstibus mediis, armenta et greges: vel portus illius in prima Æneide, antrique, Nympharum domus, cum scopulis suis pendentibus. Hæc et complura ejusmodi ita comparata esse dixerim, ut in singulis placuerit sibi Scriptor specie quadam familiaris carique loci.

Jam autem ad alteram properemus Socraticæ familiæ notam, eamque certissimam. Nam cum apud Lucretium vix semel atque iterum fiat mentio Panis, Nympharum, Veneris, Virgilium scitis omni tempore et loco cum amore et studio in ea versari materie: qui peregrinanti primum Æneæ terra marique sic comites addidit Deos, ut nunquam penitus abesse eos intelligeres, modo pro rerum ac temporum ratione nunc celare se, nunc coram in oculos prodire. Ecquid aliud sonant illa [r],

Avertens rosea cervice refulsit......
Et vera incessu patuit Dea?

Deinde post paullo,

Obscuro gradientes aere sepsit,
Et multo nebulæ circum Dea fudit amictu.

[r] *Æn.* I. 402.

Quæ prius etiam se, flagrante jam Troja,

Non ante oculis tam clara, videndam
Obtulit, et pura per noctem luce refulsit,
Alma parens, confessa Deam, qualisque videri
Cælicolis, et quanta solet.

Verum quid moror in re manifesta? plena est Æneis ejusmodi significationibus. Non dico, sylvas apud eum et litora frequentari Nymphis ludentibus, aliisque id genus Divis, quos minorum vocabant gentium. Nam illud quidem Epicuri commentis non adeo fortasse repugnabat: qui ex sanctis Deorum suorum corporibus minime negabat manare simulacra quædam, quæ hominum sensus interdum ferirent. Sed Numina hæc Virgiliana mortalibus se ultro addunt, non comites modo, verum etiam curarum et operis cujusque participes. In eo versantur, ut absque se nihil sinant sive atrox seu præclarum vel agere vel pati homines. Immo quod ad Manes præsertim attinet, circumdedit eos Virgilius humanæ vitæ, velut proximos quosdam custodes: cum non obscure doceat, repræsentari eos, et adesse quodammodo, proficiscenti cuique per densa et profunda loca[s]:

Ibant obscuri sola sub nocte per umbram,
Perque domos Ditis vacuas, et inania regna;
Quale per incertam Lunam sub luce maligna
Est iter in sylvis, ubi cælum condidit umbra
Jupiter, et rebus nox abstulit atra colorem.

Habet etiam illud Poeta Pythagoricæ religionis proprium, quod animalibus etiam ratione carentibus tribuit interdum (ut ipsius utar verbis)

partem divinæ mentis, et haustus
Ætherios.

Taceo hic de apibus; sed velim consideretis, an tale aliquid lateat, ubi avium catervas profert Poeta, velut ad umbrarum similitudinem[t].

Umbræ ibant tenues simulacraque luce carentum,

[s] *Æn.* 6. 268. [t] *Georg.* 4. 472.

> Quam multa in sylvas avium se millia condunt,
> Vesper ubi, aut hybernus agit de montibus imber.

Ad numerum modo explicandum vix opus erat ista similitudo: sed quidni eam ideo adhibuerit Poeta, quod assiduo jam usu didicerat illud Platonis, "Omnia, quæ in hac vita adsunt, meditationem quandam mortis afferre sapientibus?"

Alia certe minime sunt dubia, siqua Deorum jussa interpretantur sive aves seu cætera animalia. Res ipsa debetur religionibus ejus temporis; scriptoris est, commorari in ea cum præcipua quadam voluptate. Nescio autem, an nusquam magis sibi placere videatur Virgilius, quam ubi canenda sunt illa oracula. Æneæ, verbi causa, subito visæ commonstrant aureum ramum columbæ geminæ[n].

> Ipsa sub ora viri cælo venere volantes,
> Et viridi sedere solo . . .
> Pascentes illæ tantum prodire volando
> Quantum acie possent oculi servare sequentum.

Post paullo,

> Tollunt se celeres, liquidumque per aera lapsæ
> Sedibus optatis geminæ super arbore sidunt,
> Discolor unde auri per ramos aura refulsit.

Nihil aut pulchrius aut veri, credo, propius, quod ad mores spectat et speciem ejus avis: illud vero omnium et pulcherrimum, et ex ejus philosophiæ lege verissimum, quod *maternæ* erant aves; itaque ita liberæ volitabant, ut instinctu divino minime carerent.

Jam, sicut hic par columbarum, sic in Laocoonte illud alterum draconum par optime declarat, qua mente, quibus oculis aspexerit Virgilius omne genus animantium. Hinc noxia et acerba omnia, et ad severitatem, ut nihil magis, comparata: illinc dulcia

[n] *Æn.* 6. 191.

et composita, tenerrimo tum motu tum voce: sed utrinque adesse significat vim plusquam mortalium. Utrique, si animadvertitis, erant gemini; qua una maxime re converterentur mentes hominum, et ad expectationem erigerentur, ne forte crederent, casu rem tantam evenire. Sed de Laocoonte multa multi, quibus repetendis hodie supersedeo. Unum illud monere liceat: ut concedamus scripsisse Virgilium ab egregia statua edoctum, multis tamen punctis superari a Poeta sculptorem; seu verius fortasse dicam, ab arte artem: cum hæc acerrimum modo doloris sensum potuerit exprimere, illa universæ rei infuderit obscurum quendam horrorem, Deique nescio cujus, irati certe et præsentis, augurium.

Quoniam autem incidimus in draconum mentionem, religio foret prætereunti alterum illum anguem, innoxio placidoque lapsu, libantem dapes ad tumulum Anchisæ, deinde ipsi tumulo succedentem. Quo conspecto, Æneas[x]

> magis inceptos genitori instaurat honores,
> Incertus, Geniumne loci, Famulumve parentis
> Esse putet.

Ecquis non hic Platonem sentiat? cum non modo loci sed hominis quoque nominet Poeta Genium seu tutorem, eundemque post mortem sanctis bonisque viris, qualis erat Anchises, significat fore Famulum; seu Dæmonem potius cum Socrate appellare velis.

Quid, quod Naturam ipsam facit aliquando cum hominibus sentire? quod apud eum externa hæc rerum facies mirifice solet respondere cogitationibus intimis? Quid velim, doceant elegantissimi versus, quibus ad Italiam primo deducitur Æneas. Sit venia,

[x] *Æn.* 5. 94.

longius rem repetenti, cum vix alia ratione constare possit ejus ratio[y].

> Provehimur pelago vicina Ceraunia juxta,
> Unde iter Italiam, cursusque brevissimus undis:
> Sol ruit interea, et montes umbrantur opaci.
> Sternimur optatæ gremio telluris ad undam,
> Sortiti remos, passimque in littore sicco
> Corpora curamus: fessos sopor irrigat artus.
> Necdum orbem medium Nox horis acta subibat;
> Haud segnis strato surgit Palinurus, et omnes
> Explorat ventos, atque auribus aera captat:
> Sidera cuncta notat tacito labentia cælo,
> Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones,
> Armatumque auro circumspicit Oriona.
> Postquam cuncta videt cælo constare sereno,
> Dat clarum e puppi signum; nos castra movemus,
> Tentamusque viam, et velorum pandimus alas.
> Jamque rubescebat stellis Aurora fugatis,
> Cum procul obscuros colles, humilemque videmus
> Italiam.

En vobis iter nocturnum, non sola, ni fallor, tranquillitate, sed etiam majestate quadam insigne: quali fortasse deduci decuit ad suas sedes eam coloniam, cui fatis deberetur totius orbis imperium. Profecto non male conveniebat cum istis ominibus Orion ille armatus auro, siderumque prospectus tacito cælo labentium, qui augurio sit omnibus stabilis et immotæ Fatorum de urbe Romana legis.

Poteram et illa afferre carmina, quæ primum in ipso Latio collocant Æneam, deinde ad Evandrum deducunt, cum magno pelagi quoque et litorum, immo fluvii, nemoris, aurarum, avium favore. Mitia, læta, amœna omnia, illi loco Scriptor adhibuit: non sine consilio, ut mihi quidem videtur. Ac magni, mihi credite, habendus est, tam in poesi quam in pictura, ille quasi consensus cæli, maris, terrarum, omnium denique quæ in aspectum cadunt, cum fortunis

y *Æn.* 3. 506.

animisque hominum: non modo pulchritudinis ergo, verum etiam propter significationem arcanæ et excelsæ philosophiæ.

Sed ad tertium illud pergamus Virgilii cum Platone sentientis indicium: nam manifestissimam sæpius adhibet εἰρωνείαν; nostis autem, quam vehementer pertineat ea res ad Socraticam indolem. Εἰρωνείαν dico illam, quæ primo ludentis speciem præ se ferat, quoties laudari opus sit vel studia et mores animantium, vel alia quævis, quorum caritatem dissimulare solent homines: quo de genere jamdiu satis multa sunt dicta. Sed videndum an altius debeat peti Virgilianæ dissimulationis ratio; quippe arctius conjuncta cum vero et germano pudore, cumque erudita, quam vocant, inscitia, quæ plurima semper se nescire et fateatur et ex animo sentiat. Inde sæpius effectum esse crediderim, ut nulla religione Virgilius, talis vir, imitatorum catervis se adjungeret. Fingit se videlicet unoquoque carmine canere aut Ascræum aliquid, aut Siculum, aut Homericum: cum pleraque tamen ita transtulerit, ut et propria reddiderit, et multis partibus meliora. Sed verecundia quadam et fallendi amore, maluit nihil ferme tanquam de suo tradere. Itaque Socraticæ indolis specimen edidit neque ambiguum neque injucundum. Ut ne mirere, præberi ab eo eandem modestiam in re quaque graviore; maxime, siquando agebatur arcanum ac divinum aliquod. Velut ubi tangit ultimas impiorum pœnas, ne interrogare quidem sinit Æneam de horrendo et atroci loco: nedum in eum intret, neve oculis lustret ejus secreta [z].

> Nulli fas casto sceleratum insistere limen. . . . .

[z] *Æn.* 6. 563.

> Inclusi pœnam expectant: ne quære doceri
> Quam pœnam, aut quæ forma viros fortunave mersit.

Videtisne, quo metu, quam religiosa formidine refugerit Poeta, simul ad ea ventum fuerit, quæ pleraque divinitus celari intellexerit? Æternitatis autem qui fuerit illi sensus, indicio sint ea quæ de mœnibus habet formidolosi illius carceris [a].

> Porta adversa, ingens, solidoque adamante columnæ,
> Vis ut nulla virum, non ipsi exscindere ferro
> Cælicolæ valeant.

Non quo ullos putaverit terminos poni Superorum potentiæ, sed indicare voluit, credo, vim ac rationem futuri temporis, immensi plane nullisque ne a Diis quidem limitibus circumscribendi: deinde significavit, cum eo prorsus æquari sceleratorum supplicia. Sententiam eam Platonicis cum primis convenire, intelliget qui volet adire vel Πολιτείαν ejus Philosophi, vel aureum illum librum qui Gorgias inscribitur. Sed nos hoc tempore non tam quærimus, quid de rebus ipsis senserint, quam quo pudore, qua reverentia, fuerit ad eas uterque aggressus. Novimus autem, nulla magis in materie periculum fieri illius pudoris, quam ubi de Inferis est disputandum, et de ultima omnium formidine: quo dignior sit omni laude Virgilius, qui pia quadam prudentia nihil ferme de suo addiderit antiquis de infando carcere auguriis, sed eadem modo ornaverit, quæ noverint omnes in vulgus tradi.

Verum ne in singulis moremur, illam ubique sententiam servat de religiosis et æternis rebus, quam ipse per Allegorian quandam de Sibylla vaticinante docuit. Nempe in proverbium fere abierunt folia ejus divinis carminibus inscripta, ventoque huc illuc vo-

[a] *Æn.* 6. 552.

litantia, nullo ordine. Ex illa autem fabula non alius, ut opinor, commodior elici poterit sensus, quam ut significaverit Scriptor, divinarum rerum scientiam eâ sola lege concedi mortalibus, ut ejus fragmenta modo quædam et reliquias hic illic possint colligere, vento videlicet atque æstu quotidianæ hujus vitæ misere turbatas, sparsasque in omnia loca. Quinetiam illud non obscure indicat, non aliud futurum huic malo remedium, neque ullo tempore fore ut in ordinem atque in usus hominum cogi possint ista oracula, nisi si quis utatur assidua et intenta prece. Venerat videlicet Æneas ad limen adyti: tum sacerdos [b],

> Cessas in vota precesque,
> Tros, ait, Ænea, cessas? neque enim ante dehiscent
> Attonitæ magna ora domus.

Deinde, precatione facta, funduntur oracula.

Quapropter, Academici, cum Virgilius noster omnibus carminibus præ se ferat Deorum reverentiam, immortalitatis spem, illam denique de virtute opinionem quæ natura eam putet sanciri, non lege sola: cumque præterea ipsius indoles proxime accesserit ad illa Platonica, quod primo delicias suas posuerit in memoria maxime rerum præteritarum; deinde omni tempore ac loco libens agnoverit vestigia quædam majora humanis; postremo non sine pia prudentique verecundia res præsertim sacras tra-taverit: quid restat, nisi ut summum Poetam læti ac lubentes eorum numero adscribamus, qui ex animo, non specie sola, pietatem, qualem noverint, tueri velint? Ea vero res quanti fuerit etiam ad divinam hanc, qua nos hodie fruimur, disciplinam, alio et ultimo sermone, ut potero, expediam.

[b] *Æn.* 6. 51.

PRÆLECTIO QUADRAGESIMA.

Afferuntur causæ, cur in Virgilio series nostra Primariorum desinat. Disceptantur pauca de Horatio. Multum valuisse apud posteros Virgilium, præsertim Christianos, in hunc usque diem: non sine Numinis consilio. Porro Poeticam omnem Veritati Sacræ quasi quædam præludia dari; Prophetas Hebræis, Poetas Gentibus. Quid de ea re senserint Sancti Patres. Ponitur exemplum e recentioribus. Denique multis rationibus arguitur, Poeticæ cum Theologia, magnam partem, communia fore et vitia et remedia.

QUOD usu solet illis venire, qui præclarum ac magnum aliquod imparibus sunt aggressi viribus, nempe ut rem fateantur longe aliam sibi cessisse, atque ipsi speraverant; cum et ampla sæpius jejune se tractasse sentiant, et pulchra invenuste, et grandia humiliter: id equidem ita concedi velim, ut finitis jam laboribus in eadem tamen sim sententia de summa rei poeticæ. Non quo putem, ulla ex parte tangi a nobis genus ipsum formamque divinæ artis: video me laborasse modo in minuto quodam angulo latissimæ provinciæ, neque Poesin ipsam docuisse, sed potius indicia quædam et adjuncta Poeseos. Nam postquam intellexeram, Poetica vocari, sive in communi vita, sive in cæteris artibus quæ habentur ingenuæ, ea præsertim quæ fervidum ple-

numque animum per ambages quasdam declarent; quæ res maximo solatio esse soleat hominibus gravius paullo commotis: conjectura statim auguratus sum, fieri posse ut illa quoque, quam proprio nomine appellant Poeticam, utatur tali aliqua lege et formula. Ex quo effici videbam duo maxime Poetarum genera: nam partim, qui versus scribunt, subsidia quærunt æstuantibus quodammodo animis, liberumque, ut ita dicam, cursum: partim illos imitantur, qui istis aguntur stimulis. Deinde post indicia quædam, quorum ope cognosci possint Primarii Poetæ et *αὐτόχθονες*, accessimus ad singulorum carmina; eorum nempe, qui inter omnes nobilissimi semper sunt habiti; Homerica, Pindarica, Æschylea, tum siqui alii de veteribus in illo choro sibi locum meruerint. Quorum unumquemque, pro modulo nostro, suis notis ita descripsimus, ut in duos tamen ordines viderentur universi non male distribui: nam alii curas et negotia cecinerunt hominum, alii cæli terræque faciem; illi mobiles, hi quieti. Illos Græcia, hos (quod mirere) maximam partem tulit Latium. Denique illud penitus in omni disputatione servari visum est, non sine consilio plusquam humano tum viguisse tum decidisse, suo quodque ordine, genera Poeseos: illo inquam consilio, quod satis appareat nobis etiam intuentibus.

Jam quod Virgilio ultimam prorsus in illo cætu dicavimus operam, in causa fuerunt partim angustiæ temporis; maximam autem partem opinione augurabar, fore ut ab istius carminibus optime transirent homines in sanctius aliquid ac divinius: neque enim non ratione quadam esse effectum, ut extremus ille Paganorum ex animi sui sententia, non e formula, versus caneret.

Hic autem vereor, ne omnes uno ore contendant nobiscum Horatii amatores, et paullo quidem acrius; eximentibus videlicet elegantissimum Poetam ex numero illorum, quos Primarios appellamus. Quod si in illiusmodi quæstione primas tenere debebit ea voluptas, quam capiunt, qui animi causa Poetarum scriptis operam dant; quis non lubens Flacco concedat aut summum locum aut summo certe proximum? festivissimo scilicet omnium, optimeque temperanti gravissima quæque cum risu et joco; non rustico illo et abnormi, sed qualis et virum liberalem plerumque deceat, et nemini non semel *admissus* (ut cum Persio loquar) *circum præcordia ludat.* Accedit, quod unicuique nostrum inest, credo, memoria non injucunda carminis alicujus Horatiani, vel unius certe et alterius versiculi, qui verborum quoque et syllabarum sono revocare possit puerilium annorum delicias, et si qua illi ætati præ cæteris placuerunt somnia, tum gravia tum amœna. Præterea (quod nescio an contra fiat in Poeseos majori parte) senescentes quodammodo magis sibi placent iterandis Horatii versiculis; fortasse propter eximiam, qua is pollet, morum vitæque humanæ notitiam: de qua judicium exstat hominis harum literarum peritissimi[a], Horatii epistolas nemini unquam fore cognitas, nisi qui prius longo usu, liberoque suæ mentis conatu, studioque, ad eundem locum cogitando accesserit, unde ipse opus suum prospexerit Horatius.

Quanquam autem et hæc concedam, et his majora, invitus tamen fateor, mihi nondum apparuisse proprium ullum ac præcipuum Horatianæ Poeseos fontem. Immo sic ab eo tangi suspicor omnia, ut in nulla una

[a] Davison's *Remains*, p. 437.

re cum affectu aliquo graviore maneat. Ruris quidem et rusticæ rei insigne aliquando præ se fert studium: ita tamen, ut semper intelligas versari eum ibi rusticantium potius quam ipsorum agrestium more; Romam sæpius cogitare; villulam suam Laresque fovere non tam ipsorum gratia, quam gratæ quietis, mundarum epularum, et si quæ id genus deliciæ præsto erant. Verbo dicam: id quod veritus erat in se ipso Virgilius, addiderat hic se nulla religione Epicureæ cuidam familiæ, neque aliam vivendi legem sibi proposuerat, quam ut dona præsentis horæ, qualiacunque tandem, lætus raperet. Neque, ut Lucretius, media voluptate angi se sentit, et obscuro quodam desiderio tanquam in immensum trahi. Quid quæritis? hilarior est homo, propiorque vulgo eorum qui Genio indulgent, quam ut caritate quadam absentium rerum duceretur, qui sensus, e nostra formula, præcipue Poeticus erat habendus.

Verum de Horatio sentiant quid velint homines. Illud utique erit in confesso omnibus, Virgilio potissimum Latinas literas, quæ post eum fuerunt, colorem suum formamque debere. Neque enim non ad illius exemplar composuit se quisquam omnium, qui inclinata jam Roma scripserunt vel Epica vel Pastoralia. Lucanum non excipio: qui licet spiritu et indole mirum quantum a Virgilio discrepet, at forma tamen et tenore narrandi, et ipsa sæpius verborum junctura et sonitu, dedita opera videtur eundem imitari.

Porro, quod majus, Virgilii potissimum scriptis imbutos fuisse legimus Quiritium juniores a prima usque pueritia. Sic Quintilianus, in tali re auctor omni exceptione major. "Optime[a]," inquit, "insti-

[a] Quint. I. 5.

tutum est, ut ab Homero atque Virgilio lectio inciperet; quanquam ad intelligendas eorum virtutes firmiore judicio opus esset." Hæc ille, ortus Hispania, Romæ agens, regnante, ut videtur, Domitiano. Succedat alter ab Africa testis, diverso longe et sæculo et disciplina, Beatus Augustinus: qui tamen idem prorsus docet de primitiis puerilis doctrinæ legendis e Virgiliano volumine. Nam e compluribus ejus scriptis, maxime autem e commentariis, quæ de vita sua edidit, Virgilium novimus illo quoque loco ac tempore ita fuisse pueris erudiendis adhibitum, ut insederit ejus quidam sapor in ipsis quasi medullis et intimo pectore ingeniosi cujusque adolescentis. Narrat videlicet Augustinus[b], sibi puero placuisse præ cæteris pensis Virgilianam de Ænea narrationem: atque ita narrat, ut facile intelligas, penitus animo suo defigi non insuavem ejus lectionis memoriam, tum etiam, cum maxime pudeat pigeatque illius temporis ineptiarum. Præterea cum delectatione quadam solet excitare quasi testes Virgilii versus, quoties ille vel ignarus vaticinari videtur auream gentem, novumque sæculorum ordinem. Immo quodam in loco laudat Poetam Augustinus[c], palam et aperte dicentem[d], "Peritura regna," de rebus Romanis, idque ex sua ipsius persona; qui cum prædicanda erat arrogantissimæ urbis æternitas, non ipse locutus erat, sed Jovem Lapidem induxerat loquentem[e]:

His ego nec metas rerum nec tempora pono,
Imperium sine fine dedi.

Lætus lubensque in eo commoratur, siquid a dilecto scriptore exciderit, quod proprius videatur abesse a nostra philosophia.

[b] *Conf.* i. 20—22. [c] *Serm.* 136. 10. t. v. 380. Antwerp. 1700.
[d] *Georg.* 2. 498. [e] *Æn.* 1. 278.

Ex uno hoc intelligi potest, quas partes obtinuerit Virgilius in eorum quoque indole informanda, quos ipsa instituebat Ecclesia: nedum de iis dubites, qui nondum dederant illi nomina; qualis erat Augustinus ipse, ad medium usque vitæ tempus. Etenim siqui cum Hieronymo severiores erant in vetustorum literas, senserunt tamen, sine Virgilio nequaquam erudiri posse ingenuorum filios. Queritur ille[f], "sacerdotes quosdam Dei, omissis Evangeliis et Prophetis, Comœdias legere, amatoria Bucolicorum versuum verba canere, tenere Virgilium, et id quod in pueris necessitatis est, crimen in se facere voluptatis." Videtisne, ejus certe judicio, fuisse rem illo tempore prorsus necessariam?

Quod si Platoni merito tribuimus propriam illam ac præcipuam laudem, ex illius potissimum scriptis hausisse Græcos homines illam doctrinam, quæ viam quodammodo sterneret incorruptæ Veritati:—cujus rei specimen habemus idoneum sane præ cæteris, Justinum Martyrem:—quidni credimus, adfuisse eandem vim Virgilii quoque carminibus, Platonica docentis? nempe ut Latinorum suorum animos imbueret obscuro quodam sensu melioris Naturæ, Verique de cælo venturi. Atque eo plus valiturus erat Virgilius, quo et poeticis uteretur deliciis, et in manus omnibus e tenero, quod aiunt, ungue traderetur. Quare facilius credituri erant tum vivere posse post mortem animas, tum ad Deum aliquando redire, prius purgatas, nisi forte occurrat et obstet ipsorum immane quoddam nefas, et pertinax in peccando animus. Deinde, quod erat instar omnium, tam e Virgilio quam e Platone didicerunt, qui quidem erant indole paullo celsiore, proxime abesse a nobis Divinum aliquid, signisque

[f] S. Hier. *ad Damasum. Ep.* 21. 13. t. i. 76. Venet. 1766.

minime dubiis se indicare, vel in hoc quoque humili brevissimæ vitæ curriculo: proinde cum pudore et metu ab omnibus vivendum esse, tanquam in ipso vestibulo sanctioris cujusdam adyti.

Atque hæc ita velim intelligi, ut nullam tamen auctoritatem concedi dicam a majoribus nostris neque Poetarum alicui neque Philosophorum. Negamus plane, nimio literarum amore corrupisse homines Veritatem, cælitus sibi commissam. Immo palam et aperte facessere jubent Ethnicos, quod attinet ad opinionum commenta: iidem vero minime negant, extare apud eos permulta naturæ judicia, quorum ipsi longo usu fuerint imbuti, ac tacite præparati ad sapientiam concipiendam.

Quin et posteris quoque temporibus multo in honore habitum fuisse Virgilium, ut in ævo simplici et indocto, significant vel ea, quæ de magica ejus vi ac solertia toties perhibentur. Nempe non alia magis in materie sibi placuerunt, qui tum narrabant fabulas; plane sicut in Oriente Salomonis nomen vigere vel hodie in ejusmodi commentis ferunt. Profecto satis erat consentaneum, qui Orphea quadam arte potuerint flectere doctorum animos, illorum nomina apud indoctos magicis quibusdam sacris implicari. Siqui autem vel illo sæculo, quod proprio nomine appellatur *obscurum*, vel postea, literis viguerunt;—qui primo quidem pauciores fuerunt, post millesimum a CHRISTO annum frequentiores;—apud illos certe omnes unice ferme dominatus est Virgilius. Illum admirantur: eximia quæque ab illius scriptis recitare amant: illi præ choro universo Ethnicorum absque controversia primum tribuunt locum. Quid quod laudatissimus ille Dantes, primarius non solum Poeta verum etiam Theologus, Maronem potissimum ele-

git, quem ducem sibi adhiberet per arcana et infima loca? Num parum aperte profitetur, eum ex antiquis omnibus, quos quidem noverit illa ætas, optime munire viam, veritatem indagantibus? Neque enim credibile est, Poeticam vim ac dulcedinem fuisse solam in causa tam gravi scriptori, cur in tali re subsidio ejus uteretur. Immo vero Platonica Virgilii, mihi credite, somnia, obscuraque de Diis Manibus et de statu mortuorum auguria, insederant altius in ipsis præcordiis magni ac præclari viri; neque ullo modo sibi temperare potuit, quin Virgilium judicaret divinitus quodammodo dari hominibus, qui aditum pararet ingenuo cuique ad veram solidamque pietatem.

Quid? posteriores quique Poetæ, qui vel apud Italos vel apud nos egregiam sibi laudem meruerunt, cum prius Latinis literis imbuti fuissent; quales erant, verbi gratia, hic Spenserus noster, illic Torquatus Tassus: nonne ita plerique scripserunt, ut singulis ferme paginis Maronem sibi sumerent magistrum? Nonne magnam partem ex illis dimanavit ad has recentiores Poetarum familias Virgilianus quidam sapor, et religiosa nescio quæ Naturæ ejusque deliciarum æstimatio? qua scilicet, ut suos Quirites vindicaverat ante ab immani illa et bellicosa feritate, sic nostros homines a *κακοζηλίᾳ*, quæ vocatur, vindicaret, neque ingenium judicio carere, et specie boni falli sineret.

"At enim iidem si cum veteribus componuntur, longe plerique impares evaserunt." Quis neget? tum propter imitandi genus, quo ipso frigere solet manus alioqui non penitus inepta; tum ob commercia literarum ingenuarum longius in omne genus hominum diffusa, nemine scilicet, uti nunc res se habet, non vocato in liberrimam earum artium communionem,

quæ ad humanitatem pertinent. Ex quo efficitur, complures esse, qui se delectent specie quadam inani voluptatis agricolarum, immo cum Poeta pastorale aliquid canente penitus se sentire fingant, ac teneriore esse animo, quoties agatur sive de miraculis mundi, sive de ruris ac Naturæ deliciis: cum re tamen ac veritate discedant potius in omnia alia. Quemadmodum ferme fieri videmus in re divina ac sacrosancta. Postquam semel opinioni alicui afflaverit aura quædam popularis gratiæ, accedere statim imitatorum vulgus, cantare quisque cantilenam suam frigidam, non ex animo, sed ex edicto et formula. Quod si istorum tumultus minime ferunt piæ gravesque animæ, intelligimus etiam in Poesi, quanto sit periculo vel optimum genus, ubi jam placuerit turbæ ac vulgo hominum; quantaque laus illi debeatur, qui unus omnium maxime, exemplo suo et carminum suorum tenore, perniciem illam pestemque mitigaverit.

Ne autem in solo commoremur Virgilio, sed potius rem omnem a primis repetamus initiis; quidni sit credibile, Poesin universam a D. O. M. dari, velut rudimenta quædam, et præludia, ut ita dicam, germanæ pietatis? cum partim doceant plerumque annales veterum, raro in melius mutatam fuisse rerum divinarum rationem, ni præcessisset melior quidam et sanctior Poetarum ordo; partim vi sua et indole vera Religio mirandum in modum cum vera Poesi conveniat.

Principio (id quod ita quæri velim, ut in re omnium religiosissima, cum summo, pudore ac metu), quid si Divino consilio fuerit Hebræarum quoque literarum is ferme cursus ac tenor, ut longa vatum

carminumque serie prius fingerentur hominum animi ad ventura sapientiæ et bonitatis incrementa? Omnino miretur aliquis, tantas Poeticæ tribui partes in Divinis sanctisque Libris. Quippe carmine, ni fallor, conceptum est dimidium ferme totius sacrosancti Voluminis. Etiam illa, quæ numeris carent, Poeticum quendam præ se ferunt saporem; sive narrent fortunas et facta priscorum, agrestium præsertim, et simplici vivendi genere utentium; sive in arcanis versentur victimarum, epularum, dierum notis, cæterisque quæ ad Legem Mosaicam pertinent. Utraque videlicet in materie semper se delectarunt ii, qui Musarum amicissimi habebantur. Ex quo satis intelligitur, cognationem aliquam intercedere earum rerum, quas adhiberi voluit DEUS ad apparatum Evangelii sui, cum indole illorum maxime hominum, quos honoris causa vel Poetas appellant vel Poetarum certe alumnos. Neque id immerito; quoniam, credo, utrobique id præcipuum et proprium est, ut mens desiderio semper in ulteriora quædam feratur: ut spe meliora arripiat, omissis iis, quæ coram ante oculos adsunt. Nam et Judæi semper intelligebant, prospiciendum sibi esse ad majorem rerum ordinem; et in universa Poesi, qui nequeunt monstrare, sentiunt tamen tacitam aliquam significationem imperfectæ spei, quasi per totam vitam "pendeant" sibi "opera interrupta," diviniora quam quæ ipsi facile capiant. Quocirca non uno modo crediderim Hebræorum Vates apparasse suis iter ad seram illam sanctamque Veritatem. Præter enim ea quæ verbis aperte docebant, expectatione quadam sua gentem imbuerunt universam, atque ad divinandum impulerunt, vel sono illo Poetarum proprio, quem semper oraculis suis adhibebant.

Quod si Judæorum animos ad veritatem recipien-

dam tacite flexit Prophetarum lectio: credibile est, alteram quoque partem eorum, qui primi CHRISTO nomina dederunt, minime caruisse proprio subsidio, ne crudis penitus et imparatis acerbior occurreret sapor ille cælestis doctrinæ. Quare perplacet eorum ratio, quibus videntur Græcæ Latinæque literæ simili ferme fungi officio, quod ad illas gentes attinet, atque oracula Prophetarum, quod ad Hebræos. Vidistis autem, in eam nos nescio quomodo devenisse sententiam, cum Virgiliana præsertim tractaremus. Eandem vero latius patere, atque in universa quadrare veterum literarum monumenta, docet maxima pars eorum, qui studiis doctrinæ, Ecclesia nascente, viguerunt. Solent videlicet illam doctrinam componere cum Ægyptiorum gazis, et pretiosa supellectili, quæ postquam divino jussu in prædam cesserat Hebræis, paratior erat inops multitudo ad domum Dei digne ornandam. Immo non dubitat egregius quidam utriusque disciplinæ antistes, Philosophiam apertis verbis sic componere cum Lege Mosaica, quasi qui intelligat, ambabus idem ferme officium a Benigno Numine tribui[g]. "Sicut enim," inquit, "suo tempore venerunt ea, quæ hodie prædicantur, ita singulis suo tempore præstita sunt dona; Barbaris, quos appellant, cum Lege Prophetarum chorus, Græcis Philosophia, quæ aures paullatim ad Evangelium exerceret." Deinde post paullo[h], "Judæorum," inquit, "Lex erat, Hellenicorum Philosophia, usque ad magnum Illum adventum: deinceps una omnium invitatio." Quid multa? solet idem in hac materie liberius usurpare, nulla religione, siqua vocabula, consensu omnium, proprie ponuntur in sanc-

[g] S. Clem. Alex. *Strom.* 6. 44. [h] *Ibid.* 159.

tissimis rebus. Nam et *Testamenti*[i] loco dicit donatam fuisse veteribus Græcis Philosophiam; et per eam *justificari*[k] quodammodo potuisse, qui CHRISTO nondum cognito mortem obierant; et *Prophetas*[l] appellare audet, quicunque in sanctius aliquid civium suorum animos erigebant, quales erant Socrates, Plato, Pythagoras; quos omnes ait Græcorum causa a DEO fuisse adhibitos, qui ipsorum lingua vaticinarentur. Atque hujus quidem sententiæ gravissimum præ se fert auctorem, Illum videlicet, qui Epimenidem nominaverat *ἴδιον Κρητῶν προφητήν*.

"At enim fuerunt præclaro nomine Scriptores, qui profanas execrarentur literas; Poesin omnem, velut vinum Dæmonum[m], e castis Ecclesiæ finibus arcerent; Homerica etiam et Pindarica malignis Geniis referrent accepta." Fateor: sed videte, quæso, an iidem plerique innumera decerpserint, pro re ac tempore, de scriptis Gentilium: an ipsi aliquando legenda ea sacerdotibus commendaverint: an Dæmonibus ita tribuant, ut fateantur, effingi divinitus universas ferme id genus fabulas ad umbram ac similitudinem sanctæ veritatis. Verbo dicam: non aliter, ut opinor, proscripserunt illas literas Ecclesiæ magistri, atque olim Poesin omnem relegaverat e Republica sua scriptor omnium Ὁμηρικώτατος. Sentiebant in sua qualicunque civitate permagnam fore divinæ artis vim: illud viris equisque, ut dicitur, agebant, ut ne in deterius ea verteret, neve umbræ et imaginis studio, id quod in Judæis fieri videbant, ab ipsa re ac veritate averterentur animi. Itaque per eos maneat licet, instrumentum illud omne poe-

[i] S. Clem. Alex. *Strom.* 6. 67. [k] *Ibid.* 1. 99. [l] *Ibid.* 1. 59.
[m] Vid. Bacon. *de Augm. Scient.* 7. 3. Oper. 7. 371. Lond. 1803.

tarum et carminum, quo se tantopere jactabant tam Latini quam Græci veteres, DEI consilio prospectum quendam habere in venturum rerum ordinem, inscientibus iis, qui carmina ipsa pangebant.

Quæ si vera sunt, probamus omnino majorum nostrorum rationem, qui tantas voluerunt esse partes veterum utriusque linguæ Poetarum in erudiendis adolescentibus. Ecquid aliud, obsecro, agebant, nisi ut Illius insisterent vestigiis, qui tot ante seculis imbui curavit ejusmodi lectione suorum quasi pueritiam? qui ut Judæis oracula Prophetarum, sic cæteris, alia quamvis ratione, dedit Homerica, Platonica, Virgiliana, velut inchoatam quandam sapientiam. Denique sic habetote: vehementer interesse sanctissimæ quoque Veritatis, servari morem illum qui ad hanc usque ætatem viguit in Academiis nostris, ut in manibus juvenum sint assidue tum priscorum Poetarum opera, tum Philosophorum etiam et Historicorum; qui omnes quasi Poetæ sunt habendi, ex ea certe parte, qua solent erigere animos, luce vel memoriæ vel cogitationis excelsæ.

Unum addam: ne nimium miretur aliquis, quî fiat, ut in ea doctrina, quacum conjuncta sint tot turpia tot inepta, nos officium tam grave et pæne religiosum ponamus; meminerit is velim (sit dicto venia) quam multa in Sacrosanctis quoque Libris legantur, mirifice ab iis dissidentia, quæ nos homunculi conjectura auguraremur. Quin statuimus, in tali argumento nihil ferme valere divinationes mortalium; omnia in Ejus poni arbitrio, qui causas rerum arcanas solus et novit et gubernat.

Sed redeamus ad propositum. Quoniam constat, probabili certe ratione, in re omnium maxima, qua una continetur salus humani generis, Poesin divinitus

fuisse adhibitam, quæ ipsi Veritati præiret viam, formaretque et fingeret animos ad meliora ediscenda; consentaneum erit, eadem lege gubernari minores etiam, ut ita dicam, provincias. Crediderim fore ut in singulis tum sæculis tum regionibus germana Poesis, tacito quodam testimonio, veram ac solidam Pietatem foveat. Nec facile invenias in ulla civitate, quæ quidem leges moresque habeat stabiles, mutari in gravius et sanctius rem sacram et religiosam, non ante mutato laudatorum carminum tenore. Nimirum, si ulla unquam ex parte fuerit labefactata religio, ea certe tenus erunt homines eadem conditione qua patres nostri, nondum ad DEUM conversi. Nihil ergo vetat eos eadem ratione ac via, novo videlicet Poetarum ordine, sensim ad meliora erigi.

Exempli gratia, (ut in domesticis maneam,) recordamini paulisper celeberrimam scriptorum familiam, qui apud nos viguerunt, Elisabethæ tempore. Nonne ea fuit vatum et carminum indoles, quæ ipsis, qui scribebant, ignaris, optime conveniret cum saniore de rebus divinis sententia, qualis erat in honore futura, regnante Carolo? Quid? Shaksperus ille noster, deliciæ omnium, maxime Anglorum adolescentium, nihilne putandus est egisse, qui toties ridicule, toties acriter invectus est in illa præsertim vitia, quæ proxima ætate illatura erant reipublicæ nostræ tam grave detrimentum? qui semper frui videtur aura quadam propria, et sibi quidem gratissima, quoties vapulant sive pietatem simulantes, sive regiam minuentes majestatem? Quid? Spenserum qui juvenes assidue in manibus cum amore et studio habuerant, quo tandem animo prælium erant inituri cum illo hoste, cui solenne fuerit omni convicio lacessere nunc regias fœminas, nunc sacrorum antistites?

Ut illud alterum taceam, cujus tamen haud minima vis fuerit necesse est, quod illi rem quamque metiebantur innato quodam honesti et decori sensu, hi cum Epicureis omnibus fructum aliquem quærebant, quem caperent oculi. Neque vero illud solum edocuerant nobilia carmina, odisse profanos, sed multo magis ad pietatem et religionem exercuerant animos; siquidem omnia, quæ oculis cernuntur, referre solet uterque scriptor ad cælestia et vera, sive ea versentur in scena et actione hominum, sive in pulcherrimo cæli ac terrarum aspectu: quod idem egit semper Ecclesia Catholica, suo tamen more, mystico quodam et excelso. Proinde ex hac quoque parte præiisse dixerim saniori de DEO sententiæ segetem illam egregiorum carminum.

Ac de re quidem ipsa satis: nunc aliquid de causis ejus addamus. Neque enim credibile est, absque arcana quadam necessitudine tam amice inter se conjuratura hæc duo, Poesin et Theologiam; neque operi nostro nobiliorem cumulum ullo modo poterimus imponere, quam si paucis exsequamur, quæ potissimum esse videatur communis utriusque ratio et indoles.

Atque hic, ut sæpius, recurrendum erit ad ipsa initia et fundamenta totius Poeticæ. Sic enim statuimus: divinam illam artem in eo præcipue poni, ut remediis quibusdam recreet ac reficiat plenos ac tumentes animos. Ex quo efficitur, ut quæque res vel altius insederit in hominum affectibus, vel diutius eos commoveat, ita fore majorem cuique cognitionem et communionem cum re Poetica. Jam autem partim res ipsa docet, partim fatentur ad unum omnes, quos credibile est attigisse primis modo labris sacrosanctam pietatem, nihil esse, quod

tam penitus compleat universum cor hominis, atque ad se quodammodo colligat, quam cogitationes eæ, quæ ad DEUM et ad immortalia pertinent sæcula: nusquam tanta imbecillitate laborare debilem hanc naturam mortalium, neque in alia ulla materia tam ægre et solicite circumspicere sibi undequaque remedia et exitus. Quare Religio læta ac lubens adhibebit singula, quibus utitur Poesis, adminicula; numerorum ordinem, flexum, varietatem; verba nunc composita, nunc incitata ac fervida; cætera omnia, quæ sentimus universi, monstrare possumus ne unus quidem alterque nostrum. Adhibebit, inquam, hæc omnia vera ac pia Religio, tum maxime, cum se deficere sentiet præ infinita rerum magnitudine: sive informentur rudes adhuc animæ inchoata quadam similitudine veritatis, ipsa nondum cognita; seu perfectiorum acuatur lingua, ne desint omnino verba ac voces, tanto beneficio non prorsus indignæ.

Porro ex hac communi quasi infirmitate oritur communis utriusque usus externi hujus mundi, rerumque omnium, qui sensus humanos quoquo modo feriunt. Mirabilem profecto ex hac parte præstant opem alterum alteri Pietatis et Musarum studia. Nam cum Religio petat, ut dicebam, undequaque, non verba modo, verum etiam si quid aliud verborum possit fungi officio, animique motus plenius efferat: ecquod ei subsidium excogites seu gratius sive opportunius, quam ut præsto adsit Poesis, quæ manu quasi ducat ad arcanos Naturæ sensus, præbeatque uberrimam similitudinum copiam, quarum ope pia mens medeatur quodammodo infantiæ suæ; multa tenerius, multa gravius, universa fortasse verius explicet, quam si careat isto auxilio? Contra si ex-

quirat aliquis, quonam maxime modo veniat "honor et nomen divinis vatibus atque Carminibus," is Religioni necesse erit vel primas in ea re partes tribuat. Nam postquam ea semel virgula, ut aiunt, divina regionem unamquamque Naturæ tetigerit, novo statim lumine, ac plane cælesti, imbui quæ prius profana esse videbantur: cum intelligant scilicet homines, varias rerum similitudines, aliasque id genus delicias, non in lusum modo dari ingenioso cuique, neque opinionum commentis debere adscribi; quin potius nutu quodam et indiciis non dubiis significari judicia Naturæ, an verius dicam, Illius, qui condidit Naturam. Ita factum est, ut magni et excellentes Poetæ Antistitum ferme loco essent, eorumque provincia haberetur tantum non religiosa et sancta. Verbo dicam, Poesis Religioni commodat signorum et similium copiam: Religio Poesi reddit eadem tanto jam splendore ornata, ut non solum ad signorum, verum etiam ad Sacramentorum (pæne dicam) numerum pertineant.

Magno præterea necessitudinis vinculo continentur inter se duo hæc genera, quod in utroque vel præcipue regnabit casta ac pia quædam verecundia. Nam et Naturam qui non temere imitantur, cum ea quædam celent necesse est; duntaxat ad hoc, ut tacito potius et æquabili quodam tenore ad omnes pulchritudinis gradus assurgant, quam subito, atque, ut aiunt Mathematici, per saltum; (quo ritu moveri solent qui in vulgi oculos incurrere non verentur:) et universa Pietatis ratio, prudentioris certe, ad illam dirigitur normam, quæ divinitus adhibetur in Sacrosanctis Literis, ut lateant plerumque optima quæque inertes et imparatos animos; tum demum sub luce videri velint, cum bene purgati sint intuentium

oculi. Utrinque adeo lege quadam sanxit Vis ea, quæ temperat omnia, ne cuiquam frui liceret pulcherrima illa forma et facie Veritatis, nisi qui prius eam ita adamavisset, ut diligentius indagandam putaverit. Ea vero lege qui se crevisse senserit a primis usque annis, cujusque in animo ea penitus insederit, is certe nunquam committet, ut sacra vel Naturæ vel Pietatis arcana divulget, nullo audientium discrimine. Malit is, credo, obscuritate peccari, quam dicenda tacenda promi : malit se ingenii laude, quam pudoris, carere.

Postremo tum in Poesi tum in Religione præcipuas semper sibi partes vindicabit sensus nescio qui tenerior et acrior rerum præteritarum, absentium, futurarum. Nam qui ex animo sive cantant, seu Deum orant, necesse est semper toto pectore cogitent pulchrius, majus, amabilius aliquid, quam quod oculis possit aspici. Habebit itaque vel ipsa cantantium disciplina quod ad orandum quodammodo flectat atque præparet animos: modo ne sit in carminibus quod aut pietatem lædat aut bonos mores.

Causas mihi videor dixisse satis jam multas, cur Poeseos cum Religione tanta, tam varia, sint commercia, ut facile credamus, illam non casu sed Numinis consilio sæpius fuisse adhibitam, quæ huic paulatim muniret ac sterneret viam. Sequitur porro, ea quæ solent religiones corrumpere, maximam partem responsura quodammodo corruptelis carminum et Poetarum. Nam versibus suis aut indigna laudant homines ; qui error similis esse videtur, atque eorum, qui pro Diis habent terrestres et perituras res : aut digna non ex animo laudant, sed more magis et exemplo ; quod genus in re sancta et religiosa

condemnari nostis turpissima omnium nota. Ὑποκριταὶ videlicet appellantur, translato de scena nomine: ex quo intelligas licet, ut hisce virtutis, ita nostris hominibus Poeseos umbram solam adesse, re ipsa remotissima.

Jam ubi vitiorum tanta est consensio, ibi videndum, an remedia etiam sint aliqua ex parte similia. Quo in loco illud præcipuum; Cavete putetis quidquam agi laudatione sola, re et actione prætermissa. Neque enim vates unquam erit egregius, qui non assidue versabitur in omni hac cæli ac terrarum pulchritudine, ea mente, ut omnia et singula ad eam partem convertat, quo tendat ipse semper amore et studio: neque in pietate et sanctitate proficiet, qui pios seu libros sive homines prosequetur admiratione quadam ignava, imitari negliget. Deinde in ea provincia, quam non invita Minerva semel sibi delegerit aliquis, fortis volo sit atque constans; neve huc illuc volitando vires ingenii profundat, amittat fructum; neve, quod maximum, impuris pura, pia nefariis maculato. Viderint hoc sibi, qui vel in vita viri sapientes, vel in scriptis evadere velint eximii Poetæ. Ad utrosque pariter pertinebit, quod dicitur, "Hoc age:" sit aliquid unum atque simplex, quod in oculis atque in animo omni tempore teneatis.

Sed in re pervagata fortasse nimii sumus et inepti. Ac vereor equidem ne in eam reprehensionem incurrerit maxima pars eorum, quæ disputavimus. Quare ut operi tandem universo fastigium qualecunque imponam, simul ne perorem sine bonis ominibus, votisque, (quod illum certe minime omnium deceat, quem vos et indignum tanto beneficio ornavistis, et eidem sustinendo imparem tulistis adeo leniter,) illud unice adolescentibus tradi ac commendari velim, Tum

demum cum Poetica bene agi, cum meminerunt ejus amatores, dono dari eam hominibus, quæ veræ Pietati inserviat, honestioris cujusdam ancillæ loco: itaque coli eam debere non verbis, sed re ac veritate, cum omni verecundia, constantia, castimonia. Ex his utique pendebit universa spes, quam hodie concipere audemus, fore aliquando ut major ille et excelsior Poeseos sonus, qui pluribus jam annis apud nos viguit, bonum eventum exitumque habeat, felicissimo incremento eorum studiorum, quæ proprie Divina appellantur. Faxit DEUS O. M. si quid tale forsitan Ipse decreverit, ne id culpa nostrum alicujus vel minima ex parte fiat irritum!

MONITUM DE PERSIS ÆSCHYLI.

POSTQUAM e manu exierat ea nostrarum chartarum pars[a], qua de Persarum fortunis ab Æschylo irrisis disputavimus, significavit mihi doctus quidam amicus, quem honoris causa, si liceret, nominarem, dubitare se aliquantum de judicio nostro. Cum autem non leviter ejus rationibus commotus essem, rogatus ipse pro sua humanitate concessit, ut in partem operis veniret ejus de ea quæstione Epistola. Ipsius itaque verba subjungimus, dignissima quæ ab omnibus expendantur, qui recte æstimare velint non Æschyli solius et Atheniensium rationem, sed omnium quoque vel scriptorum vel hominum, qui similes triumphos ullo tempore egerint. Rem ipsam in ancipiti linquimus, ne vel poetæ laudatissimo, vel nobili Persarum genti, quam proxime a suis Hebræis caram fortasse habuit Divina Majestas, iniquiores esse videamur.

"Non equidem is sum, qui sententiæ tuæ, quam de Persis Æschyleis tulisti, magnopere repugnare ausim. Verum id metuo, ne nimia severitate in istos criticos invectus sis, qui comici nonnihil per totum hujusce dramatis filum subesse autumant. Nemo, ut opinor, sanus existimabit, opus tam decorum, tam splendidum atque elaboratum, meris cachinnis et contumeliis et cæteræ ejusdem generis protervitati locum in scena dedisse. Sed quid vetat, Æschylum, post tantas res

[a] Præl. xvii. p. 301—306.

tam feliciter gestas, virili animo exultantem, et civibus suis gratulantem, hanc fabulam quasi *παιᾶνα σεμνὸν* scripsisse? Parum, me judice, a tali proposito abhorreret, si poeta impotentem illam et gloriosam barbarorum indolem, innumerasque multitudines, et luxum et divitias, spectaculi in modum inducere et irridere voluerit, dum Atossam, et Darium, et siquis alius inter Asiaticos virtutis specimen ediderit, honorifice, (ut generosi victores solent,) et non sine verecundia tractare dignatus sit. Non absimili fortasse affectu animi triumphorum pompas imperatores Romani ducere solebant; captivos reges subjectosque populos sub jugum mittentes, caventes autem, ne, hostibus nimium detrectando, rerum a se gestarum gloriam imminuerent.

"Mentionem quorundam in Persis locorum fecisti, quæ in hanc partem a criticis non satis bona cum causa adducta tibi esse videntur:—de quibus equidem non defutura existimaverim, quæ critici mecum sentientes tibi respondere possent. Sed hæc nihil moror, quum multa sint præterea per totam fabulam sparsim occurrentia, unde magis libenter argumenta protulerim. Quo tandem consilio Æschylum admisisse credendum est, ut in sermonibus quantumvis grandiloquis Persarum inesset tam sæpe importuna quædam mollities, nonnunquam haud obscura contemptus significatio? Cujusmodi sunt ista:

> *ἁ β ρ ο δ ι α ί τ ω ν δ' ἕπεται Λυδῶν*
> *ὄ χ λ ο ς* .... (v. 41.)
>
> .. *Βαβυλὼν δ'*
> *ἡ πολύχρυσος π ά μ μ ι κ τ ο ν ὄ χ λ ο ν*
> *πέμπει σ ύ ρ δ η ν* .... (v. 52.)
>
> *δόκιμος δ' οὔτις ὑποστὰς μεγάλῳ ῥεύματι φωτῶν.* (v. 87.)

Quis non hic Atheniensium sub Persica persona linguas potest agnoscere? Non sunt hæ loquelæ venerabilium senum, absentes suos exercitus bonis ominibus et spe felicis eventus prosequentium; sed illudit plane poeta in barbarorum hominum colluviem, contra quos una fortium virorum civitas libertatem Græciæ vindicavisset. Quum autem ad res gestas per Nuntium enarrandas ventum est, Atheniensium esse omnia, verba, sensus, spiritus, animorum motus, nemo tam rusticus est qui non videt. Fit pæne illud, quod apud comicos Parabasis vocatur.

> *ἐπεί γε μέντοι λευκόπωλος ἡμέρα*
> *πᾶσαν κάτεσχε γαῖαν εὐφεγγὴς ἰδεῖν,*
> *πρῶτον μὲν ἠχοῖ κέλαδος Ἑλλήνων πάρα*
> *μολπηδὸν εὐφήμησεν, ὄρθιον δ' ἅμα*
> *ἀντηλάλαξε νησιώτιδος πέτρας*
> *ἠχώ· φόβος δὲ πᾶσι βαρβάροις παρῆν*
> *γνώμης ἀποσφαλεῖσιν· οὐ γὰρ ὡς φυγῇ*
> *παιᾶν' ἐφύμνουν σεμνὸν Ἕλληνες τότε,*
> *ἀλλ' ἐς μάχην ὁρμῶντες εὐψύχῳ θράσει. κ. τ. λ.* (Pers. 386.)

"Ad hanc quæstionem recte solvendam multum pertinere mihi videntur ea, quæ plurimis hujus tragœdiæ locis poeta contra morem suum lusit in verborum et sonorum clausulis. Qualia sunt ista,

Ξέρξης μὲν ἤγαγεν, ποποῖ,
Ξέρξης δ' ἀπώλεσεν, τοτοῖ,
Ξέρξης δὲ πάντ' ἔπεσπε δυσφρόνως
βαρίδεσσι ποντίαις. (Pers. 550.)

Nemini non hic in mentem venerit faceti illius apud Aristophanem loci, in quo comicus, de gallo gallinaceo næniam contexens, quodcunque hujuscemodi habet Euripides naso suspendit:

ὁ δ' ἀνέπτατ' ἀνέπτατ' ἐς αἴθερα
κουφοτάταις πτερύγων ἀκμαῖς·
ἐμοὶ δ' ἄχε' ἄχεα κατέλιπε,
δάκρυα δάκρυά τ' ἀπ' ὀμμάτων
ἔβαλον ἔβαλον ἁ τλάμων. (Ran. 1352.)

Plurima sunt alia in verborum delectu et apparatu, ad liberorum hominum risus movendos, vel certe ad barbaram servilemque indolem monstrandam optime accommodata. Laudatus est, et merito quidem, a te locus, in quo Darii umbra ab inferis per Chorum excitatur. Vide autem, annon hic quoque Persarum regni custodes, regis Xerxis vicem gerentes, ita ex proposito loquantur, ut Atheniensibus per sua ipsorum verba ludibrio fiant.

ἦ ῥ' αἴει μου μακαρίτας ἰσοδαίμων βασιλεὺς
βάρβαρα σαφηνῆ
ἱέντος τὰ παναίολ' αἰ-
ανῆ δύσθροα βάγματα; (Pers. 633.)

Pulchra sunt, et verecundia plena, quæ post hæc proxime sequuntur:—quo tamen animorum sensu putas cives liberrimæ in Græcia civitatis fuisse affectos, quum de mortui Regis vere 'Persico apparatu' Chorus venerabundus talia præcineret?

ἔλθ' ἐπ' ἄκρον κόρυμβον ὄχθου,
κροκόβαπτον ποδὸς εὔμαριν ἀείρων,
βασιλείου τιάρας φάλαρον πιφαύσκων. (v. 658.)

Nonne mollium qui sub tyrannide sunt morum, cum mascula illa indole quæ τῶν αὐτονομῶν est, statim in mentem venerit comparatio?

"Superest jam unum in hac causa argumentum, quod minime prætermitti velim. In hujusmodi quæstionibus vix quidquam majoris esse momenti solet, quam bene perspecta metri et numerorum ratio. Animadvertendum est igitur, per totam Persarum tragœdiam anapæsticos plerumque numeros a Choro usurpari; quibus nihil cum carminis triumphalis ratione melius congruere potuisset; exsultare enim videntur ipsi versus, et quasi pleno corde in omnia læta excur-

rere. Contra, quum Atossæ, Dariique, et Xerxis personæ inducuntur, trochaicis versibus magna ex parte fit sermo. In facetiis autem et jocis, curtoque et incitato de levioribus rebus colloquio, vis est trochæorum præcipua et pæne propria. Propterea admirari aliquis jure possit, quod in Persis ii qui primarias partes agunt, et de maximis et miserrimis rebus verba faciunt, trochaicis numeris utantur;—nisi forte mecum sentiat, id summo Poetæ artificio et consilio stetisse, ut per numeros luctu non congruentes mitigarentur auditoribus omnes tragici et luctuosi affectus, atque unum idemque propositum carminis, ab initio usque ad finem, sine turbis aut conversionibus aut nimia misericordia, constanter servaretur."

INDEX.

Prior numerus prælectionem indicat, secundus paginam.

P.

U—V.

ERRATA.

P. 451, l. 7, *pro* initium...alteri *leg.* initio...altera
P. — l. 8, *pro* ultimæ parti. *leg.* ultima pars.
P. 546, l. 22, *pro* navatam, *leg.* navatum,
P. 566, l. 31, *pro* an *leg.* ne
P. 601, l. 32, *pro* ille *leg.* illa
P. 644, l. 4, *pro* commoveant *leg.* commoveat
P. 715, tit. *pro* VIGESIMA *leg.* TRIGESIMA
P. 731, l. 3, *pro* tecto *leg.* lecto.